UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Tractatus II. De Probabilitate in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-84777

Visual Library

TRACTATUS SECUNDUS DE PROBABILITATE IN GENERE.

PROOEMIUM.

SUMMARIUM.

Vix aliquis antiquorum dubitavit de licito usu minus tutæ, minùs probabilis, n. 1.
Jansenistæ illum negare cœperunt. Cur? ibid.
His adhæsere plures Catholici, n. 2.
Differunt à Jansenistis, tum ex fine, tum ex modo, ibid.
Damnatur ab Alex. VIII. quòd non liceat probabilissima, n. 3.
Quantum Adversarij inter se pugnent, n. 4.
DD. faventes licito usui, n. 5.

N. 1. P. Teril. PATER Terillus in exquisito opere de *Conscientiâ probabili*, nec non in altero, de *Regula morum*, in Præfatione ad lectorem, versiculo, *Ante annum* 1638. & P. Moya in P. Moy. verè *selectis* suis *quæstionibus* laudabili labore ostendunt, tantâ constantiâ omnes Theologos in approbando usu cujusque opinionis minùs tutæ, certò tamen practicè probabilis, hactenus conspirasse, ut vix unum ex antiquioribus Theologis reperire sit, qui hoc in dubium verterit. Verumtamen anno 1638. quo Jansenius mortalitatis pensum solvit, ejusque liber post ejus obitum luci publicæ donatus fuit, Jansenij discipuli prævidentes, duo inter quinque Jansenij dogmata ab Ecclesiâ diro anathemate profligata, nempe, *Aliqua Dei præcepta hominibus conantibus, & volentibus, sunt observatu impossibilia: Nulla ignorantia legis præsertim naturalis excusat à peccato*; hæc, inquam, bina dogmata ab Ecclesiâ damnata defendi nullatenus posse, si opinio verè practicè probabilis excusat à peccato, nam *ex vero non nisi verum*, ait Dialectica, pessimum consilij genus meditati, ut suo in errore mordicùs persisterent, tantum abfuit, ut Jansenij dogmata negare voluerint, quin ut eadem illæsa servarent, maluerunt potiùs negare, quòd opinio practicè probabilis exculet à peccato, affirmantes cum suo Jansenio, quòd nulla ignorantia excusat à peccato, adeoque præcepta Dei esse observatu impossibilia, ut optimè suadet Caram. in *Apologemate pro probabilitate contra Fagnanum n.* 12. dicens, Cornelij, Jansenij Iprensis Episcopi discipuli, antequam Augustinus ille, qui totus contra Augustinum est, imprimeretur, conati sunt novæ hæresi aperire viam, hoc Pseudolemmate: *In materiâ fidei, & morum ad conscientiæ securitatem probabilis opinio non sufficit*; at illis obstitêre Catholici: subdit: ut Jansenistæ nocerent cautiùs, idem Pseudolemma sub virtutis specie in Ecclesiam propellere conati sunt, scientes certissimè in eo quinque, immò plures alias ab Ecclesiâ damnatas propositiones contineri. Hæc Caram. *pag. mihi* 7. *& pag.* 63. At quis non videat, consultius fuisse, ut damnarent damnatas non cohærentes cum veris, quàm damnare Caram.

nare veras non cohærentes cum damnatis. Hinc Caram. & P. Teril. quibus ineptia esset in his præcipuè fidem negare, cùm inter Jansenistas diu vixerint, eorumque doctrinas apprimè noverint, censent opinionem negâtem licitum usum opinionis practicè probabilis, à Jansenij feretro vitam hausisse.

N. 2. Sed quidquid sit de Progenitoribus opinionis negantis licitum usum opinionum practicè probabiliũ, hoc mihi certum, quòd hodie hæc ipsa sententia numerat aliquos pro se Patronos, Religione Catholicos, & doctrinâ celebres; nam ex Societate stat P. Comitolus, P. Andreas Blanco, (assumpto nomine Candidi Philaleti,) P. Elizal. (larvato anagrammate Celladei) Ex sacro Prædicatorum Ordine Julius Mercorus, Vincentius Baronus, Gonetus, Jacobus à S. Dominico; & ex parte, Joan. Mart. de Prado. Ex jurisconsultis Antonius Merenda, & Prosperus Fagnanus. His noviter accesserunt P. Thyrsus Gonzalez supremus Societ. Præpositus, P. Municsia, & Franciscus Palanco ex Ordine Minorum S. Francisci de Paula.

P. Comitol. P. Blan. P. Eliz. M. Mer. M. Bar. M. Gonet. Jac. à S. Dom. M Martin. Merenda, Fagnan. P. Munies.

Licèt autem omnes isti Catholici cum Jansenistis conveniant in negando licito usu opinionis minùs tutæ, & minùs probabilis, (ut sæpe evenit alijs Catholicis cum alijs Hæreticis in sexcentis alijs materijs ab Ecclesiâ approbatis, aut non damnatis; non enim omne quod Hæreticus dicit, hæreticum est) attamen ijdem Catholici, sive sint Tutioristæ, sive Probabilioristæ, differunt à Jansenistis, tum ex modo, tum ex fine, quo ad negandum opinionis certò practicè probabilis usum moventur. Differunt, inquam, tùm per hoc, quòd Jansenistæ volunt, solam evidentiam veritatis, & honestatis, nullam autem probabilioritatem, etsi summam, excusare à peccato, quod omnes Catholici, uno excepto Celladei, meritò negant; & quidem ab Alexandro VIII. damnata est hæc opinio, *Non licet sequi opinionẽ, vel inter probabiles probabiliſſimam*: tùm per hoc, quòd scopus Jansenistarum est defendere duo Jansenij dogmata ab Ecclesiâ damnata, quæ, nisi negetur licitus opinionis practicè probabilis usus, stare non possunt: Catholicorum autem finis est, ut Ecclesiæ Filij, tutius sequendo, tutiùs salvẽtur: Addo citatos Doctores differre etiam inter se, ut fusè ostendam; interim legi potest P. Card. *tom.* 3. *d.* 56. *cap.* 15. *à n.* 733. licèt enim unanimi consensu negent licitum usum cujusvis opinionis minùs tutæ, & minùs probabilis practicè, discrepant tamen, quòd aliqui volunt sequendam semper ex præcepto tutiorem, etsi minùs probabilem; alij volunt tunc tantùm sequendam tutiorem, quando est æquè probabilis, & multò magis, si sit probabilior oppositâ. Immò plerique, ut etiam ostendam, non tantùm inter se discrepant, sed quilibet à se discrepat.

P. Thyr. P. Muniel. Palanc.

N. 3. Cella 1. Alex. VII.

Jansen.

P. Card. N. 4.

Pro sententiâ affirmante licitum usum opinionis minùs tutæ, & minùs probabilis, dummodo sit certò practicè probabilis, stant ferè omnes alij Theologi, quorum, supra centum, loca adducit P. Teril. *quæst.* 22. de Consc. probab. qui ait *n.* 18. Præter hos, innumerabilis adhuc multitudo superest eorũ, qui in expressis terminis benignæ sententiæ subscribunt, immò audaciter dico, neminem, qui multum de re morali tractavit, inveniri, qui eam veram esse non supponat. Idem præstat P. Moya *tom.* 1. *&* 2. immò P. Alphonsus Sarasa extendit illos *ad* 187. quibus ego addo P. Card. in *quatuor tomis*, P. Haunoldum in *Controversijs selectis*, P. Arsdekin *tom.* 2. *Theol. tripartitæ*, Herinx, Mastriũ, Bordonum, P. de la Fuente Hurtado in *Theol. reformatâ*, Eliam à S. Cassiano in suis *decisionibus Theologico-legalibus*, *& in Theol. Mor.* Filgu. in *Lucernâ*, & in *Censurâ*, Diez de Prado in *Theatro Morali*, Hozes, Torrec. Corella in *Expositione damnatarum*; & ideo S. Antoninus 1. *p. Summæ tit.* 3. *cap.* 16. §. 10. *regula* 7. dixit, inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, benigna potiùs, cæteris paribus, interpretatio facienda. Hæc S. Antoninus, sequens sacri Prædicatorum Ordinis Constitutiones, quibus cavetur, nè rigidas opiniones consulant: *Nimiâ enim austeritate in consilijs, & opinionibus, ita homines terrentur, ut salutem propriam negligant.* V. Patrem Moyam *tom.* 2. *quæst.* 3. *n.* 13.

P. Teril. P. Moy. P Sarasa. P. Card.

P. Haunol. P. Arsdekin. Herin. Mastr. Bord. Elias à S. P. de la Fu. Filg. Diez, Hozes, Torrec. Corel, S. Antonin.

P. Moy.

DIS-

DISPUTATIO IV.

De essentiâ, & speciebus opinionis probabilis.

SECTIO I.

Quid sit opinio probabilis?

§. I.

Quid opinio, quid probabilitas?

SVMMARIVM.

Opinio ex S.Thom. & D.Bern. quid? n.6.
An de essentiâ opinionis sit dubitatio, & formido, & qua? Ib.
Opinio est actus inevidens, Ib.
Qui differat a Fide, scientiâ, dubitatione, & suspicione? ibid.
Probabilitas Theologica quid? n.7.
Dividitur in subjectivam, & objectivam; & quid utraque? ibid.
Probabilitas non est intrinseca suo objecto, ibid.
Negat Celladei, quod opinio sit judicium absolutum de re, n.8.
Cuique opinioni ineſt formido; & quid importet, quod objectum opinionis possit aliter se habere, n.10.
Rejicitur Celladei exponens opinionem per videri, n.11.
Quid motivum quo, *quid* quod? n.12.
Nec certitudo, nec evidentia, nec probabilitas, sunt in objecto; sed idem motivum, ut a diverso lumine repræsentatur, modò est probabile, modo certum, ibid.
Impugno P. Thyrsum dicentem, quòd judicium opinativum, etsi moveatur à verosimilitudine, non ferri in hanc, sed in veritatem, n.13.
An actus intentionales materiales, aut spirituales supra se reflectant? n.14.
DD. pro utràque parte, ibid.
Per judicium opinativum affirmatur absolutè, etsi cum formidine, veritas, ut est in se, & exercitè saltem probabilitas, n.17.
Repugnant simul duo judicia opinativa contradictoria, n.18.
Hi duo actus, probabile est licere, probabile non licere, non opponuntur, quia uterque affirmat probabilitatem, n.19.

N.6. VT facilè exponam, quid sit opinio probabilis, exponendum, quid sit opinio, & quid probabilitas, à quâ tamquam à formâ opinio denominatur probabilis.

S.Bern. S.Bern. *lib.5.* de Considerat. *cap.2.* ait: Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod

S.Th. falsum esse nescias; & S.Thom. *part.1. quæst.* 79. *art.* 9. *ad* 4. Opinio significat actũ intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius; & 2.2. *quæst.* 1. *art.* 4. Est declinatio in unam partem præ aliâ cum dubitatione, & formidine alterius. Huic definitioni contentiunt ferè omnes, inter quos Joan. à S. Thom. *quæst.* 26. *art.* 4. M.Mart. de Prado *tom.*1. quæst. Mor. *cap.*1. de Conscientiâ, P. Suar. *d.* 12. de Conscientia *sect.*6. C.Aguirre *tom.*1. in S.Ans. *d.* 7. *n.*6. & 7. qui, & alij unanimiter sentiunt de essentia opinionis esse dubitationem, seu formidinem de veritate; satis autem esse formidinem radicalem, non autem necessariam formalem, dixi in Philosophiâ, & Theologiâ, & hoc ipsum innuit ex Car.de Lugo *d.* 14. de Just. *sect.* 14. ipse M.Mercor. 1.*part.* Balis Theol. Mor. *art.*9.*pag. mihi* 21. editionis Mantuanæ anni 1658. nec hoc in præsenti discutiendum, cùm quidquid dicatur, perinde sit ad præsentem de opinione probabili tractatum. Cùm ergo opinio sit actus intellectualis formidolosus, eo ipso est judicium inevidens de una parte cum formidine de falsitate illius, & de veritate contradictoriæ oppositi. Differt opinio à scientiâ, quòd opinio non includit, scientia includit evidentiam: differt à fide tùm Divinâ, quia fides Divina includit certitudinem à lumine supernaturali derivatam, opinio autem est actus incertus: tùm humanâ, quòd motivum fidei humanæ est authoritas hominis loquentis; motivum autem opinionis est ipsa verosimilitudo, seu fundamentum alliciens ad actum opinativum: differt à dubitatione, quòd dubitatio est suspensio judicij (suppositâ apprehensione objecti, & motivorum) circa objectum de quo dubito; opinio autem est judicium de alterutrâ parte contradictionis ejusdem objecti: differt à suspicione, quòd suspicio est judicium de unâ parte, sed ex levissimo signo, & indicio, adeoque suspicio est opinio imperfecta; opinio autem est judicium ob minùs leve, aut ob grave fundamentum rationis, vel authoritatis.

Joan. à S. Th. M. Mart. P. Suar. C. Aguir. C. de Lugo, M.Mer.

Probabilitas, loquor de Theologicâ, cui N. 7. securè fidere possumus, & opera nostra regulare, ut loquitur P. de la Fuente *diss.* 4. *n.* 18. est prudens rei verosimilitudo, seu prudens rei credibilitas. Dividitur in formalem, in subjectivam, in objectivam, juxta communem similium denominationum intentionalium

P. de la Fuente

nalium divisionem. Formalis probabilitas est ipsemet actus opinativus denominatus probabilis à motivo solido, & gravi, cui nititur. Subjectiva est ipse intellectus, cui tamquam subjecto inhæret ipse actus opinativus probabilis. Objectiva est ipsum objectum, quod à gravi fundamẽto rationis, vel authoritatis denominatur probabile; ita tamen, ut ipsum objectum materiale, quod denominatur probabile, sit probabilitas objectiva *quæ*, ipsum autem fundamentum, seu motivum formale rationis, vel authoritatis, à quo movetur actus opinativus, sit probabilitas objectiva *quod*. Explico. Supponamus picturam die festo licere; ecce idem motivum, à quo hic actus opinativus, *licet pictura die festo*, dicitur probabilis, idem omnino denominat picturam, quæ est objectum materiale, probabiliter licitam. Hinc manifestè patet, quòd licet probabilitas sit intrinseca motivo, à quo tùm objectum opinatum, tùm actus opinativus dicuntur probabiles; non est tamen intrinseca ipsi objecto opinato: patet hoc, tum in objecto extrinsecè, seu ex authoritate probabili, talis enim authoritas non est intrinseca objecto opinato; tùm in intrinsecè probabili, ratio enim, ob quam assentior objecto opinato, sæpè non est intrinseca illi: ergo probabilitas, sive intrinseca, sive extrinseca, non est necessariò intrinseca actui probabili, & objecto probabili specificativè sumpto, licèt sit intrinseca objecto, seu sententiæ probabili quidditativè sumptæ, idest, sumptæ, ut probabili.

N.8. P.Eliz. Scio P. Elizal. post *librum quartum* in suâ Appendice de Naturâ opinionis per *quæstionem* 6. 7. 8. plurima apud omnes certa de essentiâ opinionis, in dubium vocasse. Primò enim negat, opinionem esse judicium absolutum de re nixum motivo fallibili, nam ait, quòd paralogizantes non sciunt, sed opinantur, & tamen feruntur in suam opinionem sine omni formidine, ac si esset vera: ergo non omnis opinio nititur motivo fallibili. Sed contra: quia ipse paralogizans, dum opinatur, nititur motivo fallibili, nam motivum paralogismi est fallibile; quod adeo certum est, ut paralogizans exercitè saltem sui motivi fallibilitatem experiatur; non enim motivum inevidens refundit claritatem, quam non habet, in ipsum actum: ergo actus ille ex se non est evidens, nec infallibiliter

N. 9. tendit in objectum. Nequè verò, etsi paralogizans putet se demonstrare, ideo demonstrat, nec suo objecto infallibiliter adhæret, etsi per errorem reflexum hoc putet: ergo certum est omni opinioni formali inhærere essentialiter formidinem de veritate partis oppositæ, nam obscurè tendit in motivum, & absolutè tendit in illud, licèt sine certitudine, omnis enim actus naturalis inevidens est incertus. Quando autem dicitur, quòd N. objectum opinionis possit aliter se habere, 10. non est sermo de objecto materiali, nam circa objectum materiale necessarium, quod scio non posse aliter se habere, tendere possum per actum opinativum; sed sermo est de motivo formali, cui nititur actus opinionis; id est, quantum est ex vi motivi formalis, propter quod in objectum materiale tendo, objectum materiale potest aliter se habere; quare P.Elizal. §. 6. confundere videtur, & transferre id, quod soli objecto formali convenit, ad ipsum objectum materiale, cui scio sæpe convenire non posse, nam de objecto formali opinionis semper est verum, quod aliter possit se habere, cùm sit motivum fallibile, adeoquè, licèt putem ita esse, scio tamen posse aliter esse: similiter æquivocatur idem P.Elizal. dum ait *duo videri* opi- P.Eliz. nanti, nempe rem ita esse, & posse aliter se habere; primum est verum de ipsâ veritate objecti materialis; secundum est falsum, si de objecto materiali loquatur, quia sæpe scio non posse aliter se habere: ergo falsum est *videri* posse aliter se habere. Tertiò videtur N. etiam falli, dum opinionem exponit per *vi-* 11. *deri*, nam opinans absolutè dicit, est, vel non est, licèt dicat cum formidine, ob imperfectionem insitam ipsi actui. Omitto contradictoria cuique obvia; qui enim plura contra P.Eliz. desiderat, legat P. Terillum de Reg. P.Teril. Morũ *quæst.* 34. *per totam*, ubi discutit extraordinariam hujus Authoris doctrinam, de Naturâ opinionis. Sanè, qui distingueret, ut debet, motivum à repræsentatione motivi, facilè rem intelligeret; aliud enim est motivum, aliud repræsentatio motivi. Objectum quod repræsentatur, & allicit ad assensum, dicitur motivum; repræsentatio autem non est motivum, sed id quo repræsentatur motivum, & ideo in Scholis distinguimus motivum *quod* à motivo *quo*, quæ est repræsentatio, ut etiam patet in voluntate; id quod eam movet est bonum; propositio autem ejus boni est id *quo*: ita accidit in præsenti, quod movet intellectum ad judicium probabile, est verum propositum à cognitione probabili; ipsa autem cognitio probabilis non est id *quod*, nec motivum, sed id *quo*. Hinc est, N. quòd pro diversitate luminis idem objectum 12. modò est probabile, modò certum, modò evidens, & ab hoc diverso lumine, seu actu intellectus tamquam à formâ objectum materiale dicitur probabile, certum, aut evidens; neque enim certitudo, evidentia, &

proba-

probabilitas se tenent ex parte objecti denominati, sed ex parte intellectus, à cujus actu evidenti, certo, aut probabili objectum illud recipit denominationem. Hoc si advertisset P. Eliz. non dixisset, quod objectum contingens non possit esse evidens, & necessarium non possit esse probabile; contra quod infrà.

P.Eliz.

N. 13. P.Thyr.

Scio etiam, quòd P. Thyrsus *disp. 1. n. 4.* dicit judicium opinativum moveri quidem à verosimilitudine objecti; non tamen ferri in illam, sed in veritatem, nam verosimilitudo, ait, reperitur in utràque parte contradictionis, & manifestè cognoscitur in utràque; at veritatem non posse esse nisi in altera tantùm, evidenter cognoscit; unde, dum probabiliter assentitur uni potiùs, quàm alteri, judicat judicio absoluto, unam ex illis esse veram, aliam falsam; & *n. 5.* laudat C. de Lugo *d. 10.* de Fide *n. 14.* dicentem, aliud esse credere aliquam conclusionem esse probabilem, aliud probabiliter eam credere; nam qui tenent aliquam propositionem probabilem, concedunt simul contrariam esse probabilem, non tamen credunt veram, nè quidem assensu probabili, aliàs haberent duos assensus probabiles de objectis contradictorijs. Hæc P. Thyrsus.

C. de Lug.

N. 14.

Sed contra: quia fateor certum esse, aliud esse probabilitatem, aliud veritatem, & hanc non nisi uni parti convenire, illam autè utrique convenire posse. Fateor etiam, aliud esse credere aliquam conclusionem esse probabilem, aliud probabiliter eam credere; nam ille est actus reflexus supra probabilitatem, signatè eam affirmans; hic est actus directus, affirmans talem rem esse probabiliter veram ob probabilitatem rationis. At nego, & infrà negabo, quòd si una pars est probabilis, ejus contradictoria sit etiam necessariò probabilis. Rursus nego judicium opinativum non ferri in verosimilitudinem objecti, immò implicat, ut ab illâ moveatur ad assentiendum veritati, quin feratur in verosimilitudinem tamquàm in motivũ propter quod. Si enim, ut docui in Animasticâ, omnis actus intentionalis, sive spiritualis, sive materialis, supra se virtualiter reflectit, ut tradit Arist. 3. de Animâ *textu* 38. & S. Thom. in *hunc* Philosophi *locum*, & *quæst.* 1. de Veritate *art.* 4. dicens, quòd sensus cognoscant se sentire, & idem indicat Caiet. 4. de Animâ *cap.* 13. dicens, quòd sensus sentit sensationem suam, quò ad an est, esto non ut rem cognitam, & reflectendo supra se signatè, seu per aliud actum sensationis realiter distinctum; & hoc ipsum tradit P.Suar. *lib.* 3. de Animâ *cap.* 11. *n.* 5. M. Joan. à S. Thom. *quæst.* 4. *art.* 4. §. *secunda verò pars*, ad finem, P. Quiros de Animâ *d.* 85. & latissimè P. Ant. Perez *tr.* 4. de Virtut. Theolog. *d.* 7. *cap.* 3. (negantibus sensus cognoscere proprios actus, P. Ovied. *cõtr.* 4. de Anim. *n. ultimo*, P. Arriag. *ibi d.* 7. *à n.* 85. P. Rhodes *ibi pag.* 458. & 490. & alijs passim, qui hoc potiùs supponunt, quàm probent) si, inquam, omnis actus intentionalis, tam materialis, quàm spiritualis, supra se virtualiter reflectit, quantò magis supra motivum propter quod, cùm verum sit axioma, Propter quod unumquodque est tale, & illud magis: ergo si judicium opinativum propter verosimilitudinem objecti fertur in veritatem objecti materialis, & eam affirmat, multò magis fertur, & affirmat dictam verosimilitudinem, à quâ movetur: ergo falsum est, quòd judicium opinativum moveatur a verosimilitudine objecti, non tamen feratur in illam.

Arist. S.Th. Caiet. P Suar. M. Joan à S. Thom.

p Quir. P.Perez P. Ovi. P.Arr. P.Rho

Demum, scio eumdem P. Thyrsum *l. c. à n. 4. ad 11.* probare assensum opinativum esse judicium absolutum de veritate rei in se, etsi cum aliquâ formidine, quia nititur motivo fallibili, seu quòd non constat evidenter connecti cum re affirmatâ; non autem esse judicium de verosimilitudine; & impugnat Joan. à S. Thom. 1. 2. *pag.* 525. *n.* 45. & 46. dicentem, assensum probabilem judicare, hoc esse verum, non absolutè, & quò ad esse, vel non esse in se, sed quò ad apparentiam, & probationem, id est, in ratione probabilis, adeoque stante judicio de unâ parte, quòd vera sit, non absolutè, sed probabiliter, stat judicium de oppositâ, quòd vera sit non absolutè, sed probabiliter; & ideo per *Joan. à S. Thom.* ait P. Thyrsus, simul esse possunt hi duo assensus, *contractus A, est probabiliter licitus: contractus A, probabiliter est illicitus.*

N. 16. P.Thyr.

Joan. à S.Tho.

Ut dicam, quod sentio, puto primò, judicium opinativum affirmare absolutè, etsi cum formidine, veritatem rei, ut est in se à parte rei, ita tamen, ut dixi paulò antè, affirmet exercitè saltem probabilitatem, nam affirmat veritatem, ut est in re, cognitam per motivum probabile: ergo exercitè saltè affirmat probabilitatem; non tamen affirmat eam signatè, quia judicium opinativum tendit in veritatem tamquàm in objectum directè affirmatum ob motivum probabile, non autem reflexè in ipsam probabilitatem tendit. Puto 2. certum esse duos assensus opinativos contradictorios non posse simul esse, ut alibi dicam, nam idem probabiliter affirmaretur, & negaretur, idemque probabiliter simul esset, & non esset, quod implicat, & hoc do *P. Thyrso* contra *Joan. à S. Thom.* Puto 3. simul esse posse hos duos actus, contractus A, est proba-

N. 17.

N. 18.

N. 19.

probabiliter licitus, contractus A, est probabiliter non licitus, quia non sunt contrarij, & hoc do Joanni à S. Thom. & immeritò supponit P. Thyrsus esse contrarios, sunt enim ambo affirmativi, & modales, quare aliud est, *contractus A est probabiliter licitus, contractus A non est probabiliter licitus*; aliud est, *contractus A probabiliter est licitus, contractus A probabiliter non est licitus*; illi repugnant, quia opponuntur, non isti, æquivalent enim, probabile est, contractum A licere, probabile est, non licere, in quo nulla est repugnantia; esset autem, si dicerent, *probabile est contractum A licere, non est probabile contractum A licere.* Breviter, si negatio cadat supra probabilitatem, non possunt simul esse; si autem uterque affirmet probabilitatem, & negatio cadat supra veritatem, possunt; sed in citatis à P. Thyrso, contractus A probabiliter est licitus, contractus A probabiliter est illicitus, negatio non cadit supra probabilitatem, immò in utroque actu affirmatur probabilitas, in uno de licentiâ, in alio de non licentiâ: ergo possunt simul stare.

§. II.

Quid opinio probabilis juxta alios, quid juxta me?

SUMMARIUM.

Communiter definitur, Iudicium nixum motivo solido, gravi, verosimili, rationali, fallibili. DD. n.20.

Non placet; cur? n.21.

Actus perfectio non benè explicatur per motivum, n.22.

Sicut forma physica diversimodè applicata diversos facit effectus formales; ita motivum diverso lumine applicatum, n.23.

Etsi omne probabile sit verosimile, non econtra, n.24.

Potest una ex contradictorijs esse probabilis, quin alia sit, n.25.

Cur si una ex contradictorijs est incerta, dubia, contingens, ejus opposita sit etiam talis; non verò si una est probabilis, & alia? n.25.27.

Unde in Anti-Probabilistis exclamationes, ibid.

Qui probabiliter solvit rationem unius partis, non ideo probat oppositam, n.28.

Quid juxta me opinio probabilis, n.29.

Explico particulas definitionis, n.30.

Melius dicitur, quòd opinio sit judicium incertum, quam inevidens, n.31.

Aliquando ad probabilitatem solum prudentum judicium est satis, n. 33.

Ego expono, non suppono, quid sit motivum probabile, n. 35.

Opinio, ut sit probabilis, nil certum contra se habere debet. DD. Ibid.

Nullus, nisi doctus sit, & pius, facere potest opinionem probabilem, n.36.

Doctores sunt testes juris, non facti, ibid.

Falsum, ex nostrâ definitione sequi, non licere minus probabilem, ut ait P. Thyrj. n.37.38.

Tam magis, quam minus probabilis, perpenso proprio motivo videtur vera, perpenso opposito falsa, n.39.

SCito, quid sit opinio, & quid probabilitas, communis Probabilistarum *opinionis probabilis* definitio, est ferè in hæc verba. Est judicium nixum motivo probabili, seu solido, & gravi, alicujus momenti, verosimili, rationali, licet fallibili. Ita P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.*9. *n.*5. P. Granado 1.2. *contr.*2. *tr.*12. P. Oviedo 1.2. *tr.*5. *contr.*3. *pu.*1. P. Moya *tom.* 1. *quæst.*1. *n.*4. M. Mart. de Prado *tom.*1. quæst. Mor. *cap.*1. de Consc. *quæst.* 1. §.1. P. Card. *tom.*1. *d.*1. *n.*16. & *tom.*3. *d.*55. *n.*1. & *tom.* 4. passim, P. de la Fuente *disp.*2. Torrec. *tr.*8. *n.* 18. Caram. *lib.*1. Theol. Mor. Fund. *fundam.* 11. *n.*425. ait: Opinio, cujus nec veritas, nec falsitas demonstratur, si sit valdè veræ similis, nominatur probabilis, & quidem probabilitas nascitur ex gravi motivo, quo quis ad assentiendum inducitur. M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.*8. *art.*11. *n.*15. ait: Opinio probabilis est assensus, qui gravi rationi, & testimonio nititur, adhærendo uni parti cum formidine alterius. S. Anton. 1. *p. Sum. tit.*3. *cap.*10. §.10. circa finem ait: Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè sapientibus appareret verum; quod idem ijsdem terminis dicit Author Summæ Angelicæ Angelus Clavasius *verbo opinio n.* 2. & alij antiqui. In idem recidit definitio candidi Philalethi (licet præcipuus sit inter Probabilioristas) in suo libello, cujus titulus est, *de Opinionum Praxi*, editione Matritensi anni 1645. & Cremonensi 1646 (quâ semper utar) *quæst.* 6. *pag. mihi* 123. ait enim: Opinio probabilis est opinio apparens vera, ex non levi fundamento; & citat S. Thomam glossantem verba Arist. 1. *Ethic. cap.*5. dicentis, *Oportet veritatem figuraliter ostendere*, id est, ait S. Doctor, *verosimiliter, & probabiliter, quia probabile est, quod est simile vero.* Consentit Insignis Probabilioristа M. Mercorus 1. *p. Basis art.*9. *pag. mihi* 21. probabile idem est, ac apparens verum, eò autem ipso quòd est apparens verũ, non judicatur absolutè verum sine omni formidine, sed cum formidine. Demum alij plures ita definiunt: Est, quæ pro se habet rationem solidam, & nihil certum contra se habet. N.

P. Sanc. P. Gran. P. Oviedo, P. Moy. M. Mar. P. Card. P. de la Fuent. Caram. M. Tap. Torrec. S. Antonin. Angel. Candid. S. Th. Arist. M. Mercur.

N. 20.

In allatis definitionibus aliqua sunt, quæ 21. non

non omnino placent. In primâ enim, & communi opinionis probabilis definitione displicet primo, quia explicat idem per idem, cùm enim non constet, quid sit motivum probabile, solidum, grave, alicujus momenti, nec conitare potest, quid sit opinio probabilis per ordinem ad tale motivum definita. Displicet 2. quia, ut cum nobilioribus Neotericis in Philosophiâ, & Theologiâ docui, malè perfectio actuum intellectus explicatur per eorum motivum, quasi verò actus certus, & infallibilis sit, qui nititur certo, & infallibili motivo; actus supernaturalis, qui supernaturali motivo, naturalis, qui naturali; verus, qui vero; falsus, qui falso: rejeci enim hæc omnia, quia idem motivum *quod* potest esse motivum actuum naturalis, & supernaturalis; & idem motivum *quod* propositum per lumen evidens facit actum evidentem; per lumen supernaturale facit actum supernaturalem, & infallibilem; per lumen non connexum essentialiter cum vero facit actum fallibilem, ut etiam dixi *hic* §. 1. ergo motivum *quod* non specificat necessariò actus, nec actus sumit perfectionem suam à motivo quomodolibet, sed ut applicato hoc, aut illo modo; non minùs, quàm in Physicis eadem forma diversimodè applicata facit diversos effectus formales, ut docui in *tr. de Incarn.* N. 22.

Addo motivum in se nec esse fallibile, nec infallibile, nec evidens, nec probabile, nec verum, nec falsum, cùm applicatum uni intellectui, & substans tali lumini, possit conducere ad actum certum; applicatum alteri, immò eidem per aliud lumen, conducere possit ad actum incertum, immò ad falsum: ergo non benè actus opinativus probabilis definitur per ordinem ad motivum probabile. N. 23.

Displicet definitio M. Mercori: quia licet omne probabile sit verosimile, ut rectè S. Thom. non tamen omne verosimile est probabile, debet enim esse simile vero, non ex levi, sed ex gravi fundamento. N. 24. M. Mer.

Displicet definitio Caramuelis, quam defendit Torrec. *tr.* 8. *n.* 20. quia, ut rectè P. Card. *tom.* 1. *d.* 1. *cap.* 2. *&* *d.* 4. *cap.* 2. ea definitio supponit, quod quoties una pars contradictionis est probabilis, etiam altera sit probabilis: sed hoc est certò falsum, ut innui *hic* §. 1. contra P. Thyrsum: ergo &c. Maior probatur ex ipsâ Caram. definitione in Apologemate pro doctrinâ probabilitatis *epist.* 2. *n.* 81. *pag. mihi* 34. ubi ait: Opinio probabilis est, quæ pro se, & contra se habet rationes fortes, & nec pro se, nec contra se habet ullâ demonstrativam: ergo dum ait, *habet contra se rationes fortes*, supponit, quòd ejus contradictoria habet pro se rationes fortes: ergo supponit hanc esse probabilem. Minor etiam patet: si enim unus testis fide dignus deponat Petrum intulisse mortem Paulo, & nullus deponat non intulisse, in eo casu probabile est intulisse, & non est probabile, non intulisse. Confirmo: quia ex eo quòd opinio A habeat pro se rationem gravem non demonstrativam, non infertur, opinionem B ei contradictoriam habere etiam pro se rationem gravem non demonstrativam: ergo licet de essentiâ opinionis probabilis sit, ut habeat pro se rationem fortem, & non habeat contra se rationem demonstrativam, attamen non est de essentiâ opinionis probabilis, ut habeat etiam contra se rationé fortem. Hinc rectè P. Card. *d.* 4. *à n.* 19. rejicit illas Caramuelis monstrosas (ita loquitur) consequentias, probabile est, Petrum esse reum: ergo etiam probabile est, non esse reum: similiter rectè tollit æquivocum, quod tantam exclamandi occasionem dedit P. Elizal. dicenti, quòd si licet sequi opinionem probabilem, nulla nobis supererit studendi necessitas, quia supponit, quòd si una contradictoria est probabilis, etiam altera talis sit, quod est certò falsum.

Dices: Valet, contingens, incertum, & dubium est rem esse; ergo etiam est contingens, incertum, & dubium rem non esse: ergo etiam valebit, probabile est rem esse; ergo probabile est rem non esse. Confirmatur: eo ipso quòd fundamentum partis A est tantùm probabile, potest solvi: sed solutio fundamenti partis A est fundamentum pro parte B contradictoriâ: ergo quoties una pars est probabilis, etiam ei opposita talis erit. N. 26.

Respondeo, concesso quò ad omnes tres partes antecedenti, negando consequentiam: ideo valet, contingens est rem esse: ergo etiâ rem non esse; quia si quoties una pars est contingens, ejus contradictoria non esset etiam contingens, sequeretur, quòd contradictoria esset, vel impossibilis, vel necessaria: si impossibilis, ergo contradictoria, quæ supponebatur contingens, esset necessaria; nam quoties unum contradictorium est impossibile, aliud est necessarium: si necessaria, ergo ejus contradictoria, quæ supponitur contingens, est impossibilis; nam si unum contradictorium est necessarium, aliud est impossibile. Similiter si non esset verum, quod quoties una contradictoria est incerta, etiam altera sit incerta, sequeretur, quòd altera esset certa, vel certò falsa: sed hoc est evidenter falsum; si enim altera esset certa, contradictoria, quæ supponebatur incerta, esset certò falsa; nam ex contradictorijs, si A est certum, B est certò falsum: rursus si N. 27.

altera

altera esset certò falsa, contradictoria, quæ supponebatur incerta, esset certa; nam ex contradictorijs, si A est certo falsum, B est certò verum. Econtra si A est probabile, non ideo B ei oppositum est etiam probabile, quia esse probabile non est præcisè esse incertum, sed est esse incertum, & habere fundamentum grave: sed ex eo quòd A habeat fundamentum grave, non infertur, quòd B contradictorium habeat etiam fundamentum grave: ergo ex eo quòd A sit probabile, non infertur, quòd B contradictorium sit etiam probabile. Similiter si A est dubium, B. contradictorium est etiam dubium, non autem si A est probabile, contradictorium est etiam probabile, quia dubium est suspensio judicij de utràque parte: ergo utramque includit; probabilitas autem unius partis, non est probabilitas partis oppositæ, immò repugnat.

P.Card. Lege P.Card. *tom.* 1. *d.* 4. *a n.* 31. *& a n.* 114.

N. 28. Ad confirmationem dico, quòd solutio probabilis fundamenti probabilis pro parte A, non est fundamentum probabile pro parte B contradictoriâ, sed ad summum illa solutio facit, quòd B non sit certo falsum, non autem, quòd sit probabile; dum enim solvo rationem suadentem Turcam dormire, non ideo probo Turcã non dormire, aliàs quoties Philosophi, & Theologi solvunt rationes probabiles, quas alij adducunt pro opinione, quam sequuntur, sed propter aliam rationem, probarent sententiam contradictoriam propriæ, quam sequuntur; quod nemo dicet: ergo solutio argumenti probabilis stantis pro parte A, non est probatio partis B contradictoriæ: ad summum igitur solutio est indirecta probatio partis B oppositæ, & ostendit partem B non esse evidenter falsam, nec partem A evidenter veram, non autem probat partem B esse probabilem; de quo

P.Card. latè P. Card. *tom.* 1. *d.* 4. *cap.* 6.

N. 29. Ego itaque opinionem Theologicè probabilem ita definio: Est judicium incertum de unâ parte contradictionis nixum motivo, quod non tantùm absolutè in se, sed etiam comparativè ad motiva partis oppositæ (si adsint) apparet tale, ut intellectum hominis docti, & pij, nullàque hîc, & nunc passione laborantis, inclinet ad prudentem assensum, aut dissensum.

N. 30. Dixi 1. *Est judicium*, & hoc stat loco generis, & convenit cum omni alio judicio naturali, & supernaturali, certo, & incerto, evidenti, & inevidenti.

N. 31. Dixi 2. *incertum de unâ parte contradictionis*, & per hoc differt ab omni actu certo, ut est fides Divina; & ab omni evidenti, ut est actus scientiæ; & convenit cum opinione improbabili, vel non probabili, & judicio temerario. Cur autem dixerim, opinionem probabilem esse judicium *incertum*, potiùs quàm *inevidens*, est, quia omne incertum est inevidens, non econtra; actus enim fidei Divinæ est inevidens, non autem incertus; & eo ipso quòd opinio est judicium incertum, est judicium inevidens, quia omne incertum est inevidens. N.

Dixi 3. *nixum motivo, quod non tantum &c.* 32. per quæ verba opinio probabilis differt ab omni alio actu, qui talis non est; sunt enim differentia atoma, ut mox exponam. N.

Dixi 4. *sed etiam comparativè ad motiva* 33. *partis oppositæ, si adsint;* per quæ verba innuo, quod jam rejeci, nempe, quòd non sit de necessitate opinionis probabilis, ut ejus contradictoria sit probabilis, & ideo usus sum particulâ conditionali, *si adsint*, nempe, quòd motiva opinionis probabilis A debent esse talia, ut si contradictoria probabilis B habeat motiva, seu sit probabilis, debent esse relativè ad hæc etiam gravia; etsi hoc absolutè necessarium non sit ad hoc, ut opinio A sit probabilis, ut enim probabilis sit, satis est, ut nil certum contra se habeat, & ut ejus fundamentum sit grave absolutè in se: quod si opinio B contradictoria sit probabilis, tunc fundamentum opinionis A debet esse grave P.Card. etiam respectivè; ut enim rectè P. Card. *tom.* 1. *d.* 1. *n.* 16. ad probabilitatem opinionis non est necesse, ut solvat argumenta partis oppositę, quia potest pars oppositа nullum habere pro se argumentum grave. Immò, ut acutè Neuss. Neuss. *d.* 21. *qu.* 10. *pag.* 107. *n.* 24. non est necesse *semper* ut pro probabilitate opinionis adsit ratio gravis, ut constat in omni illâ, quę à solo prudentum judicio pendet; neutra enim opinio ex. gr. sive asserat, sive neget duos Julios esse materiam sufficientem furti gravis respectu cujuscumque, potest acribus syllogismis in alium pugnare. N.

Dixi 5. *apparet tale*, per quod verbum evi- 34. to scopulum, in quem incidunt, qui motivi perfectionem refundunt in actum; cùm tamen hoc dici non possit, quia motivum tantùm pro mensurâ luminis, quo applicatur, refundit perfectionem, & cæteris paribus maiorem, quò motivum est maius; nam per to *apparet* explicatur lumen applicans motivum; quare opinio probabilis est, quæ nititur motivo, quod apparet grave gravitate in definitione expositâ. N.

Dixi 6. *apparet tale, ut intellectum &c.* per 35. quæ verba expono, & non suppono, ut plerique, quid sit motivum probabile, cui opinio probabilis niti debet, debet enim apparere tale, ut non tantùm solitariè sumptum,

sed

sed etiam in consortio motivorum (si adsint) partis oppositæ, possit inclinare intellectum hominis docti, & sine passione judicantis, ad prudentem assensum, aut dissensum: quare si motiva partis oppositæ talia sint, ut enervent vim dicti motivi, eo ipso judicium illi nixum non erit Theologicè probabile, & ideo omnes tamquam certum, vel supponunt, vel exprimunt, ad opinionem probabilem requiri, ut nil certum contra se habeat, sive ex Fide, sive ex ratione, sive ex authoritate infallibili. Ita duo præclari Scotistæ, nempe Mastrius *lib.* 2. Sent. *d.* 5. *qu.* 2. & in Theol. Mor. *d.* 1. *n.* 62. & Bordonus *tom.* 6. in Propugnaculo opin. prob. *a n.* 1. *cap.* 5. passim, P. Suar. *l.c.* P. Granado *l.c.* P. Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 2. *pun.* 1. *n.* 2. P. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *a cap.* 9. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 3. *pu.* 1. *n.* 1. P. Card. *tom.* 1. *d.* 11. *a n.* 106. P. Moya *ll.cc.* & omnes cum P. Esparza in Appendice *art.* 112. & P. Teril. de Consc. prob. *qu.* 2. *n.* 41. & de Reg. Mor. *qu.* 1. *a* n. 7. qui volunt, necesse esse ad opinionem probabilem, ut nitatur fundamento absolutè, & relativè gravi, seu quod comparatum cum opposito adhuc retineat suam vim trahendi ad assensum.

Mastr. Bord. P. Sant. P. Gran. P. Pal. P. Azor, P. Ovie. P. Cardenas, P. Moy. P. Esparz. P. Teril.

N. 36. Cur autem, ut opinio sit Theologicè probabilis, necesse sit, ut ejus motivum sit tale, ut possit movere intellectum hominis docti, & pij, & hic, & nunc sine passione judicantis? Est, quia nisi sit doctus, & in tali materiâ, circa quam opinatur, versatus, ejus judicium erit inconsideratum, quia homini sine ratione asserenti non est credendum, nam Doctor est testis juris, non facti, ut rectè Bordonus *l.c. cap.* 5. *n.* 38. Nisi sit pius, periculum erit, ne ejus judicium inclinet in favorem libertatis, & commodi: nisi hîc, & nunc, dum opinatur, sit à passione liber, ejus judiciũ utpotè à passione, quæ miram habet vim acuendi in sui favorem intellectum, ut sæpe tradit Arist. qualis quisque est, taliter judicat, aut cæcum erit, aut saltem imprudens. Vid. infra *n.* 121.

Bordon. Arist.

N. 37. Dices ex P. Thyrso *disp.* 1. §. 3. allatam definitionem non componi posse cum licito usu opinionis minùs probabilis, nam ex P. Esparza *art.* 102. probabile idem est apud omnes, ac approbabile, seu cui intellectus merito assentiri potest, licèt cum aliquâ formidine: sed intellectus, ait P. Thyrsus *n.* 17. non potest approbare, ut veram, sententiam minùs tutam, quando ei proponitur, ut minùs verosimilis, debet enim potiùs reprobare, ut falsam, nam intellectus fugit falsitatem: ergo cùm proponatur in actu primo potiùs ut falsa, tenetur ei potiùs dissentiri. Secundò, quia implicat, ut motivum, quod vincitur ab opposito, sit comparativè magnum: ergo tunc non assentitur ob motivum magnum. Tertiò, quia non potest vir probus, & doctus irreprehensibiliter judicare aliquid esse licitum, quando habet fortius motivum, quòd sit illicitum, nisi mentis oculos voluntariè claudat, quod est nolle intelligere, ut benè agat. Quartò, quia motivum opinionis debet esse magnum per ordinem ad intellectum ipsius opinantis, ita ut post diligentem veritatis inquisitionem, & citra passionem, fundamentum sit magnum, non potest autem esse tale, nisi appareat præeminens, nam nemo potest prudenter, nec inculpabiliter judicare sententiam faventem libertati contra legem, esse veram, si omnibus pensatis invenit maius fundamentum ad judicandum esse falsam: ergo ex definitione opinionis probabilis à nobis datâ, infertur illicitum esse usum minùs probabilis, minùs tutæ. Hæc P. Thyrsus, qui hæc eadem alibi inculcat, & ex parte P. Scildere *tr.* 2. *cap.* 2. §. 1. *n.* 12.

P. Thyr. P. Scild.

Respondeo brevissimè, nam ea alibi fusiùs solvam, his argumentis probari, non esse licitum sequi tutiorem minùs probabilem: ergo omnia ab Authore solvenda. Ad 1. distinguo minorem: non potest intellectus approbare probabiliter ut veram, sententiam minùs tutam, quando ei proponitur ut minùs verosimilis, nego minorem; si non proponatur ut verosimilis, concedo minorem. Ad probationem distinguo: debet potiùs reprobare ut falsam, opinionem minùs verosimilem, si velit sequi magis verosimilem, & prudentiùs operari, ad quod tamen non tenetur, concedo antecedens; si velit prudenter tantùm operari, nego. Ad 2. nego antecedens; nam adhuc motivum minus est comparative magnum, licèt non sit æquale, nec maius. Ad 3. nego antecedens, vel distinguo: irreprehensibiliter prudentiùs, concedo; prudenter, nego. Ad 4. concessâ maiori, nego minorem. Addo argumenta niti etiam alteri æquivoco, nempe quòd opinio minùs probabilis appareat falsa, nam apparet vera, & judico probabiliter veram; alioquin sicut minùs probabilis consideratis maioribus motivis magis probabilis apparet falsa; ita etiam probabilior consideratis motivis minùs probabilis appareret falsa, & sic non possem assentiri opinioni, nequidem probabiliori. Deco itaque utramque opinionem, considerato motivo proprio, videri veram; & utramque, considerato motivo opposito, videri falsam; & utramque consideratis utriusque motivis videri probabiliter veram, & probabiliter falsam. Sed fusiùs alibi.

N. 38.

N. 39.

§. III.

§. III.

Illationes aliquæ.

SUMMARIUM.

Non omnis opinio est probabilis, n. 40.
Non satis ad probabilitatem, ut nil certum contra se habeat, sed necesse simul ut grave absolutè, & respectivè fundamentum pro se habeat, ibid.
Probabilitas æquè tollitur per certitudinem oppositi, ac per carentiam fundamenti, ibid.
Per quid opinio probabilis differat a fide, scientiâ, opinione non probabili, aut improbabili, judicio temerario, & scrupulo? n. 41. 42.
Omnis extrinsecè probabilis nititur intrinsecè probabili, n. 43.
Quid opinio negativè, & positivè improbabilis? n. 44.
Cur nulla damnata maneat probabilis? n. 45.
Cur Hæreticorum errores non sint opiniones probabiles? n. 46.
Probabilitas non fit certitudo per ignorantiam rationis oppositæ, n. 47.
Si una pars non est probabilis, non ideo alia est certa, n. 48.
Contra certum nil datur probabile, n. 50.
Tenuis probabilitas est implicantia in terminis, n. 52.
Parum probabilis est non probabilis, ibid.
Opinio probabiliter tantum probabilis est inepta pro conscientiâ, ibid.
Quando opinio contra Scripturam dici possit probabilis? n. 53.
Celladei supponit in Probabilistis, quod negant, num. 54.

N. 40. EX dictis patet 1. ad opinionē probabilem duo necessario requiri, nempe, quòd nil certum contra se habeat, & quòd post diligens, & inculpabile veritatis studium habeat pro se fundamentum grave: quale autem sit, jam exposui. Ex hoc evidenter sequitur, quòd probabilitas opinionis A tollitur per alterutrum horum, nempe vel per certitudinem opinionis B oppositæ, vel per carentiam fundamenti gravis pro opinione A; non autem, ut plerique volunt cum Joan. Mart. de Prado *tom.* 1. Quæst. Mor. *cap.* 1. de Consc. *qu.* 2. §. 3. M. Donato *tom.* 4. *tr.* 12. *qu.* 37. *n.* 5. non autem, inquam, unicè tollitur per certitudinem opinionis oppositæ. Ratio mihi est; quia ut opinio A non sit probabilis, non est necesse, ut opposita B sit certa, sed satis est, ut ipsa opinio A careat fundamento gravi, ut benè etiam innuit P. Card. *tom.* 1. *d.* 2. *a n.* 110. quare licèt valeat, opinio B est certa: ergo opinio A non est probabilis; non tamen valet, opinio B non est certa: ergo opinio A est probabilis; quia non certitudo opinionis oppositæ B non est probabilitas opinionis A, nam probabilitas opinionis A est fundamentum grave ipsius, cum negatione certitudinis in opinione B. Similiter infertur, quàm falsum sit, quod aliqui Adversarij assumunt, omnem opinionē, quia nititur alicui rationi, esse probabilē: falsum, inquam, si ejus ratio sit levis; & ideo opinio dividitur in probabilē, & in improbabilem, qualis est omnis, quæ non est certò probabilis, ut rectè P. Faber, P. Mendo, P. Carden. Neusser *d.* 21. *qu.* 9. *n.* 13.

M. Mart. M. Donat. P. Card. P. Card. P. Mendo, P. Faber Neuss.

Patet 2. per quid opinio probabilis differat à dubio, à fide Divinâ, & humanâ, à scientiâ, ab opinione improbabili, & à non probabili. Differt à dubio, quòd dubium sit suspensio omnis judicij directi de re, de quâ dubito. A fide Divinâ non tantùm, quia hujus motivum est Deus, sed etiam, quia est Deus, ut applicatus per lumen supernaturale essentialiter connexum cum vero; motivum autem opinionis est ratio applicata per lumen naturale obscurum. A fide humanâ, quòd hæc unicè nititur authoritati dicentis, quæ authoritas conflatur ex veracitate in dicendo, & cognoscendo res ut sunt; ratione veracitatis in cognoscendo, seu sapientiæ præsumitur talis Doctor non falli; ratione veracitatis in dicendo præsumitur non fallere: non omnis autem opinio probabilis nititur authoritati, sed sola extrinsecè probabilis; immò hæc ipsa remotè fundatur in ratione, cui nituntur Doctores, quibus fido. A scientiâ, quæ nititur motivo applicato per lumen evidens; opinio autem probabilis motivo applicato per lumen naturale obscurū, est enim actus incertus. Ab opinione improbabili, quia hæc habet contra se aliquid certum, nihil autem certum contra se habet opinio probabilis. Ab opinione non probabili, quia hæc nullam habet pro se rationem gravem; habet autem probabilis. Ab assensu temerario, quia nititur motivo levi absolutè, vel saltem relativè ad motiva (si adsunt) assensûs oppositi; opinio autem probabilis niti debet motivo absolutè, & relativè ad motiva partis oppositæ (si adsunt) omnino gravi. Quæ omnia Navarrus in Manuali *cap.* 27. *Miscellaneo* 3. *n.* 279. dixit exponens illa: differunt in eo, quod scientia est firma, & evidens cognitio. Fides firma, non tamen evidens, sed obscura. Opinio, nec evidens, nec firma, quàmvis sit judicativa. Dubitatio, nec evidens, nec firma, nec judicativa. Scrupulus autem est solum quoddam argumentum contra aliquam prædictarum: & quatuor prima sunt contraria, quæ non possunt simul

N. 41.

Navar. N. 42.

inesse

ineſſe uni, & eidem perſonæ eodem reſpectu. Scrupulus autem cum quâlibet aliarum quatuor eſſe poteſt. Hæc Navar. quæ deinde ex eo adduxit P. Thyrſus *diſp.* 10. *n.* 37.

P. Thyr.

N. 43. Patet 3. definitionem à me traditam convenire principaliter opinioni intrinſecè probabili, licèt enim dentur opiniones extrinſecè probabiles, ſeu ob authoritatem virorum doctorum, & piorum hic, & nunc ſine paſſione judicantium, attamen omnis opinio extrinſecè probabilis reſolvitur ultimò, & fundatur in intrinſecè probabili; ideo enim judico opinionem hanc eſſe probabilem, quia Authores docti, & pij eam dicunt; dicunt autem, quia nituntur gravi ratione: ergo omnis extrinſecè probabilis reſolvitur in intrinſecè probabilem, & ideo hanc ſolam, utpotè fundamentum alterius, definire placuit.

N. 44. Patet 4. quid ſit opinio negativè, vel positivè improbabilis. Opinio negativè improbabilis, idem eſt ac non probabilis, & eſt illa, quæ vel caret omni fundamento, vel non niſi leve ſaltem ad fundamentum partis oppoſitæ, ſi adſit, fundamentum habet. Poſitivè improbabilis eſt, quæ non tantùm nullum, aut exiguum habet pro ſe fundamentum, ſed etiam habet contra ſe aliquid certum, ex ratione, vel ex authoritate. Moneo tamen ſæpe confundi opinionem non probabilem cum improbabili, licèt, ut dixi, revera differant, nam poſitivè improbabilis eſt certò falſa, quia habet contra ſe principium certum: negativè improbabilis eſt, quæ caret omni fundamento gravi, non autem eſt certò falſa, quia ejus oppoſita poteſt

N. 45. eſſe probabilis tantùm. Hinc evidenter ſequitur, quòd nulla damnata poteſt manere probabilis, quia de eſſentiâ opinionis probabilis eſt, ut nil certum contra ſe habeat: ſed damnata habet contra ſe certum Papæ damnantis judicium: ergo tantùm abeſt, ut ſtante damnatione retineat probabilitatem, quin

N. 46. ſit poſitivè improbabilis. Similiter ſequitur, cur errores Hæreticorum, licèt illis appareant veroſimiliores, immò aliquando certi, non tamen ſint opiniones probabiles, quia, ut benè P. Thyrſus *diſp.* 8. *n.* 2. ita apparent ob voluntariam eorum cæcitatem, & quia, ut ait P. Teril. *qu.* 25. de Reg. morum, illæ opiniones non concipiuntur poſt diligentem veritatis inquiſitionem; non enim omnis veroſimilitudo eſt probabilitas, ſed requiritur, ut poſt diligentem veri inquiſitionem opinio probabilis concipiatur ob motivum prudens, & grave. Verùm expeditior ratio eſt, quia habent contra ſe certa fidei principia, quæ

N. 47. poſſunt certò cognoſci à volentibus.

P. Thyr.

P. Teril.

Patet 5. quòd probabilitas non ſit certitudo per ignorantiam rationis oppoſitæ: tùm quia cognoſcere poſſum rationem ejus opinionis eſſe purè probabilem; tum quia certitudo oritur, vel à ſupernaturalitate, vel ab evidentiâ, & eſt quid poſitivum; ignorantia autem oppoſiti eſt quid negativum: tùm quia, qui minùs inquireret rationes oppoſitas, quia maiorem earum ignorantiam haberet, maiorem etiam certitudinem haberet.

Patet 6. quòd ſi una pars non eſt probabilis, non ideo alia eſt certa; aliàs omnes opiniones non impugnatæ, & omnia, quæ ſcribunt Hiſtoriographi alijs non contradicentibus, eſſent certa, quod nemo dicet: ſimiliter, quia mihi non eſt probabile, ſydera eſſe paria, eſſet certum eſſe imparia, cùm tamen neutrum ſit mihi probabile. N. 48.

Patet 7. non ſemper ad probabilitatem requiri, ut partis oppoſitæ fundamenta ſolvantur, poteſt enim nullum pro ſe grave fundamentum habere, neque enim per hoc, quòd A ſit probabile, ſequitur, quòd B contradictorium ſit probabile, ut dixi §. *antec.* N. 49.

Patet 8. quòd contra certitudinem nulla eſt probabilitas, quia opinio probabilis eſt aſſenſus incertus, id eſt, nec certò verus, nec certò falſus: ergo cùm contradictorium judicio certo ſit certò falſum, non poteſt contradictorium judicio certo eſſe probabile. N. 50.

Patet 9. opinionem probabilem eſſe concretum, dicens pro materiali, & in recto ipſum actum opinionis tamquàm ſubjectum, pro formali ipſam probabilitatẽ tamquàm formam, à quâ ille actus opinativus denominatur probabilis; ſive deinde ea probabilitas ſit intrinſeca, ſeu conflata ex veroſimilitudine motivorum allicientium intellectum ad actum opinativum; ſive extrinſeca, conflata ex veroſimilitudine authoritatis hìc, & nunc non decipientis, allicientis ad actum opinativum: ab hâc enim veroſimilitudine prudenti motivorum opinio denominatur probabilis intrinſecè, & à veroſimilitudine gravis authoritatis denominatur probabilis extrinſecè. N. 51.

Patet 10. per noſtram opinionis Theologicè probabilis allatam definitionem, manifeſtum eſſe, quòd *tenuis probabilitas* eſt implicantia terminorum, ut deinde notatum etiam legi in P. de la Fuente *diſp.* 4. *n.* 19. & P. Card. *tom.* 4. *diſp.* 4. *n.* 16. nam probabilitas in rigore dicit efficacitatem motivorum allicientium intellectum ad prudentem aſſenſum reſpectu hominis docti; tò autem *tenuis* excludit à probabilitate illam efficaciam; de quo fuſè P. de la Fuente per totam diſſertationem: quapropter plures TT. opiniones parùm probabiles vocare ſolent improbabiles; N. 52.

P. de la Fuente. P. Card.

les; & omnes probabiliter tantùm probabiles, adeoque non certo probabiles, sed dubiæ probabilitatis, vocant parùm probabiles, & dicunt ad regendam conscientiam insufficientes, & meritò, ut alibi dicam.

N. 53. P.Thyr. Patet 11. quid dicendum sit ad quæsitum, quod movet P. Thyrsus *disp.* 1. §. 4. nempe, an ad probabilitatem opinionis requiratur, ut non sit re ipsâ contra Scripturam, aut decreta Ecclesiæ; & *n.* 24. resolvit, non esse verè probabilem opinionem, quæ re ipsâ est contra Scripturam, Concilia, aut decreta Ecclesiæ; licèt opinans id inculpabiliter ignoret, & habeat pro se gravia rationis fundamenta. Ratio illius est; quia ut primùm constiterit eam opinionem esse re ipsâ contrariam alicui ex dictis regulis, tenentur omnes rejicere illam, ut improbabilem; non est autem similis ratio de fundamento rationis, quod per ignorantiam apparet magnum viro docto, & probo, & ex eo citra culpam judicavit rem esse illicitam, quia quamvis alius vir doctus inveniat rationem validiorem pro parte oppositâ, ob quam sibi persuadeat sententiam illam esse fallam, & non esse practicè probabilem, attamen non potest verè dicere, illam opinionem esse secundùm se improbabilem absolutè, quia non potest prudenter judicare rationem, quâ convincitur, convicturum omnes. Sed contra 1. quia hoc unicè probat, quod regulæ Ecclesiæ mereantur omne obsequium intellectus, non ita rationes, quas homo quantùmcumque doctus trahere potest. Non tamen probat, non posse dari, immò de facto dantur plures opiniones prudenter probabiles, licèt sint contra Scripturam, aliasque infallibiles Ecclesiæ regulas, dummodo Scriptura, & dictæ regulæ post diligens veritatis examen sint invincibiliter ignoratæ, & dictæ opiniones habeant pro se grave rationis, vel authoritatis fundamentum. Patet: quia de facto plurimæ sunt opiniones Theologicæ utrimque probabiles, & tamen cùm sint circa Scripturam, & inter se cõtradictoriæ, una ex illis opponitur Scripturæ, quia tamen hæc invincibiliter ignoratur, & ex gravi fundamento negatur esse in Scripturâ revelatum, eaque opinio nititur gravi rationis, vel authoritatis fundamento, est verè probabilis; alioquin quoties DD. in quæstionibus Theologicis discrepãt, ex. gr. Scholæ, Thomistica, & Scotistica, cùm alterutra opinetur contra Scripturam, alterutra diceret improbabilia, & alterutrius opinio esset improbabilis, quod nemo cordatus dicet; quòd si hoc dicat, quæram, quænã Schola improbabile dicat, cùm non sit maior ratio pro una, quàm pro aliâ, & controversia inter eas sit circa materiam obscurè, & incertò revelatam? Ergo potest opinio esse re ipsâ contra regulas infallibiles Ecclesiæ, & esse certò probabilis, dummodo illæ regulæ invincibiliter ignorentur, & sint disputantibus incertæ, & opinio habeat fundamentum grave. Contra 2. quia si P. Thyrsi doctrina teneret, sequeretur, quòd Pontifex damnans opinionem, non adimeret opinioni probabilitatem; cùm enim ea sit contra regulas fidei, & morum, est improbabilis: ergo non adimit probabilitatem, non enim tolli potest, quod non fuit.

Patet 12. quàm manifestè decipiatur P. N. Elizal. qui ut nostram de licito opinionis probabilis usu sententiam horribilem reddat, dixit *lib.* 1. *qu.* 4. *&* 5. tot, & tanta contra Probabilistas, ut latis sit Probabilistarum volumina aperijsse, ut ea refutentur: asserit enim nos docere satis esse unum Doctorem, ut opinionem probabilem reddat, cùm tamen hoc, nisi cum multiplici limitatione, à Probabilistis asseratur: asserit, satis per nos esse, ut opinio sit probabiliter probabilis, cùm tamen oppositum à ferè omnibus Probabilistis ut certum tradatur: asserit, dari posse per nos opinionem probabilem, etsi contra eam stet aliquid certum, cùm tamen signatè dicamus esse positivè improbabilem. Consideret lector axioma commune, Parvus error in principio, maximus in fine, & legat P. Teril. de Reg. morum *qu.* 5.

N. 54. P.Eliz. P.Teril.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

§. I.

Primum, licitus erit Atheismus; Secundum, licitus erit Academicismus.

SUMMARIUM.

Omnis hæresis, & error Gentilium erit opinio practicè probabilis, n. 55.

A M. Baro solvendum, qui minùs exigit ad probabile, quam nos, n. 56. 57.

Solvendum à Celladei, n. 58.

Non omne verosimile est probabile, n. 59.

Quæ verosimilitudo necessaria ad probabile, ibid.

S. Thom. ait, quòd probabile sit simile vero, non econtra, ibid.

DD. tuentes, quòd nil contra probabile adesse debeat convincens, intelligunt nil certum, ibid.

Nulla integra secta potest esse probabilis, cur? n. 60.

Nullus error Hæretico perpendenti nostram fidem est illi probabilis, n. 61. 62.

Hæreticorum probabilitas laborat ignorantiâ vinci-

vincibili, Catholicorum invincibili, n.63.
Aristot. ait, quod idiotæ tenaciùs adhæreant falsis rumoribus, quam sapientes certissimis veritatibus, ibid.
Error Hæretici, vel est ignorantia vincibilis, vel invincibilis, numquam opinio probabilis, n. 64. ad 69.
Datur invincibilis ignorantia circa credenda. DD. n.66.67.
Quantum nos distemus ab Academicis; & cur peccet sequens probabile Academicorum, non nostrum? n.70. ad 73.

N. 55. PRimum est, si opinio probabilis est, quæ nititur fundamento gravi, & nihil habet contra se convincens, sequitur plerasque Atheorum, Gentilium, & Hæreticorum improbabiles opiniones esse practicè probabiles, saltem respectu eorum, quia relativè ad illos nil habent convincens, & habent fundamentum grave; nam non est demonstrabile, ex. gr. animam esse immortalem, Deum esse unum, hominem esse liberum, quod idem evenit in alijs fidei articulis, qui demonstrabiles non sunt: ergo cùm illæ Atheorum, & Hæreticorum opiniones nil habeant contra se convincens, sunt verè probabiles. Ita Baron. 2. *p.* Manuduct. ad Theologiam Mor. contra Amadeum *d.* 1. *sect.* 1. §. 4. *pag. mihi* 33. impugnans P. Suar. requirentem ad probabilitatem, ut nil habeat contra se convincens, & ut firmo fundamento nitatur. Idem argumentũ trahit P. Eliz. *lib.* 3. *qu.* 8. §. 2. *pag. mihi* 159. editionis Friburgensis anni 1684. (hâc enim semper utor) ubi fuso calamo ostendit posse Calvinistam, nostrâ probabilis opinionis doctrinâ armatum, suos errores tamquam probabiles sequi.

M. Bar.

P. Eliz.

N. 56. Respondeo 1. argumentum hoc imbelle omnino esse, & si aliquam vim habet, maiorem habet contra Baron. & P. Eliz. quàm contra nos; immò, ut alibi ostendemus, à quocumque, sive Probabilioristâ, sive Tutioristâ, solvendum est. Dixi, maiorem vim habere contra Baron. quàm contra nos, quia cùm Baron. 1. *p. d.* 1. *sect.* 2. *l. c.* definiat opinionem probabilem esse, quæ aliquam habet verosimilitudinem, cui assensum damus formidolosum; & cùm juxta eumdem probabile sit, cui verum, aut falsum subesse potest, propriùs tamen à vero, quàm à falso abesse videtur, sequitur 1. ut rectè P. Teril. *qu.* 2. *assertione* 2. & P. Moya, omnem opinionem improbabilem, & omne judicium temerariũ, quia habent aliquam verosimilitudinem, esse probabile, & prudens: ergo argumentum maiorem habet, si habet, vim contra Baron. quàm contra nos, qui non sumus contenti quâlibet verosimilitudine. Sequitur 2. omnes hæreses formales esse opiniones probabiles; quia omnis error formalis, cui Hæreticus assentitur, plus distat à vero, quàm a falso, & varijs argumentis ejus intellectus in tale falsum dogma inclinatur: ergo argumentum, siquam vim habet, maiorem habet contra Baron. suppositâ ejus, quam opinionis probabilis tradit, definitione, quàm contra nos. Hinc acutè intulit P. Teril. & P. Moya, faciliùsque est omnibus illatio, non esse mirum, quòd Baron. concluserit omnia scelera esse licita admisso opinionis probabilis usu; hęc enim evidenter inferuntur, admissâ definitione opinionis probabilis à Barono traditâ; nullum autem admissâ nostrâ: quod certè, ut suo loco dicemus, validum est argumentum contra negantes licitum usum opinionis practicè minùs, certò tamen, probabilis; ut enim eum negent, ad novam opinionis probabilis definitionem omnino fassam, & ab omnibus rejiciendam, confugiunt: si autem nostram tuerentur, non negarent licitum opinionis minùs probabilis usum. Immò, ne longiùs differam, idem Baron. 2. *p.* Manùduct. *d.* 1. *sect.* 1. §. 3. consensus Franciscanorum *pag. mihi* 29. ubi valdè celebrat Scotistam innominatum, & ejus definitionẽ opinionis practicè probabilis, ait enim, judicium prudens legi, fini ultimo, & recto sapientum in illum appetitui conforme, quod formidinem sibi adjunctam nihil moretur, nec impediat certam destinationem, & directionem boni operis: subdit eam formidinem simplicem esse, non firmam dubitationem, & ad intellectum speculativum pertinere. Hæc Baron. qui minùs requirit ad probabile, quàm nos, non enim dicit, quòd nil certum debeat habere contra se; & adhuc asserit, illud probabile esse satis ad directionem boni operis, quanto magis nostrum. Addo, ex hac definitione sequi, licitum esse omne scelus, si hæc licentia sequitur ex nostrâ.

M. Bar.

N. 57.

M. Bar.

Similiter maiorem vim habet contra P. Eliz. non tantùm ob novam probabilis definitionem, quam paulò post eliminabimus, sed etiam quia idem Celladei *lib.* 1. *qu.* 13. ad finem *pag. mihi* 51. exponens, quomodo Doctores opinionem contrariam propriæ vocent tutam, ait, eos dicere voluisse, eam opinionem suæ contrariam non ita à vero exorbitare, quæ ex aliquâ ignorantia satis ordinariâ non possit putari, vel vera, vel probabilior, & sic eis esse tuta, si ignorantia fuerit involuntaria. Hæc P. Eliz. per quę verba satis obscura aliud dicere non vult, quàm quòd doctrina, quæ ab aliquo ex aliquâ

N. 58.

P. Eliz.

quâ ignorantiâ satis ordinariâ putatur vera, vel probabilior, est ei tuta: sed si hoc est verum, omnis doctrina Atheorum, & Hæreticorum eris eis tuta, quia ab ijsdem ex ignorantiâ satis ordinariâ putatur vera, vel probabilior: ergo omnis eorum doctrina erit eis tuta, adeòque omne scelus erit ijs licitum: ergo argumentum maius habet robur contra P. Elizal. quàm contra nos. Quòd si dixerit eam ignorantiam non esse illis involuntariam, sed voluntariam, eo ipso videt id, quod nos etiam videmus.

N. 59. Respondeo 2. totum hoc argumentum procedere ex malâ intelligentiâ: 1. quia confundunt dicti DD. probabile cum verosimili, arbitrantes juxta nos esse mutuò idem, probabile, ac verosimile, quod est certò falsum, non enim ad probabilitatem satis est quælibet verosimilitudo, sed talis necessaria est, ut moveat virum prudentem ad prudentem assensum; hinc S. Thom. in 1. Ethic. S. Th. citatus suprà *sect.* 1. §. 2. dixit, *Probabile est, quod est simile vero*; non autem dixit, omne simile vero esse probabile: ergo licèt omne probabile sit verosimile, non tamen econtra, omne verosimile est probabile, nisi verosimilitudo sit ex fundamento absolutè, & relativè gravi: 2. ijdem Baron. & Cellad. putant, quando DD. dicunt quòd ad opinionis probabilitatem necesse sit, quòd nihil habeat *contra se convincens*, putant eos DD. velle, quòd omnis opinio, quæ non habet contra se *evidentiam*, & demonstrationem, sit probabilis, in quo falluntur; aliud enim est, quòd convincens oppositum tollat probabilitatem, aliud, quòd solùm convincens eam tollat; primum est verum, secundum, falsum; ut enim tollatur probabilitas, satis est, ut contrà stet, vel principium certum, vel convincens, immò per me satis est, ut careat fundamento gravi, ut dixi §. 3. Addo per tò *convincens* non venire per DD. nisi certum, sive ea certitudo sit ab evidentiâ, sive à fide, ejusque regulis; à quocumque enim certo intellectus convincitur, aut convinci debet; P. Suar. P. Gran. & in hoc sensu loquuntur P. Suar. P. Gran. P. Ovie. P. Ovied. P. Palao, P. Sanch. Verricelli, & P. Pala. P Sanch. Verric. Sapientiores ex Thomistis, nempe M. Joan. M. Mart. Mart. de Prado *tom.* 1. Quæst. Mor. *cap.* 1. de M. Donat. Conse *qu.* 2. §. 3. M. Donatus, M. Araujo, & M Araujo. alij dicentes, quòd, ut opinio sit probabilis, P. Eliz. nil debet habere contra se convincens, seu nil certum; immò lege eumdem P. Elizal. *lib.* 2. *qu.* 11. §. 4. *pag.* 98. dicentem, *Adversus certam, ac firmam veritatem nullum superest probabile conscientiæ*: ergo per eumdem probabilitas non tantùm tollitur per evidentiam, sed per solam etiam certitudinem. Videsis P. Moya *tom.* 1. *tr.* 1. *qu.* 1. *n.* 4. P. Moy.

Respondeo 3. Vel loquimur de integrâ N. Atheorum, Gentilium, & Hæreticorum sec- 60. tâ, vel de illis tantùm eorum articulis, quibus lumen naturale evidenter non resistit? Si de integrâ, nulla est probabilis, non tantùm respectu Catholicorum, qui Fidei Romanæ certitudine gaudent, sed neque respectu eorum, qui non gaudent, quia nulla integra secta, etsi Hæreticorũ, quantò magis Atheorum, & Gentilium, est, quæ non contineat errores evidentes contra lumen rationis, nempè, vel Dei attributa, aut providentiam, & sanctitatem, vel animæ immortalitatem, vel hominis libertatem: ergo quælibet integra secta est evidenter falsa. Quod si sermo N. sit de aliquo particulari articulo, immò de 61. integrâ sectâ, tunc vel sermo est comparativè ad Hæreticum ignorantem, aut motiva credibilitatis Fidei Romanæ non penetrantem, vel comparativè ad penetrantem? Si de Hæretico penetrante, tunc nullus articulus à Fidei Romanæ articulis discordans, multò minùs tota secta potest respectu Hæretici nostræ Fidei motiva penetrantis apparere probabiliter verus, aut vera; quia motiva credibilitatis, quæ reddunt Fidem nostram evidenter credibilem, & certò moraliter veram, eo ipso reddunt articulos ei oppositos evidenter incredibiles, & certò moraliter falsos, & improbabiles; immò redduntur N. evidenter falsi juxta singularem ipsius P. 62. Elizal. sententiam, qui in *lib.* de formâ inveniendæ veræ Religionis, præsertim *qu.* 19. & 20. defendit Fidem nostram esse *evidenter* veram, & non tantùm certò moraliter P. Suar. veram, ut ferè omnes TT. docent cum P. Joan. Suar. *d.* 3. de Fide *sect.* 8. *n.* 5. M. Joan. à S. à S. Th. Thom. *d.* 2. *art.* 3. C. de Lugo *d.* 2. de Fide C. de Lug. *n.* 40. Joan. Pontio *d.* 8. *n.* 21. Mastrio *d.* 6. *n.* Pontio. 292. & nos cum illis in *tr. de Fide*, ubi latè Mastr. impugnavimus eumdem P. Eliz. qui tandem evidentiam moralem cum certitudine morali confundit; quare nescio quomodo P. Elizal. admittens nostram Fidem esse evidenter veram, armet contra nos argumentum, quòd opinio Hæreticorum erit probabilis, cùm probabilitas tollatur per evidentiam, quam sibi suadet, nobis suis argumentis esse persuasam: ergo respectu Hæretici penetrantis motiva Fidei Rom. nullus articulus nostris contrarius, & multò minùs tota secta, non tantùm non potest esse probabilis, quin est certò improbabilis respectu ejusdem Hæretici, cùm sit certa falsitas, ut loquitur Caram. Caram. in Apolog. *n.* 165. omnisque articulus nostris contrarius, est juxta communem TT. certò moraliter falsus, immò evidenter falsus

P.Eliz. sus juxta P. Elizal. sententiam, quòd nostri articuli sint evidenter veri. Nam, ut rectè P. Card. *tom.4. disp. 14. n. 79.* longè alia est probabilitas Catholicorum, ac Hæreticorum; ea enim, ut dicam, includit ignorantiam invincibilem, quatenus post diuturnum examen, necdum potuêre Catholici inter se disputantes invenire veritatem, quatenus ea veritas semper manet incerta, ut dixi hìc *sect.* 1. §. 3. contra P. Thyrsum: Hæreticorum autem probabilitas est spuria, & includit ignorantiam vincibilem; possunt enim ad veritatem pervenire, si volunt. Quare, me judice, adamussim quadrat Hæreticis, quod dixit Aristoteles *7. Ethicorum cap. 3.* sæpe evenire, *ut homines tenacius, & firmius adhæreant falsis rumoribus, quam viri sapientes scientijs, & certissimis veritatibus.*

N. 63.

Aristot.

N. 64. Si autem sermo sit de Hæretico adèo bardo, & rudi, ut nostræ Fidei motiva non penetret, aut de Atheo, & Gentili non cognoscente evidentiam rationum, quibus eorum æquivoca dissolvuntur, tunc dico talem sectam, vel articulum nostris oppositũ esse potiùs errorem invincibilem respectu eorum, quàm opinionẽ probabilem. Ratio est; quia ea secta, & articulus habet ad summum fundamentum grave relativè ad Hæreticum tantâ ignorantiâ invincibili laborantem, non autem grave relativè ad fundamenta nostræ Fidei illi incognita: sed ad probabilitatem opinionis, ut dixi *sect.* 1. §. 2. necesse est, ut fundamentũ sit grave etiam relativè ad fundamenta partis oppositæ: ergo talis incapax Gentilis, & Hæreticus habet potiùs errorem

N. 65. invincibilem de veritate suæ sectæ, quàm opinionem probabilẽ de illâ. Breviter: Gentilis, vel Hæreticus ignorans fundamenta veræ Religionis, numquàm habet opinionẽ probabilem de suis articulis falsis, multò minùs de integrâ suâ sectâ, sed semper habet errorem, vel vincibilem, vel invincibilem, si potens dubitare de suâ sectâ, non indagat ulteriùs veritatem; vel invincibilem, si nullam

N. 66. habet rationem dubitandi de suâ sectâ. Ita S. Thom. *2.2. qu. 10. art. 2.* M. Victoria de Indis *concluſ. 1.* P. Faber, P. Moya *tom. 2. tr. 1. qu. 5. à n. 24.* & alij apud illum, quibus addo C. Aguir. *tom. 1.* in S. Anſ. *d. 5. à n. 46.* P. G. Hurt. *d. 8.* de Fide, *diff. 12.* P. Ovied. *1.2. tr. 6. contr. 6. pu. 4.* P. Palao *tom. 1. tr. 1. d. 2. pu. 1. n. 2.* Herinx *tom. 3. d. 7. n. 69.* qui, & alij adeo certum putant dari ignorantiam invincibilem circa credenda saltem de præcepto, ut de oppositio nemo dubitare possit. Idem sentiunt P. Vasq. *1.2. d. 121.* M. Joan. Mart. de Prado *tom. 1.* Theol. Mor. *cap. 2. qu. 12. n. 14.* & Filgu. in Lucernâ, in *expoſ. quartæ*, sub initium. Immò hæc opinio hodie videtur infallibilis post 68. damnatam Baij propositionem, in quâ asserebat, *Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*: ergo ejus contradictoria est vera, talis infidelitas non est peccatum; cur autem, nisi quia ea est invincibilis? Ratio est; quia opinio, quę habet cõtra se certitudinem, non potest esse probabilis, immò est improbabilis: sed opinio affirmans aliquid contra Fidem, habet contra se principium certum, nempe Fidem Romanam: ergo quantâcumque gloriatur authoritate, non potest dici probabilis, imò est improbabilis, eritque error vincibilis, vel invincibilis. De hoc argumento sæpius occurret sermo; interim legi possunt Expositores damnatæ ab Innocentio, *Infidelis excusatur ductus opinione probabili*, præcipuè P. Moya *t. c.* & P. de la Fuente *disp. 5. per totam.*

Baius. N. 67. P. Moy. P. de la Fu.

N. 68. In formâ nego opinionem Hæreticorum, Atheorum, & Gentilium, contradictoriam articulis Fidei, esse probabilem respectu eorum, sed ad summum erunt opiniones vincibiliter, aut invincibiliter erroneæ, quia cùm per opinionem probabilem veniat, quæ habet fundamentum grave etiam relativè ad fundamenta partis oppositæ, consequenter essentialiter dicit exclusionem fundamenti convincentis oppositum: sed omnis opinio oppositа articulis Fidei habet contra se fundamentum Fidei certò, etsi non evidenter convincens oppositum: ergo nulla talis opinio potest dici probabilis, nequidem respectu suorum Authorum, sed ad summum respectu eorum dici poterit opinio erronea vincibiliter, vel invincibiliter. Hanc ipsam doctrinam insinuat P. Eliz. adeoque miror quomodo contra nos produxerit allatum argumentum: ecce ejus verba *lib. 2. q. 11. §. 4. pag. 98.* Contra res Fidei, quippe quæ certissimè constãt, nihil est probabile saltem conscientiæ ..... Hæretici contra Fidem nullum habent probabile, ob quod à peccato excusari queant; aliud enim est, an ab ignorantiâ invincibili excusentur, quod controversum est; aliud, an excusentur per probabile, quod hæreticum planè, erroneum saltem foret; & subdit immediatè, adversus certam, & firmam veritatem, nullum superesse probabile conscientiæ; rursus certò ac indubitanter falsa non esse probabilia probabilitate conscientiæ. Hæc P. Elizal. ex quo colligere poterat, quàm inane sit argumentum, suppositâ nostrâ, & ejus doctrinâ.

P. Eliz. N. 69.

Secundum est: Conceptus probabilitatis à nobis traditus coincidit cum eo, quem dabant Academici, efficaciter refutati à S. Augustino *lib. 3.* contra Academicos *cap. 16.* nam

N. 70. S. Aug.

nos etiam exponimus probabile per verosimile, & omne, quod apparet verosimile, dicimus probabile; quod ipsum dicebant Academici. Hæc Baron. *d.2.sect.4. n.3.§.3.* apud P.Card. *tom.1.d.15. a n.403.* quo argumento obscurâ prolixitate utitur etiam Cellad. *lib.1.qu.16.* per totam.

M.Bar. P.Card. Cellad.

Respondeo nostram doctrinam toto Cælo distare à doctrinâ Academicorum, nisi velimus dicere doctrinam D. Thom. explicantis probabile per verosimile, quod & nos facimus; non autem asserentis omne verosimile esse probabile, quod & nos negamus, esse doctrinam Academicorum. Tria docebant Academici, ut colligitur ex S. August. *l.c.* & ex Gassendo viro disertissimo, & Peripateticæ doctrinæ hoste infensissimo *lib.* 4. contra Arist. *exercitatione* 6. contra quem ostendimus non omnia esse dubia, nec talia, quibus præstari non debeat assensus. Tria, inquam, docebant; primum, quòd de nullâ re possimus habere judicium certum; secundû consequens ad illud, quòd sapiens, nè se exponat errori, nihil debet affirmare, vel negare, siquidem omne ejus judicium est incertum; tertium, quod dum quis operari tenetur, operari debet, quod sibi videtur probabile; hoc enim necessariò sequitur ex primo errore. Ecce verba S. Aug. *lib.* 3. *cap.* 10. *Duo sunt, quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ, ut valemus, venire constituimus; nihil posse percipi, nulli rei debere assentiri: & cap.* 14. ait: *si igitur nec certi est quidquam, nec opinari sapientis est, nihil umquam sapiens approbabit.* In quibus verbis manifestantur primus, & secundus Academicorum error; tertius autem adducitur à S. August. *cap.* 16. *Turpe est errare, & ideo nulli rei consentire debemus, sed tamen, cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.* Ecce probabilitas Academicorum rejecta à S. August. & à nobis, quæ sine dubio chimærica est, nam ex unâ parte volunt, intellectum nullum habere posse judicium certum, immò nec probabile, nam sapiens nil debet judicare; ex alterâ volunt, quòd objectum possit judicari probabile: ergo chimæra. Similiter probabilitas Academicorum supponit nullius rei nos habere posse certitudinem, multò minùs evidentiam; utrumque autem est evidenter falsum, ut latè ostendi contra Gassendum *in Logicâ*: ergo de quo habemus evidentiam, vel certitudinem, de ejus opposito non habemus probabilitatem: ergo non omnia sunt probabilia. Igitur quantum distat negans omnem probabilitatem, tam objectivam, quàm formalem, (utramque enim negabant Academici) objectivam, quia docebant nullam solidam veri apparentiam dari; formalem, quia negatâ omni gravi probabilitate, nullum potest intellectus formare prudens judicium; quantùm, inquam, distat negans utramque probabilitatem ab affirmante utramque, (nos autem utramque affirmamus, nam plura habent grave verosimilitudinis motivum, & pluribus probabiliter assentimur) tantùm nos distamus ab Academicis. Secundo, quantùm distat affirmans omnia esse incerta, ut Academici, à negante omnia esse incerta, ut nos, qui asserimus plura esse certa, & evidentia, tantùm distamus ab Academicis. Tertiò, quantùm distat affirmans esse probabile id, cujus oppositum est evidens, ut Academici, à negante esse probabile id, cujus oppositum est certum, aut evidens, tantùm nos ab Academicis. Quartò, quantùm distat affirmans omnem veri apparentiam esse probabilitatem, ut Academici, à negante omnem veri apparentiam esse probabilitatem, ut nos, sed illam tantùm veri apparentiam esse probabilitatem, quæ est gravis etiam comparata cum motivis partis oppositæ, nullamque esse probabilitatem, si contra eam stet principium certum; tantùm nos ab Academicis, qui non distinguebant inter vincibilem, & invincibilem veri apparentiam, nec erant solliciti, an illa apparentia proveniret à serià veritatis indagatione, atque adeò omne apparens verum, sive ex gravi, sive ex levi fundamento, vocabant probabile; quod sine dubio, ut benè P. Teril. de *Reg. morum qu.* 5. erat probabile, temerarium, & stultum. De hoc lege P. Card. *tom.* 1. *d.*15. *à n.*403. & P. Teril. *l.c.* qui meritò dicit monstrosissimam esse comparationem benignæ sententiæ cum sententiâ Academicorum, qui nullum certò honestum affirmabant, immò omne opus per illos erat peccatum, quia sequebatur ad judicium semper dubium de honestate.

N. 71. Gassen. S.Aug. P.Teril. P.Card.

Dices: S. Augustin. *lib.* 3. contra Academ. *cap.* 16. rejicit hanc Academicorum propositionem, *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*: ergo peccat, & errat. Respondeo, verum esse, qui sequitur probabile Academicorum, peccare, & errare, quia excludit omne judicium de honestate operis, seu de non peccato; nostrum autem includit. Aliter M. Joan. Mart. de Prado *tom.* 1. Theol. Mor. *cap.*1. de Consc. *qu.*2. *n.*18.

N. 72. S.Aug. M.Mar.

§. II.

§. II.

Tertium, licita erit omnis laxitas. Quartum, idem erit probabile, ac prudens, & petitur principium.

SUMMARIUM.

Opinio, nec quia favet legi, est probabilis, nec quia libertati, est improbabilis, n. 75.
Ostendo ex damnatis plures faventes legi esse improbabiles, ibid.
Tales sunt plures Baij, ibid.
Non omnis Infidelium actus est peccatum, ibid.
Judicium de falsitate non tollit opinionis probabilitatem, n. 76.
Sequens minus probabilem, non putat eam falsam, sed veram, ibid.
Solvo rationem P. Thyrsi, n. 74. ad 82.
Ejus definitio opinionis probabilis, n. 78.
Vult, Antiquos sumpsisse probabile pro probabiliori, n. 79.
Ait, quòd si per probabile veniat verosimile, possit utraque opinio simul esse eidem intellectui probabilis, non vero, si pro approbabili, tunc enim sola verosimilior est probabilis, ibid.
Rejicio, n. 80.
Est contra Logicam tollere, aut addere definitioni id, de quo posteà disputandum, ibid.
Ostendo, Antiquos non sumpsisse probabile pro probabiliori, n. 81.
Non dico, omne probabile, sed omne certò probabile practicè esse prudens, n. 83.
Non definio probabile per motivum grave, sed explicui, quid hoc sit, n. 85.
Argumentum a Celladei solvendum, ibid.
Unde sumatur gravitas motivi, n. 87.
Genus explicari potest per speciem, si hæc sit aliunde notior, ibid.
Inter TT. aliqui sunt respectu omnium notoriè periti. Qui? n. 88.
Quilibet quantumcumque doctus illis stare potest, ibid.
Alij sunt in rebus obvijs notoriè periti, & his stare in rebus obvijs possunt idiotæ, ibid.
Vir gravis non explicatur per motivum grave, sed per peritiam aliunde notam, n. 90.
Descensus, & ascensus adductus a Celladei probat, nullam dari, nec levem, nec gravem materiam, n. 91.
Certum est dari DD. notoriè gravissimos, n. 92.
Omnis alicujus famæ Casuista potest regulariter Doctorem, & rationem gravem a levi discernere, n. 93.
Multi casuum Collectores in ordine ad quod præstant, sunt graves, ibid.
Independenter a motivo scitur, qui vir sit prudens, n. 94.
Ratio Palanci ex Arist. quòd probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, est contra eumdem, num. 95.
Probabilitas non tollit probabilitatem, n. 96.

TErtium est ex P. Thyrso, qui postquam antiquiorum Probabilistarum definitionem attulit, Opinio probabilis est, quæ non habet certitudinem, nititur tamen non vulgari authoritati, nec rationi modici momenti, nec habet contra se convincens, ita arguit *diss. 1. n. 12.* quia ex eâ sequitur laxitas morum, nam si homo, faciendi sibi nomen cupidus, edat aliquam opinionem faventem libertati contra legem, cui pauci alij subscribant, erit probabilis, & quilibet eam licitè sequi poterit. Secundò, quia poterit quis licitè sequi opinionem contra legem, etsi judicet falsam, potest enim eam judicare falsam, etsi gravi fundamento nitatur, & videat nihil habere contra se certum, tunc autem erit probabilis. N. 74. P. Thyr.

Sed contra 1. quia, ut evidenter alibi ostendam, opinio, nec ex eo, quia faveat legi, est probabilis, nec ex eo, quia faveat libertati, est improbabilis; plurimæ enim faventes legi sunt improbabiles, & plures faventes libertati sunt probabiles: ergo ex eo quòd opinio faveat libertati, aut commodo, incongruè vocatur laxa, & negatur esse probabilis. Sanè pleræque damnatæ Baij, damnatæ sunt, quia nimiùm favebant legi, tales sunt, non est possibilis amor naturalis Dei; contra quam P. Ripal. *tom. 3. d. 8. sect. 13.* & Godoy 1. 2. *d.* 42. talis, Deus præcipit impossibilia, contra quam P. Ripal. *l. c. d. 23. a sect.* 13. talis, Infidelium opera sunt necessariò peccata, contra quam opinionem satis reclamaverat priùs S. Bonav. *in 2. dist.* 41. *dub.* 2. dicens, quòd quando dicitur, *omne quod non est ex fide, est peccatum*, ut D. Paul. ad *Rom.* 14. quod exponens D. August. ait, *Omnis Infidelium vita peccatum est*, sensus sit, ait S. Bonav. quòd omnis Infidelium vita non sit sine peccato, & quòd quamdiu in Infidelitate persistunt, per nullam actionem, quam agunt, liberantur à culpâ. Hæc acutè S. Bonav. rectè innuens, Infideles non liberari à culpâ, dum in suo statu vivunt, per ullam actionem, non autem, quòd per omnem actionem peccent. Immò, quia hoc alibi prolixâ inductione ostendam, rogo ut lector percurrat damnatas noviter ab Alexandro VIII. & videbit plerasque fuisse nimiùm rigidas. Contra 2. quia DD. qui definierunt opinionem probabilem per rationem non modici momenti, intelligunt rationem gravem, & magni ponderis; ex hoc autem, quòd ad illam sequatur amplificatio libertatis, & commodi, nil inde, ut amittat probabilitatem, N. 75. S. Bonaventura. S. Paul. S. Aug. Alex. VIII.

tem, dummodò hoc fiat ex gravi ratione.

N. 76. P.Thyr. Contra 3. quia cùm P.Thyrsus doceat, licitum esse sequi opinionem minùs tutam, seu contra legem, dummodo notoriè probabiliorem, dicam ego, hanc non esse probabilem, quia favet libertati, & commodo, eo modo, quo negat, esse probabilem opinionem gravis momenti faventem libertati contra legem. Contra 4. quia in secundâ parte confundit simultatem probabilitatis, quæ non repugnat, cum probabilitate simultatis, quæ repugnat: nullus enim, quomodocumque opinio probabilis definiatur, potest sequi opinionem, quam directè judicat falsam, nisi saltem assumat judicium certum reflexum de ejus probabilitate; immò omnis, qui sequitur aliquam opinionem probabilem, putat eam directè veram. Rursus, confundit veritatem cum probabilitate, posse enim judicare, opinionem A esse falsam, & adhuc esse probabilem, vel probabiliorem, nam plura falsa sunt probabiliora veris: ergo judicium de falsitate non tollit probabilitatem.

N. 77. P.Thyr. Dices ex eodem *n.* 14. non posse censeri solidam, & firmam rationem ab eo, qui judicat opinionem esse falsam. Sed contra: quia evidenter constat oppositum inductione omnium DD. qui rejiciunt aliorum opiniones, ut falsas, & simul affirmant habere pro se rationes solidas; & hoc ipsum præstat P. Thyrsus, qui sæpe laudat doctrinam, & pietatem Probabilitarum, & Tutioristarum, licèt utrorumque sententiam putet falsam; si igitur opinio asserta à P. Thyrso falsa, potest habere solidam authoritatem, cur non solidam rationem? cùm omnis solida authoritas fundetur in solidâ ratione: ergo judicium de falsitate non destruit probabilitatem. Addo, quòd de cætero omnis impugnans alienam sententiam, ut falsam, posset semper, ut improbabilem, seu nullâ solidâ ratione munitam, immò ut certò falsam, damnare, nam quæ caret omni probabilitate, & habet contra se maiorem probabilitatem, quæ juxta P. Thyrsum ex P.Suar. *lib.* 8. de Leg. *cap.* 13. est quædam certitudo moralis, si excessus probabilitatis certus sit, est certò falsa; hoc autem est contra modestam Theologorum indolem. P. Suar.

N. 78. P.Thyr. Instas ex P.Thyrso *diss.* 1. §. 6. *n.* 27. meliùs opinionem probabilem de honestate actus ita definiri: Est, quam aliqui viri probi, & sapientes, post accuratum studium, & diligens examen rationum pro unâ, & alterâ parte, citra passionem, & culpam judicant, eum actum esse honestum, aut saltem licitum, ob fundamenta, quæ illis visa sunt gravia, magna, ac digna impetrare assensum ab homine perito, & prudenti, id est, ob fundamenta, quæ infra infallibilitatem, & evidentiam, visa sunt urgentiora fundamentis partis contrariæ; nullus enim vir prudens, probus, & doctus, judicare potest rem esse licitam, quin pro hac parte inveniat maius fundamétum, quàm pro contrariâ. Hæc ad verbum. Dein *n.* 40. ait: Opinio probabilis est, quæ concipitur ob rationem, aut rationes præseferentes veritatis apparentiam, ut ob illas vir prudens, sine ullâ præcipitatione, & passione, judicet rem esse veram, licet agnoscat non repugnare, quòd sit falsa, quia medium assentiendi non est demonstrativum; & ideo peccat definitio P. Esparzæ 1. 2. *qu.* 23. quod non addat, quod motivum debet apparere grave *opinanti citra passionem, & culpam, post debitam veritatis inquisitionem*: Hæretico enim motivum apparet magnum, sed ex superbiâ, & cæcitate voluntariâ, ob negligentiam culpabilem inquirendi veritatem; quæ incommoda, ait, caviisse P. Terillum, dum dixit, cui motivo homo *irreprehensibiliter* assensum præbet. Demum idem P.Thyrsus *n.* 36. & 37. citat Card. Lauream, & alios cum Cottonio *contr.* 5. *cap.* 5. *qu.* 5. & ait: *Omnes antiqui, tam Philosophi, quam Theologi, probabile pro eo, quod nunc probabilius dicitur, frequentius usurpabant.* Ex quo infert, quod probabile sumi potest pro verosimili, & pro approbabili: in primo sensu, una pars contradictionis potest esse verosimilior alterâ, & utraque respectu ejusdem intellectus potest esse verosimilis; non in secundo, quia sola mihi verosimilior, cùm sola sit digna assensu, sola est à me approbabilis per prudentem assensum. Hæc P.Thyrsus.

N. 79. P. Esparz. P.Teril. C.Laur. Cotton.

Sed contra 1. quia omnia, quæ applicat opinioni probabili, applicari possunt probabilissimæ, immò moraliter certæ. Contra 2. quia repugnat omni bonę Logicæ addere definitioni alicujus rei, vel demere illud ipsum, quod suppositâ definitione controvertendum est; qui enim res ita definit, quæstiones fugit, & timet; ita mala esset Dei definitio in hæc verba, Est ens à se includens omnem perfectionem, & excludens omnem distinctionem ex naturâ rei Scotisticam inter attributa, & essentiam; & omnem distinctionem virtualem intrinsecam inter prædicata communia, & ipsas relationes; mala, inquam, esset hæc definitio, quia non relinquit locum quæstioni, an detur inter attributa communia, & essentiam distinctio ex naturâ rei, ut omnes Scotistæ affirmant, & omnes alij negant; & quia tollit quæstionem, an inter attributa, & relationes Dei, detur

N. 80.

detur aliqua distinctio virtualis intrinseca, ut ferè omnes affirmant, nè de eodem secundùm idem dicantur contradictoria; an non, sed sola detur identitas mixta distinctione reali Personarum, ut expressè docuit P. Nicolaus Martinez, Primarius in Rom. Collegio Theologiæ Professor, & Præceptor meus, quem Romanę Purpuræ, tamquam Theologum omni plausu maiorem, veneratæ sunt: ergo dum P. Thyrs. definit opinionem probabilem, quæ est digna assensu, ob fundamenta infra infallibilitatem, & evidentiam, visa *urgentiora* fundamentis opinionis oppositę, non benè eam definit; per hoc enim tollitur celebris controversia, non tantùm Philosophica, an intellectus possit physicè assentiri minùs probabili, sed Theologica, an licitè, & prudenter possit. Contra 3. quia nisi DD. in definitione rei conveniant, nulla de rei passionibus potest esse quæstio: ergo, ut locum habere possit quæstio de licito usu opinionis minùs, certo tamen probabilis, non debet definiri opinio probabilis, quæ nititur fundamento *urgentiori*, nam confunditur cum probabiliori, sed fundamento *urgenti*. Contra 4. Tantùm abest, ut omnes Antiqui Philosophi, & Theologi sumpserint *probabile pro eo, quod nunc dicitur probabilius*, quin oppositum est certum, nam S. Thom. & alij DD. ut alibi dicam, dum propriam vocant probabiliorem, oppositam vocant probabilem; & non potest sine injuriâ dici, Antiquos TT. & Philosophos fuisse Latini idiomatis adeo ignaros, ut quid inter positivum, & comparativum interfit, nescierint, præsertim, cùm in re Theologicâ formalissimè loqui teneantur, & non usurpare voces, nisi in sensu rigoroso, maximè in re morali, & quoties quæstio ex professo tractatur, & tota est inter positivum, & comparativum. Quare dico, & dicam, quòd si utraque pars est verisimilis ex fundamento gravi, utraque est seorsim approbabilis. Contra 5. Sicut Probabilioristæ possent meritò nos carpere, si definiremus opinionem probabilem, quòd est assensus nixus motivo gravi, ita ut vir prudens illi, etsi minus gravi, licitè nitatur; hæc enim non est definitio opinionis probabilis, sed minùs probabilis, & in eâ definitione asseritur, quòd controverti debet, an licitè ei nitamur; ita nec audiendus est, qui definit opinionem probabilem, Est assensus nixus motivo urgentiori, ita ut non liceat assentiri minùs urgenti; hæc enim definitio est opinionis probabilioris, & tollit quæstionem, an liceat usus opinionis minùs tutæ, minùs probabilis.

P. Nic. Mart.

N. 81.

N. 82.

Quartùm est, si opinio probabilis est, quæ movere potest intellectum ad prudentem assensum, sequitur, idem esse judicium probabile, ac prudens, idemque probabilitatem, ac prudentiam; hoc est falsum; nam Judex probabiliter judicat, Petrum esse reum, nec tamen potest eum prudenter damnare. Ita Jacobus à S. Domin. Sed contra eumdem stat P. Card. *tom.* 3. *d.* 56. *n.* 173. quia illegitima est arguendi forma, Judex probabiliter judicat Petrum esse reum, nec tamen potest eum prudenter damnare: ergo probabiliter, & prudenter, non sunt idem; hoc enim modo arguam etiam ego: Paulus habet in vaginâ ensem, nec tamen potest gladium de vaginâ educere: ergo ensis, & gladius non sunt synonyma. Ut bona sit, debet ita fieri: Judex censet probabiliter, Petrum esse reum, & tamen non censet prudenter: ergo probabiliter, & prudenter non sunt synonyma. Dico ergo, illud idem judicium Judicis, quod est probabile, illud idem esse prudens, & illud idem, quod non est probabile, non esse prudens; & econtrà. Duo sunt in Judice judicia, primum est de reatu Petri, quod suppono probabile, & hoc idem est prudens; secundum est de damnatione Petri probabiliter rei, hoc autem non est probabile, adeoque nec est prudens; arguens autem confundit primum cum secundo, & ideo nihil concludit. Addo, nos non dicere, quòd probabile, quomodocumque sumatur, idem sit, ac prudens, ut benè P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *n.* 247. & 186. nam prudentia, cùm sit virtus circa agenda, sæpe non reperitur in judicio merè speculativo: sed hoc judicium Judicis, *Petrus est reus*, est merè speculativum, quia non dictat aliquid agendũ: ergo non est prudens: quod ergo dicimus est, *omne judicium practicè probabile*, seu dictans, quid liceat, esse prudens. Hinc infero 1. *practicè probabile*, *prudens*, *licitum*, esse synonyma, nisi quod licitum, & prudens extenditur etiam ad certa. Infero 2. practicè probabile, ac verosimile ex fundamento absolutè, & respectivè gravi, esse etiam idem, non autem ac verosimile quomodocumque, ut malè supponunt de nobis Adversarij; nam opinio temeraria aliquam habet verosimilitudinem, nititur enim levi fundamento, nec tamen est opinio probabilis, seu gravis: quapropter non omnis verosimilitudo satis est ad opinionem gravem, sed quæ oritur à fundamento gravi, & ideo Adversarij ab ipso exordio decipiuntur; impugnant enim opinionem probabilem in diverso sensu ab eo, quem nos ei tribuimus.

Jac à S. Dom. P. Card.

P. Card.

N. 83.

Dices ex P. Elizal. *lib.* 2. *qu.* 1. *per totam pag. mihi* 69. insufficienter definiri opinionem probabilem per fundamentum grave, primò, quia

N. 84.

P. Eliz.

quia cùm gravitas dicatur respectivè ad intellectum, & quod unus intellectus judicat grave, alter judicet leve, consequenter opinio probabilis per motivum grave definita, obscurissimè definitur. II. quia ignotum nobis est, qui sint viri verè graves, & docti: ergo dum motivum grave definitur per ordinem ad intellectum doctorum, & gravium virorum, nil explicatur, explicatur enim ignotum per æquè ignotum. III. quia eò ipso probabilitas intrinseca, seu quæ nititur motivo gravi, exponeretur per extrinsecam, seu per authoritatem gravem, & sic una species per aliam. IV. quia daretur circulus vitiosus, nam ratio gravis explicatur per Authorem gravem, & Author gravis per rationem gravem. V. quia inter DD. licèt dentur aliqui certò graves, dantur etiam alij certò leves, & alij medij inter graves, & leves; cùm autem impossibile sit determinare, qui sint graves, qui leves, nam decrementum à gravitate fit insensibiliter, consequenter insufficienter definitur opinio probabilis per rationem gravem, & ratio gravis per Doctorem gravem; ut enim implicat determinare, qui Doctor sit gravis, qui levis, ob datam rationem insensibilis decrementi, ita etiam erit impossibile determinare, quæ ratio sit gravis, quæ levis, cùm una distet sæpe insensibiliter ab aliâ.

N. 85. Respondeo 1. nil horum me tangere, ego enim non definivi opinionem probabilem per motivum grave, utendo hoc termino obscuro *grave*, sed explicui, quid sit *grave* per verba magis clara, nempe, quod habet vim movendi intellectum hominis docti, & pij, nullâ hìc, & nunc passione laborantis; nec potest clariùs explicari natura motivi gravis.

N. 86. Respondeo 2. miserum esse argumentum, quod non tantùm premit, sed opprimit suum Authorem; tale autem est adductum à P. Eliz. nam quæro, quomodo verum sit, quod toties dicit, quòd idiota fidere debeat viro prudenti, & fide digno, & similia? licèt enim notorium sit dari viros prudentes, & imprudentes, & medios inter utrosque, attamen decrementum à prudenti ad imprudentem est insensibile; quâ igitur ratione idiota fidere poterit suo Parocho, aut Confessario, cùm P. Eliz. impossibile sit juxta calculum P. Eliz. scire, an hic numero homo sit prudens?

N. 87. Respondeo 3. admisso, quòd opinio intrinsecè probabilis per motivum grave, definiatur obscurè, adhuc argumentum non urgere; gravitas enim motivi sumitur tunc ab intellectu, non quorumcumque, sed peritorum; nec hoc est explicare genus opinionis probabilis per speciem, seu probabilitatem extrinsecam; quilibet enim scit, quid sit hominem esse in aliquâ materiâ peritum, etsi nihil omnino cogitet de probabilitate in genere, aut in specie: nam peritia est aptitudo penetrandi materiam, quæ aptitudo est diversa ab eo, per quod probabilitas extrinseca constituitur; assensus enim viri prudentis, per quem probabilitas extrinseca constituitur, supponit in eo peritiam: ergo non est formaliter ipsa peritia. Immò non video, quomodo vitiosum sit, explicare genus per speciem, cùm hoc sæpe contingat, putà, quoties species est notior genere; tunc enim à magis noto progredimur ad minus notum, & à particulari ad sciendum, quid sit universale, ita ex eo, quòd notum nobis sit, animal sentire, videre, tangere, progredimur ad definiendum animal in genere, & sit principium sentiendi: ergo etiam ex eo quod nobis constet, quid sit probabilitas extrinseca, licitè progredimur ad definitionem probabilitatis in genere, explicando eam tamquàm per connotatum, per probabilitatem extrinsecam nobis antea notam. Hinc

Ad 1. dico, gravitatem motivi dici respectivè ad intellectum hominis verè docti, & pij. N. 88.

Ad 2. dico, inter DD. aliquos esse ferè in omni materiâ Theologicâ, respectu omnium, notoriè peritos, tales sunt S. Thom. S. Bonav. S. Antonin. C. Caietan. M. Godoy, M. Joan. à S. Thom. Mastrius, Bordonus, P. Suar. P. Vasques, P. Moya, C. de Lugo, & alij; aliquos esse in rebus magis obvijs notoriè peritos, non ita in abstrusis, & difficilioribus: primis, quilibet quantùmcumque doctus, stare potest; secundis, stare potest quilibet, qui rebus obvijs involvitur, ut sunt rustici, idiotæ, & plerique rudes, qui parêre tenentur suis Confessarijs, qui publicam sufficientiæ famam nacti sunt: quod si contingat, ut rectè P. Teril. de Reg. morum *qu.* 23. *n.* 12. quòd homo ille sit reverà insufficiens, deerit illi ad summum probitas, & peritia, quoad se, non tamen quoad alios, quia prudenter præsumunt, eum habere sufficientiam, & ex tali præsumptione diriguntur ad prudenter operandum. Denique, vel judicans de alterius doctrinâ est doctus, vel rudis? Si rudis, non debet judicare: si doctus, facilè sciet, qui sint, & habeantur periti, facilè enim videt, qui DD. rem diligenter examinarunt. Lege P. Teril. *qu.* 2. 5. & 6. de Consc. prob.

S. Tho. S. Bonavent. S. Antonin. C. Caic. M. God. M. Joann. à S. Thom. Mastr. Bordon. P. Suar. P. Vasq. P. Moy. P. Teril.

Ad 3. patet ex primo, nempe non esse vitiosum exponere genus per speciem, quoties species est notior genere; regulariter autem species, seu particularia notiora sunt genere, N. 89.

quod

quod est universalius, & à speciebus ascendimus ad genus.

N. 90. Ad 4. dico, nullum committi circulum; nam homo gravis non explicatur per rationem gravem, sed per peritiam, & probitatem, & diligens examen, quo res resolvit, & ratio, cui nititur, dicitur gravis ab examine, peritiâ, & assensu talis Doctoris aliunde notorie gravis.

N. 91. P.Ter. Ad 5. scitè monet P. Teril. de Reg. mor. *qu.*23. *n.*22. eo argumento probari, nullam dari materiam levem in furto, (quod idem dici potest de quantitate requisita ad violationem jejunij, de necessitate gravi, aut extremâ obligante ad eleemosynam, de qualitate laboris die festo prohibiti, de quantitate stipendij officialium, nè injusti sint) eo quia delcendendo à materiâ sufficienti pro furto gravi, ad minimam, descensus fit per gradus insensibiles, non minùs, ac in casu de sufficientiâ Doctorum à certo sufficientibus ad insufficientes, descensus fit per gradus insensibiles: immò argumentum probat, nullam dari materiam furti gravis, (idem dic de alijs) quia incrementum sufficientiæ ab insufficientiâ fit per gradus insensibiles; quare eo tandem tendit arguendi modus P.Eliz. P.Eliz. ut nullum, etsi maximum, Ecclesiæ Doctorem tuto sequi possimus; vel enim, qui proximè distat ab isto, est sufficiés, vel non?

N. 92. Si non; ergo nec ille, quia parùm distat ab isto: si est, quæram de alio tertio, qui est proximus huic secundo? deinde de quarto, qui est proximus huic tertio? & sic descendendo, probabo, quemlibet esse sufficientem, quia primus eorum, qui dicitur insufficiens, non excedituir, nisi uno gradu, ab ultimo sufficientium: ergo omnis erit sufficiens. Similiter probabo, nullum esse sufficientem, quia ultimus inter sufficientes, non nisi uno gradu, excedit primum inter sufficientes: ergo nullus erit sufficiens. Demum dico, certum esse plurimos dari Authores notoriè graviſſimos apud omnes; rursus certum est alios dari respectu priorum mediocres; alios etiam, si ita loqui licet, leves, quorum tamen non grandis catalogus formari potest, P.Teril. ut non benè supponit P.Eliz. Subdit P.Teril. *n.*24. inter Authores Catholicos, etsi N. Casuistas, alicujus famæ, & nominis, nul- 93. lum esse, qui non sit sufficiens, quoad hoc, nempe ad discernendum rationem, & Authorem gravem à levi; vel enim sermo est de illis, qui rem superficialiter, seu ad litteram leviter tractant, ad quam classem reducuntur Casuum Compilatores, qui vel solas assertiones compilarunt, vel brevem tantùm rationem insinuant; plurimi autem ex his, licèt levi calamo scripserint, non tamen levi doctrina instructi fuerunt; aliunde enim scitur fuisse præstantes, & doctos: vel sermo est de alijs, qui conscientiæ casus compilarunt, attamen aliunde non scimus fuisse insignes; & tunc dico, quòd dicti Compilatores in ordine ad id quod præstant, sunt graves; quod enim ordinario præstant, est, sententias communes proponere, ut assertas à viris gravibus: quòd si quis aliquid novum proponat, ei standum non erit.

Ex his præoccupata, & soluta manent alia N. argumenta, quæ trahit idem P. Eliz. *lib.* 2. 94. *qu.*2. nempe, quòd qui motivum probabile P.Eliz. exponunt per hoc, quòd fundet judicium prudens, committant circulum; nullum enim committunt, quia aliunde sciunt, qui sint periti, & prudentes in tali materia. Plura P.Teril. *qu.*24. de Reg. morum dicens, ru- P.Teril. des clarè scire, qui sint prudentes quoad se.

Similiter soluta manent argumenta Pa- N. lanci *qu.* 22. §. 2. dicentis, motivum proba- 95. bile dehiri non posse per prudentiâ assenti- Palanc. endi, primò, quia (ait *n.* 17.) committitur circulus, nam motivum grave, & probabile, definimus per prudentiam assentientis; prudentiam autem assentientis definimus per motivum grave, cùm tamen motivum probabile independenter à prudentiâ assentientis definiendum sit; ut ex eo sciamus, qui prudenter, qui imprudenter assentiatur. Secundò, quia (ait *n.* 19.) sequitur, omnem opinionem esse probabilem, quia negare non possum ejus Authorem fuisse prudentem in ejus assensu, nemo enim dicet fuisse imprudentem. Verùm ad hæc omnia patet solutio ex immediatè dictis ad argumentum P.Eliz. non enim nos definimus opinionem probabilem per motivum grave obscurè sumptum, sed quid sit grave aliunde explicamus, & quid sit homo prudens, scimus, independenter à motivo gravi. Addo retorqueri contra Palanco *n.* 20. explicantem, quid sit probabile extrinsecè, & authenticè; ait enim Arist. ex Arist. 1. Topic. *cap.* 1. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis;* & ex hoc textu infert sequentes regulas, nempe, quòd judicatur verum ab omnibus, vel saltem à plerisque, esse authenticè probabile: rursus, quod judicatur verum à sapientibus, si tale judicetur ab omnibus, vel à plerisque sapientibus, esse etiam authenticè probabile; vel si non à plerisque sapientibus, attamen existimatur verum à præstantioribus, & maximè notis. Hæc Palanco: ecce definit probabile extrinsecè (immò, quod plus est, definit verum) per judicium

dicium sapientûm; quæro autem, quinam sint sapientes? an illi, qui assentiuntur ex gravi ratione, & sic committet circulum; an aliunde? & sic mutet terminum sapientis in terminum prudentis, & nihil habebit, quod nobis objiciat, nisi se feriat.

N. 96. M.Bar. Instabis ex Baron. 2.p. Manuduct. d. 1 sect. 1.§.4. pag. mihi 33. Opinio probabilis debet niti firmo fundamento: sed quod pari, aut validiori impetitur, non est firmũ: ergo &c.

P.Scild. Idem insinuat P.Scildere tr. 2. de Conic. formandâ cap. 2. §. 1. n. 12. pag. mihi 68. qui ait, quòd quando pro utràque parte occurrunt rationes, nec rationes unius partis longè superant alias, opinio formata non sit probabilis, nam æquales, aut ferè æquales mutuò se elidunt. Respondeo huic argumento nos abundè satisfacturos alibi, ubi dicemus, quòd probabilitas non tollit probabilitatem; aliàs væ Thomistis impugnatis à Scotistis, & econtra; immò væ Barono nos impugnanti, nam ejus sententia, & P. Scildere non esset probabilis nobis.

§. III.

Argumentum P. Elizaldæ, & Palanco ex definitione Aristotelicâ.

SUMMARIUM.

Celladei probabilitatem conscientiæ, vocat realem, & positivam, n. 97.
Probabile ex Arist. ibid.
Eâdem definitione utitur Palanco, n. 99.
Rejicitur a P. Esparza, n. 100.
Dico, esse definitionem probabilis pro Rhetore, non pro Theologo; nec convenit omni probabili, n. 101. 102.
Celladei ait, quòd licèt ad opinionis probabilitatem non sit necesse, ut ejus objectum plerumque contingat; esse tamen necesse ad probabilitatem conscientiæ, n. 103.
Impugno pluribus, n. 104. ad 120.
S. Thom opinionem negantem fatendas circumstantias speciem non mutantes, vocat probabiliorem, n. 108.
DD. hoc tuentes, n. 109.
Aristot. vult, quòd plerumque contingens sit probabile, non econtra, n. 111.
Dico contra Celladei, tum quòd necessaria sint etiam probabilia; tum quòd omne opinabile non sit semper probabile; tum quòd evidentia, certitudo, probabilitas, non insint objecto, sed intellectui diverso lumine idem objectum proponenti, n. 113. ad 119.

N. 97. P.Eliz. QUintum est P. Eliz. qui postquam *lib.* 2. plures fatigavit paginas, rejiciendo communem opinionis probabilis definitionem, tamquam insufficientem ad *probabilitatem conscientiæ* statuendam, tandem *qu.* 16. docens, quid sit probabilitas conscientiæ, quam vocat *realem*, & *positivam*, inhærens doctrinæ Emin. Pallavicini *d.* 8. de Act. Hum. *qu.* 76. *art.* 4. *n.* 10. quem laudat, & sequitur, ait, probabilitatis realis, seu conscientiæ definitionem sumendam ex Aristotele definiente, *Probabile est, quod plerumque contingit*, & miratur, quòd, cùm hoc sæculo tanto calore certetur de probabilitate, nullus præter dictum Cardinalem rem hanc ex Philosophi principijs exorsus sit. Quatuor itaque pro suo intento congerit Aristotelis testimonia. Primum ex 2. *Priorum cap.* 28. Pallav. Arist. secundum ex 2. *Ethic. cap.* 3. tertium ex 1. *Ethic. cap.* 3. quartum ex 1. *Rhetor. cap.* 2. cui præ cæteris insistit, in quo Arist. ait: *Probabile namque est, quod ferè semper fieri solet, verum non simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod de ijs sit, quæ aliter se possunt habere, ac se habet ad illud, quod est probabile, sicut universale ad particulare.* Deinde trahit regulam 44. *in* 6. *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: ergo (inquit P. Eliz.) probabile in se, & secundùm se (quidquid sit de probabili apparenti, quo Rhetores, & Sophistæ utuntur) est, quod plerumque contingit; ut enim ad syllogismum probabilem necesse est, ut medium plerumque ita se habeat, si enim indifferenter se habeat ad verum, & falsum, non potest haberi syllogismus probabilis; ita ad hoc ut aliquid dicatur probabile, necesse est, ut sit aliquid plerumque contingens. Regul. 44.

Hoc magis declarat §. 2. & 3. *pag. mihi* 113. ubi dividit triplicem objectorum classem, & ait aliqua ita se habere necessariò, & hæc sunt scibilia; aliqua ita se habere necessariò naturaliter, & hæc sunt naturaliter, vel moraliter certa; aliqua non semper ita se habere; quam tertiam classem subdividit in ea, quæ non quidem semper, sed ferè semper ita se habent; & in ea, quæ non magis ita, quàm non ita se habent; & in ea, P.Eliz. quæ magis quidem ita se habent, quàm non ita, non tamen adeo, ut frequens non sit etiam ea non se habere ita: dein ait probabile latère in hac divisione objectorum, quæ non ita semper contingunt, nec sunt semper ita. Et §. 4. confirmat hoc, quòd sicut medium habens totalem determinationem cum conclusione generat assensum certum conclusionis; medium habens inclinationem non totalem, sed impedibilem, generat conclusionem opinativam; medium nullam habens connexionem cum hâc præ illâ conclusione, nullum generat determinatum assensum: N. 98.

sensum; ita omnis opinio probabilis, tunc probabilis erit, quando suberit alicui medio plerumque ita se habenti. Tandem §. 5. ostendit ex Arist. non satis esse ad probabile, quòd objectum ferè semper ita se habeat, sed etiam requiri, ut sic se habeat ad illud, quod est probabile, sicut universale ad particulare, quia omnis conclusio particularis deducitur ex præmissâ universali. Hæc P. Eliz. Lamentaberis, benevole lector, de meâ prolixitate, quod argumentum paucis exponendum, tantâ verborum copiâ dilataverim; verùm, ut uno intuitu experireris, quæ, & qualis sit doctrina Cellad. & quantum paginarum in re paucis exponendâ insumere pro more habeat, hoc ipsum, quod ille maiori longè prolixitate, & fortè obscuritate exponit, strictiori calamo tibi subjicere malui; ut inde discas Theologis aliorum volumina volventibus æquali opus esse patientiâ, ac ingenio. Lege eumdem Celladei, si fortè non credis.

N. 99. Palanc. Consonat Palanco vir sanè ingeniosus *qu.* 22. qui definit probabile esse id, quod ferè semper, aut plerumque contingit; & præter S. Th. Arist. citatum trahit S. Thomam 2. 2. *qu.* 70. *art.* 2. qui definit probabilem certitudinem, *quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat*: deinde *n.* 4. aut motivum probabile rectè definiri, *Quod plerumque veritatem infert, & raro fallit;* & ut hoc explicet, utitur eâdem doctrinâ connexionis motivi cum conclusione, clariùs tamen, quàm Cellad.

N. 100. P.Teril. P. Esparz. P.Moy. Emin. Pallav. P.Perez P.Teril. P. Esparz. Respondeo cum P. Teril. *qu.* 2. de Cõsc. prob. à *n.* 11. P. Esparza in Append. *qu.* 1. *art.* 90. P. Moya *tom.* 2. *qu.* 1. *n.* 8. qui omnes allatam ex P. Eliz. doctrinam acriter impugnant. Primò, quia supponit falsum; non enim primus Author definitionis probabilis ex Arist. sumptæ fuit Emin. Pallavic. sed P. Ant. Perez *tr.* 1. de Just. *d.* 4. *cap.* 2. *n.* 21. qui eam in Romanum Gymnasium priùs invexit, cum hoc discrimine, quòd licet Aristotelicam *probabilis* definitionem sit secutus, ut etiam fecit P. Teril. de Reg. mor. *qu.* 37. *n.* 1. qui de se fatetur se Aristotelem per omnia secutum in definiendâ probabilitate, tam intrinsecâ, quàm extrinsecâ; attamen in præcipuo puncto de licito usu opinionis minùs probabilis uterque affirmativam sententiam docuit, quando P. Eliz. ex eâdem definitione negativam intulit. Addit P. Esparza eamdem definitionem sibi in mentem venisse, eam tamen repudiasse, non tantùm, quia eâ definitione adeò cuique Philosopho obviâ nullus Theologus usus fuit, sed etiam quia nullo modo quadrare potest rebus moralibus. Addo ego eamdem definitionem esse potiùs definitionem probabilis pro Rhetore, & Sophistâ, quàm pro Theologo Morali; quâ enim ratione Aristoteles in Rhetoricâ tradat definitionem probabilis Philosopho-Moralis? Ut autem probabile Rhetoris, & Sophistæ diversum est à probabili Theologico, ut etiam tuetur P. Eliz. ita etiam definitio probabilis Theologico-Moralis debet esse diversa. Secundò aut P. Teril. *qu.* 2. de Consc. prob. quòd ea definitio non convenit omni propositioni probabili, cùm enim ejus sensus sit, quòd opinio, & motivum probabile sit id, cujus tanta est veritatis apparentia, ut omnes illi æquales in unum collectæ sæpius uniantur veritati, quàm falsitati; adhuc toto hoc dato, nisi aliud addatur, insufficiens erit pro re præsenti, quia per illam vix sciri potest, an hæc determinata opinio sit probabilis; non nisi enim post longam experientiam sciri potest, an tantâ gaudeat veritatis apparentia, ut omnes opiniones illi æquales sæpius uniantur veritati, quàm falsitati. Tertiò idem P. Teril. *n.* 11. & Moya; quia hæc definitio, *probabile est, quod plerumque contingit*, nulli individuo probabili convenit, quia nullus casus singularis plerumque contingit: ergo nullus talis erit probabilis. Quòd si dixeris probabilitatem casus singularis sumi ex eo, quòd in similibus plerumque contingit: Contra evidenter; quia plura sunt, quæ semper, aut numquam contingunt, & tamen juxta omnes sunt probabilia: ergo probabile non est id, quod plerumque contingit, cùm id, quod semper, aut numquam contingit, sit etiam probabile. Antecedens probatur: Probabile est, Cælum esse fluidum, Deum prædestinare electos ante merita absolutè prævisa, dari in Deo distinctionem virtualem, subsistentiam Divinam esse quid positivum, creatam quid negativum, decreta libera Dei compleri extrinsecè; & tamen hi casus non sunt de re plerumque, sed vel semper, vel numquam contingenti: ergo evidens est, quòd ut aliquid sit probabile, non est necesse, ut sit de re plerumque, vel ferè semper in similibus individuis contingenti.

N. 101. P.Teril. N. 102. P.Moy. N. 103. P.Eliz.

Dices ex P. Eliz. ad probabilitatem opinionum non requiri, ut sit de re plerumque contingenti, potest enim aliquid esse probabile, quin plerumque contingat, ut patet exemplis allatis; nam probabile est gratiam esse, & non esse intrinsecè efficacem; (quod idem dici potest de contradictorijs æquè probabilibus) & tamen implicat, ut plerumque contingat, imò necesse est disjunctum, nempe

nempe vel esse intrinsecè efficacem, vel non esse talem; attamen ad probabilitatem conscientiæ, de qua agit Arist. requiri, ut sit de re plerumque contingenti. Sed

N. 104. Contra 1. quia Arist. vel tradidit definitionem probabilis in genere; tunc autem, quidquid requiritur ad probabilitatem opinionum, requiritur ad probabilitatem conscientiæ, & quidquid ad probabilitatem speculativam, ut probabilitas est, requiritur etiam ad practicam, ut probabilitas sit, & vice versa: ergo vel ad utramque, vel ad neutram probabilitatem requiritur, ut sit de re plerumque contingenti, id est, ut sit res plerumque contingens: vel definivit probabilitatem in specie, & ad hanc dicit necessariam esse, ut sit plerumque contingens; tunc autem Philosophus potiùs locutus est de probabilitate speculativa, quàm practicâ; quis enim ne somnians quidem dicat, Philosophum de probabili conscientia locutum, cùm dixit, requiri ut sit plerumque contingens? cùm enim Aristoteles Philosophum ageret, cujus officium est tractare de probabilibus speculativis, & non nisi rarò in Ethicâ de practicis, sequitur, quòd potiùs probabile speculativum definierit: ergo vel, ut aliquid dicatur probabile, non est necesse, ut illud sit plerumque contingens, vel si ad probabile conscientiæ hoc requiritur, requiretur etiam ad speculativè probabile: sed hoc est evidenter falsum ex exemplis suprà allatis: ergo & illud.

N. 105. P. Eliz. Contra 2. quia si, ut idem P. Eliz. sæpius repetit, sola connexio hujus principij, *ferè semper contingit*, reddit rem dignam assensu, & probabilem; sequitur, quòd cùm opiniones D. Thomæ, & D. Bonav. vel Scoti sint dignæ assensu, nitantur illi principio: sed hoc est evidenter falsum; est enim evidenter falsum utrumque contradictorium sæpius contingere; si enim A plerumque contingit, B contradictorium non plerumque contingit; ex. gr. si plerumque essentia, & existentia distinguuntur realiter, sequitur, quòd non plerumque non distinguantur realiter: ergo, ut quid sit probabile, non debet esse plerumque contingens. Idem probo in opinionibus contradictorijs D. Thomæ, & Scoti ad conscientiam spectantibus, quarum utraque est probabilis probabilitate conscientiæ, & tamen implicat, ut quælibet plerumque contingat: ex. gr. S. Thomas S.Tho. 3. *p. qu.* 72. *art.* 8. *ad* 4. secluso contemptu, liberat à mortali non suscipientem Sacramentum Confirmationis; Scotus autem Scotus. *dist.* 7. *qu.* 2. asserit peccare mortaliter non suscipientem dictum Sacramentum, etiam secluso contemptu, putat enim dari præceptum Divinum de eo suscipiendo. Nunc ita arguo: N. Implicat, ut plerumque contingat peccare, 106. & non peccare mortaliter non suscipientem Confirmationem; est enim ex terminis notum, quòd quò sæpius contingit unum contradictorium, rariùs contingit aliud: ergo alterutrum ex his non plerumque contingit: sed hoc alterutrum est etiam probabile, nam utraque opinio est probabilis; immo opinio Scoti, quia obligat, est magis tuta opinione D. Thomæ deobligante; fortè enim sequens D. Thomam, si datur præceptum, peccabit materialiter: ergo potest quid esse probabile probabilitate conscientiæ, quin sit de plerumque contingenti.

Contra 3. Si probabile est, quod plerum- N. que, aut ferè semper contingit, ut vult Cel- 107. lad. quæro, quid erit *probabilius*? Utique Cellad. quod semper contingit. Modò sumo easdem D. Thomæ, & Scoti contradictorias opiniones: una affirmat præceptum de suscipiendâ Confirmatione, & est Scoti, eamque suppono minùs probabilem, licet magis tutam; altera negat illud præceptum, & est D. Thomæ, & suppono probabiliorem, licèt minùs tutam: jam sic: Si probabilius est non peccare non suscipientem Confirmationem, semper continget non suscipientem non peccare: ergo numquàm continget, quòd non suscipiens peccet: ex alterâ parte, si probabile est, non suscipientem peccare, ferè semper continget non suscipientem peccare: ergo vix continget, quòd non suscipiens non peccet: sed implicat, ut semper contingat non suscipientem non peccare, & ferè semper contingat eumdem peccare: ergo data explicatio *probabilis* per ferè semper contingens, est prorsus insufficiens, & imbibit contradictionem. Quòd autem dari pos- N. sit duplex opinio probabilis, immò una pro- 108. babilior alterâ ex contradictorijs, est omnino evidens; nam S. Thom. in 4. *dist.* 16. *qu.* 3. S.Tho *art.* 2. *quæstiuncula* 5. ait: *Quidam dicunt omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri, si memoriæ occurrant; alij verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantia, quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est.* Ecce per hoc ipsum, quod S. Thom. vult probabilius esse, non esse confitendas circumstantias notabiliter aggravantes, eò ipso supponit probabile esse, esse confitendas dictas circumstantias: ergo supponit probabilem opinionem suæ contradictoriam. Porrò sententiam negantem N. necessariò confitendas circumstantias purè, 109. licèt notabiliter, aggravantes, præter S.Thom.

Duran. S. Bon. vent. Scotus, S. Antonin. Paluda. Turrec. Navar. P. Vasq. P. Val. Duard. M. Mar. P. Henriq. P. Fagu.

S. Thomam, sequuntur Durandus in 4. *dist.* 16. *qu.* 4. D. Bonav. *dist.* 17. *qu. ultimâ*, Scotus, D. Antonin. Paludanus, Turrecre. Navarrus, P. Vasqu. P. Valenc. & plurimi alij apud Duardum in *caput*, Omnis utriusque sexus, *d.* 3. *sect.* 3. *n.* 76. licèt ei non adhæreat; quare miror M. Joan. Mart. de Prado de Pœnit. *pag. mihi* 649. *n.* 16. dixisse, sententiam negantem non posse tutâ conscientiâ practicari; miror, inquam, tum quia plurimi sequentes affirmativam oppositam, expresè vocant probabilem sententiam negantem: ita sentiunt P. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. P. Fagundez de Præceptis Ecclesiæ, secundo præcepto *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 6. in fine,

Villal. Diana,

Villalob. Diana, & alij; tum quia ignoro, quid requiri possit ad probabilitatem saltem extrinsecam alicujus sententiæ, si dicta sententia negans non est probabilis. Ratio à priori contra Eliz. est; quia implicat, ut ex eodem principio inferantur opiniones contradictoriæ: ergo cùm sæpe utraque opinio D. Thomæ, & D. Bonav. vel Scoti, contradictoriæ, sint inter se probabiles, implicat, ut eo principio, quo probatur probabilitas opinionis D. Thomæ, probetur probabilitas opinionis D. Bonav. vel Scoti.

N. 110. Cellad.

Contra 4. quia ipsamet Celladei admiratio est efficax argumentum contra eumdem; eo enim ipso, quòd nullus Theologus, ut probet suam opinionem esse probabilem, usus sit eo principio, quòd sit de ferè semper contingenti, sed alijs; sequitur, quòd hoc sit de re plerumque contingenti, esse, juxta omnes Theologos, inutile ad inferendam probabilitatem moralem, & conscientiæ, quæ huic, aut illi opinioni tribuitur. Quòd autem inutile omnino sit, patet; quia numquàm scire potero, quæ opinio in particulari sit probabilis; non enim scire possum, an objectum talis opinionis ferè semper contingat: ergo licèt ea definitio, *quod ferè semper contingit*, esset definitio opinionis probabilis in genere, numquàm tamen servire potest ad cognoscendum, an hæc, vel illa in

P. Teril.

particulari sit probabilis. Plura P. Teril. *qu.* 37. de Reg. morum *a n.* 11. qui addit *n.* 14. Philosophum non definijsse probabile esse, *quod ferè semper contingit*, ut vult P. Eliz. sed quod *plerumque* contingit, ut autem plerumque contingat, non est necesse, ut ferè semper contingat.

N. 111. P. Esparz. P. Moy.

Ad definitionem *probabilis* ex Arist. ait P. Esparza, eum unicè intendisse declarare probabile syllogisticum, & universale, non autem practicum, & singulare: verùs tamen P. Moya *tom.* 2. *qu.* 1. *n.* 13. ait, Philosophum non velle, quòd omne probabile sit plerumque contingens, sed econtra, quòd omne plerumque contingens sit *saltem probabile:* dico, *saltem*; nam S. Thom. 2. 2. *qu.* 70. *art.* 2. quod ferè semper contingit, vocat *certum*, adeoque excludens probabilitatem partis oppositæ. Hinc, qui vult, quòd omne probabile debeat ferè semper ita esse, confundit probabile cum certo. Quòd autem hæc fuerit Philosophi mens, planum mihi est; cùm enim eo loco agat de modo formandi syllogismos probabiles, dixit, assumendum aliquid universale, quod reperitur in pluribus, & ex eo arguendum, ex. gr. volo probare Annam matrem diligere filium suum, assumo pro medio, pleræque matres diligunt filios suos, Anna est mater, ergo filium suum diligit; tò autem, *pleræque matres diligunt filios suos*, est quid repertum in pluribus, seu universale, & plerumque contingens. Velle autem, quòd omnis probabilitas sumenda semper sit à plurium experientiâ, est omnino contra Arist. nam in syllogismo probabili expositorio, quælibet propositio est singularis: ergo nihil continet, quod sit in pluribus; ut patet in hoc: Hic homo est Petrus, hic Petrus est filius Pauli, ergo hic homo est filius Pauli: immò est contra regulam Juris citatam, nam eò ipso, quòd dicit, *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*, eò ipsò innuit probabilitatem sumi, vel ex verosimili, vel ex experientiâ plurium, non autem semper ex plurium experientiâ.

Denique, ut breviter ab omnibus me expediam, dico Philosophum non voluisse, nisi quòd omne medium, quo probatur probabilitas singularis hujus, vel illius opinionis speculativæ, aut practicæ, debeat esse quid universale, seu quid contentum in pluribus; non autem, quòd talis casus singularis probabilis, à quo illud medium restringitur, debeat esse in pluribus; ex. gr. ut probem Petrum abstulisse vitam Paulo, assumo quid universale: Plerique occurrentes cum armis suo inimico, & potentes sine difficultate eum occidere, eum occidunt, Petrus armatus occurrit Paulo suo inimico, & facilè potuit eum occidere, ergo eum occidit. Ecce tò, *plerumque*, applicatur medio termino, non autem conclusioni probabili; adeoque omne probabile (in syllogismo constante aliquâ universali, non autem in expositorio) *probatur* per plerumque contingens; non autem *est* plerumque contingens: si enim omne probabile esset plerumque contingens, sequeretur, quòd

N. 112.

plerumque contingeret Petrum rapuisse vitam Paulo, quia est probabile, quòd Paulum occiderit; & tamen implicat, quòd eum pluries occiderit, nam semel occisus, non potest pluries occidi: ergo licèt omne probabile *probaretur* per plerumque contingens, non tamen omne probabile *est* plerumque contingens.

N. 113. P. Eliz. Ex his patet primò falli P. Eliz. dum *lib. 2. qu. 16.* ait, necessaria non esse probabilia; pleræque enim quæstiones Philosophicæ, & Theologicę sunt circa necessaria, & tamen non probantur, nisi medio probabili: ergo

P. Teril. non tantùm contingentia, sed etiam necessaria sunt probabilia, ut latè P. Teril. *qu.37.* de Reg.mor. *a n. 6.*

N. 114. Patet 2. multò magis decipi, dum §. 2. *pag.* 113. supponit, quòd sicut omne probabile est opinabile, ita omne opinabile est probabile, quod falsum est; nam omnis hæresis, & omne judicium temerarium est opinabile, & non est probabile.

N. 115. Patet 3. falsum etiam esse, quòd motivum conclusionis probabilis debeat esse necessariò universalius suâ conclusione; constat ex Logicâ, quia utraque prȩmissa per modum uniùs sumpta est motivum conclusionis; & constat terminum universalem uniùs præmissæ limitari per particularem alteriùs; cùm ergo motivum conclusionis determinatè sumptæ sit utraque præmissa per modum uniùs, eò ipso motivum conclusionis non est universalius conclusione; licèt enim medius terminus seorsim sumptus sæpe sit universalior conclusione, attamen seorsim sumptus non est motivum conclusionis, sed tantùm ut est in præmissis, seu ut limitatus per præmissam particularem.

N. 116. Patet 4. de ratione medij termini syllogismi probabilis esse quidem ut appareat frequentiùs connexum cum vero, non autem est, ut *sit* frequentius connexum cum vero, quapropter confunditur connexio realis, quæ non est necessaria, cum connexione apparente.

N. 117. Patet 5. falsum esse, quòd probabilia non contineantur in primâ, nec in secundâ classe, quam suprà adduxi ex P. Eliz. nam de re omnino necessariâ habere possum probabilitatem. Ratio est; quia, ut sæpius dixi, probabilitas non sumitur à contingentiâ objecti, nec evidentia à necessitate objecti, sed sumuntur à propositione objecti, quod si proponatur tantâ claritate, ut intellectus rapiatur ad assensum, habebitur evidentia objecti, sive sit contingens, sive in se necessarium: si autem non proponatur tantâ claritate, quæ rapiat ad assensum, habebitur probabilitas, sivè objectum sit in se contingens, sive necessarium: quare probabilitas, & evidentia non sunt in objectis, sed N. 118. in intellectu, & à propositione, seu lumine intellectuali evidenti, aut non evidenti naturali, denominatur objectum evidens, probabile, obscurum, certum, incertum, & similia; sunt enim denominationes derivatæ ab actu intellectus in objectum. Ex hoc constat, quàm falsum sit, quod docet P. Eliz. quòd objectum apparens ita semper se habere sit certum, & econtra non esse certum, quod ita non apparet; falsum, inquam, nam objectum necessarium probabiliter tantùm cognitum apparet ita semper se habere, nec tamen est mihi certum: distinguendæ igitur sunt formæ, quæ conveniunt objecto independenter ab intellectu, ut sunt contingentia, necessitas, possibilitas, impossibilitas, & alia omnia, quæ ex se habet objectum, à formis, quæ conveniunt objectis dependenter ab intellectu, ut sunt certitudo, evidentia, probabilitas, obscuritas, & similes. Lege P. Teril. fusissimè contra P. Teril. P. Eliz. P. Eliz. *qu.37.*

Patet 6. nostram responsionem, quòd definitio Aristotelis non conveniat omni probabili, nulli enim casui singulari probabili convenit, non esse levem, nec procedere ex non intelligentiâ, ut ait Palanco *qu.22.n.9.* Palanc. dicens, senium esse, non quòd casus singularis, qui dicitur probabilis, plerumque contingat, sed quòd attento motivo, ob quod talis casus dicitur probabilis, ita plerumque contingat, quoties adest tale motivum. Sed contra; quia huic responsioni evidenter satisfactum est, tùm in *illatione* 3. tùm ex dictis *hoc* §. N. 119.

Dices ex Palanco *n.* 16. non esse rejicienN. dam definitionem probabilis ab Arist. & S. 120. Thom. traditam; nihil enim periculosius in controversijs Scholasticis, quam ab Antiquis dissidere, si enim in definitione non convenitur à disputantibus, multò minùs in re; unde non mirum si tot sint in re præsenti de conscientiâ probabili sentętiæ, cùm ab initio quilibet sibi novam cudat probabilis definitionem. Sed contra probandum erat eam esse definitionem, cùm eam non esse, satis clarè ostenderim; quare Adversarij sunt, qui discedunt, dùm doctrinam Aristotelis, & D. Thom. non explicant, quæ tamen explicanda est, nam sumpta ad litteram non tenet.

SE-

SECTIO III.

De divisione Opinionis Probabilis.

SVMMARIVM.

Quid intrinsecè, & extrinsecè probabilis, seu rationalis, & authentica? n. 121.
Theologi Canonistis præferendi. Cur? ibid.
Extrinseca fundatur in intrinsecâ, ibid.
Quantum discordent DD. in exponendo quid sit praxis, citantur, n. 122.
Per me cognitio practica est, quæ dirigit ad faciendum, n. 123.
Arist. ait, quòd finis speculativæ sit veritas, practicæ, opus, ibid.
Cognitio speculativa, & practica non differunt semper ex objecto, sed ex modo tendendi, num. 125.
Quid speculativè, quid practicè probabilis? ibid.
Non est speculativè probabile licere jaculari in objectum probabiliter feram, n. 126.
Rejicio dicentes, quòd speculative probabilis sit, quæ bonâ ratione defendi potest; practice probabilis, quæ ad praxim reduci potest, n. 126.
Honestas, & inhonestas esse potest objectum cognitionis speculativæ, n. 127.
Rejicio DD. tuentes, quòd speculativè probabilis sit, quæ in communi, practica, quæ in particulari dictat actum licere, n. 128.
Quale sit essentiale discrimen speculativæ cognitionis a practicâ? n. 130.
Quid magis, æque, aut minùs probabilis? num. 131.
Practicè probabilis subdividitur in magis, minus, aut æquè tutam, n. 132.
Hæc divisio supponit omnem practicè probabilem esse tutam, ibid.
Quid tuta, quid tutior? ibid.
Nec mutuò, nec non mutuò est idem opinionem esse tutiorem, ac probabiliorem. DD. ibid.
Unde tutioritas, unde probabilioritas sumatur, n. 133.
Regulariter, quæ favet legi, dicitur tutior, quæ libertati, minus tuta, n. 134.

N. 121. PRima est in intrinsecè, & in extrinsecè probabilem. Intrinsecè probabilis, quæ etiam dici solet rationalis, & discursiva, est, quæ nititur fundamento rationis gravi, relativè etiam ad motiva partis oppositæ, si adsint, juxta dicta. Extrinsecè probabilis, quæ etiam dici solet authentica, est, quæ nititur proximè authoritati etiam comparativè ad authoritatem partis oppositæ, si adsit. Dixi, *proximè*, quia licèt omnis probabilitas extrinseca resolvatur in rationem, ut aliàs dixi, attamen fundamentum proximum extrinsecæ probabilitatis est ipsa authoritas, quæ deinde fundatur ultimò in ratione, ut bene P. Moya *tom. 1. qu. 1. n. 5.* Qui autem, & qualis esse debeat authoritas, paucis inter alios rem concludit Neuss. etenim *d. 1. qu. 20. n. 54. pag. 16.* postquam ex D. Thom. *Opusc. 17. cap. 9. ad 10. & Quodlib. 9. art. 10.* retulit, quod in rebus spectantibus ad finem, & mores Theologi sint præferendi Canonistis, quia illæ eruuntur à verbo scripto, vel tradito, quod est proprius Theologiæ locus, &, ut ait Lastra in *Quæst. prævijs ad Juris Pontificij intelligentiam qu. 6.* plurimi inter TT. fuerint præclari Canonistæ, ut patet ex P. Suar. Alensi, Soto, P. Lessio, P. Molinâ, & alijs, quibus ego plures addere possem, nempe M. Pasier. P. Haunol. C. de Lugo, P. Sanch. P. Giball. quin D. Thomam, qui *1. 2. qu. 90. ad 109.* plura agitat de Legibus, & *qu. 93. art. 3.* ait, Canones à Dei lege derivatos; & ideo Facultas Canonica est Theologia inferior, ait Lastra *qu. 3.* ipsaque Theologia est omnium Scientiarum suprema, ut rectè ponderat C. de Aguirre. Satis clarè constat, quòd authoritas pro opinionis Probabilitate non conflatur ex solo Authorum numero, nam certum est, quòd viginti Theologi docuerint aliquas improbabiles, ut colligere est ex Expositoribus Damnatarum: ergo sola authoritas viginti Doctorum non est satis ad prudens judicium, nisi judicem habere motiva certo gravia; quorum tamen nullum est tale, quoties oppositum est moraliter certum. Quare ille solus est omni exceptione maior, qui non est procacis, & heteroclyti ingenij, nec ad nova propensus, nec est purus Summista, aut Collector, aiunt P. Faber, P. Terill. P. Haunoldus.

P. Moy. Neuss. S. Tho. Lastra. P. Haunol. S. Tho.

N. 122. Secunda divisio opinionis probabilis est in opinionem speculativè, & in practicè probabilem; in cujus divisionis explicatione Doctores non conveniunt, nec mirum, cùm non conveniant in eo, quid sit cognitio speculativa, & quid practica. Sunt enim, qui dicunt nullum actum intellectus, etiam ut imperatum à voluntate, esse posse praxim. Ita aliqui citati à Mastrio *d. 12. Log. qu. 5. art. 1.* Sunt qui dicunt actum intellectus, si imperetur à voluntate, esse praxim; si non imperetur, non esse. Ita Complutenses *d. 1. n. 57.* Ferrariensis *3. contra Gentes cap. 25.* Capreol. in *Prol. Sent. qu. 2. concluſ. 4.* Durandus in *Prol. Sent. qu. 6. n. 5.* & alij. Sed utraque sententia impugnatur à Gregor. in Prol. Sent. *qu. 5. art. 1.* Gabriel *ibid. qu. 10.* Ocham *ibid. qu. 4* Aureol. *ibid. qu. 3. pag. mihi 33.* & ferè ab omnibus Societatis DD. P. Molin. *1. p. qu. 1. art.*

Mastr. Compl. Ferrar. Capreol Duran. Arim. Gabr. Ocham Aureol. P. Mol.

P. Vasq. P. Suar. *art.* 4. *d.* 1. P. Vasques 1. *p. d.* 8. *cap.* 5. P. Suar. *d.* 44. Met. *sect.* 13. & alij passim in *Logicâ*. Sunt qui dicunt cognitionem practicam esse, quæ judicat bonum esse facere opus positum in potestate cognoscentis. Ita P. Maurus *qu.* 11. & P. Cattaneus *d.* 2. *qu.* 1. *n.* 5. Sunt qui dicunt cognitionem practicam constitui per modum tendendi præceptivum. Sunt qui dicunt veritatem practicam esse, quæ non est expetibilis, nisi propter opus; speculativam, nisi propter se.

P. Mau. P. Cattan.

N. 123. Mihi, omissis aliorum opinionibus, quas referre possum, placuit docere, cognitionem practicam esse, quæ dirigit potentiam ad effectionem, & quæ ex naturâ suâ, seu ex suo tendendi modo ad sui objecti effectionem ordinatur. Ita dixi olim cum P. Suar. *l. c.* P. Molina *l. c.* P. Vasques *l. c. n.* 24. P. Hurtad. *d.* 11. de Animâ § 2. Caldguri. *d.* 2. *cap.* 2. Spinula *d.* 1. *n.* 23. P. Lynceo *lib.* 7. Metaph. *tr.* 5. *a n.* 2. P. Arriaga *d.* 1. *n.* 66. & alijs; & quod caput est, cum Aristotele 2. Metaph. *cap.* 1. *sect.* 3. ubi ait: Speculativæ enim finis est veritas, practicæ autem opus: & 3. de Animâ *textu* 50. ait: Practicus alicujus gratiâ ratiocinatur, & est principium agendi: idem significant alia Philosophi verba, quæ sæpe repetit: Cognitio speculativa est gratiâ sui, practica gratiâ operis; per quæ verba declarat discrimen practicæ à speculativâ; hæc enim tendit in objectum eo fine, ut sciat; illa non tantùm ut sciat, sed ut dictet esse faciendum, aut doceat modum, quo fieri debet; alterutrum enim ad cognitionem practicam satis est, & ideo communiter TT. dictamen dictans, quòd hìc, & nunc loquendum, tacendum &c. sit, practicum dicunt; quapropter Arist. 6. Ethic. *cap.* 10. præcipuum prudentię actum ait esse præceptivum; quod idem expresè tradit S. Thom. 1. 2. *qu.* 57. *art.* 6.

P. Suar. P. Mol. P. Vasq. P. Hurt. Calag. Spinul. P. Linc. P. Arri. Aristot. N. 124. Arist. D. Tho.

N. 125. Ex hâc generali doctrinâ de cognitione speculativâ, & practicâ, facile est deducere, quid sit opinio speculativè, & quid practicè probabilis: suppositâ enim communi Theologorum, & Philosophorum doctrinâ, quòd cognitio speculativa, & practica differant ex modo tendendi, per hoc, quòd speculativa, sive universalis, sive particularis, sistit in contemplatione sui objecti; practica autem, sive universalis, sive particularis, dirigit ad executionem, vel omissionem sui objecti: dico opinionem speculativè probabilem esse, quę tendit in suum objectum, aut actum, contemplando naturam, vel qualitates objecti, aut actionis, ex. gr. an sit honestum, an inhonestum: practicè probabilis est, quæ tendit in idem objectum, vel actionem modo operabili, seu dictando esse faciendum, vel omittendum, putà, dictando ejus executionem, si actio est præcepta, aut licita; vel omissionem, si illicita. Hoc ipsum deinde reperi expresè dictum à P. Card. *tom.* 3. *d.* 55. *n.* 1. ait enim: Opinio practicè probabilis est, quæ dirigit ad operationem; speculativè probabilis, quæ sistit in contemplatione objecti. Hinc

P. Card.

N. 126. Primo rejicienda est explicatio tradita à M. Araujo in Decisionibus Mor. de statu civili *d.* 9. *assert.* 1. *n.* 7. dicente eam esse speculativè probabilem, quæ bonâ ratione defendi potest in Cathedrâ; eam practicè probabilem, quæ spectat ad mores, & potest reduci ad praxim; ita inquit opinio Caietani in 3. *p. qu.* 66. *art.* 5. dicentis validum esse Baptisma sub hâc formâ, Baptizote in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque, esse speculativè, non autem practicè probabilem, quia non est tuta in praxi. Similiter actus, quo venator judicat tale objectum esse feram, est speculativè, non practicè probabilis, quia non licet emittere sagittam. Sed contra ait rectè P. Moya *tr.* 1. *qu.* 2. *n.* 1. quia non est ad rem; una enim versatur circa valorem Baptismi, alia circa licitum ejus usum; una circa objectum, asserendo illud non esse hominem; alia circa sagittæ emissionem; nulla autem opinio est, ne quidem speculativè probabilis, docens licitam esse ministrationem Sacramenti sub formâ incertâ, quoties quis uti potest certâ; nulla ne quidem speculativè probabilis docens licitum esse mittere sagittam in objectum, quod probabiliter tantùm judicatur esse fera. Ratio est, ait P. Moya; quia utraque opinio tàm speculativè, quàm practicè probabilis debet versari circa actionem, ut inde inferatur, an liceat in praxi ea actio, quæ speculativè licita vocatur. Addo, quòd cùm intentio Doctorum sit, dum quærunt, quid sit opinio speculativè, & quid practicè probabilis, decidere, quid utraque sit in materiâ morum, debet utraque habere pro objecto materiam morum; quòd autem hoc objectum sit fera, vel non, non est materia morum. Plura, quibus impugnari potest, omitto.

M. Araujo. Caiet. P. Moy.

N. 127. Dictam explicationem admittere videtur Palanco *qu.* 28. *art.* 3. *a n.* 201. dum ait, omnem probabilitatem per se ordinatam ad persuadendum aliquod opus esse licitum, aut illicitum, faciendum, aut cavendum,

Palanc.

dum, esse probabilitatem practicam; opinio autem, quæ est circa valorem, essentiam, aut proprietates operis, non autem de bonitate, vel malitiâ, esse speculativam: hinc infer omnem opinionem de bono, vel malo speculativè probabilem, esse etiam practicè probabilem; omnem autem speculativè probabilè de objecto, præscindendo, an sit bonũ, vel malum, non esse practicè probabilem. Sed contra 1. quia sibi contradicit; nam *n.* 204. ait, speculativè probabilem non habere pro objecto bonum, vel malum, honestum, vel inhonestum, sed essentiam, & valorem rei; & *n.* 205. ait, omnem speculativè probabilem habentẽ pro objecto bonum, vel malum, esse practicè probabilem: ergo quod negat *n.* 204. affirmat *n.* 205. Contra 2. quia non video cur bonitas, malitia, honestas, & inhonestas rei non possint esse objectum cognitionis speculativæ, ita ut naturam honestatis, & inhonestatis contemplari præcisè non possim sistendo in illâ: ergo non est differentia essentialis opinionis speculativè probabilis à practicè probabili, quod hæc tendat in bonum, vel malum, non illa. Contra 3. quia Angelus considerare potest malitiam omnis peccati, & honestatem omnis actus boni, cujus non est capax, sive absolutè, sive hic, & nunc, ut facit Deus; & tamen ea cognitio erit speculativa: ergo dicere, quod ea opinio sit practicè probabilis, quę considerat bonitatem, vel malitiam; ea sit speculativè probabilis, quæ non consideret bonitatem, vel malitiam, sed essentiam rei, est dicere falsum.

N. 128. Secundò rejicienda etiam est valdè communis explicatio, quæ ait, opinionem speculativè probabilem esse, quę dictat in genere actionem esse licitam, præscindendo à singularibus circumstantijs, ex. gr. talem contractum licere; practicè probabilem esse, quæ docet etiam in circumstantijs hìc, & nunc occurrentibus, talem contractum licere. Ita M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 8. *art.* 12. *n.* 2. qui citat Caietanum *opusc.* 17. *respons.* 13. *dub.* 7. & 1. 2. *qu.* 57. *art.* 5. *ad* 3. cum S. Th. *ibi.* Navarrum *cap.* Siquis autem, de Pœnit. *dist.* 17. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. §. Deinde est advertendum, P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 9. *n.* 3. & lib. 2. de Matr. *d.* 41. *n.* 4. qui alios recitat, quibus addo P. Moya *tom.* 1. *tr.* 1. *qu.* 2. *n.* 2. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 1. *n.* 6. & *con-* *tr.* 3. *pu.* 1. *n.* 10. M. Joan. à S. Thom. 1. 2. *d.* 22. *art.* 3. M. Mart. de Prado *tom.* 1. *cap.* 1. de Consc. *qu.* 2. §. 2. *n.* 13. Thom. Hurt. *tom.* 2. *tr.* 10. *cap.* 3. *n.* 27. M. Baron. 2. *p.* Manuduct. *d.* 1. *sect.* 1. *art.* 2. §. 5. *pag.* 46. Sed contra 1. quia hæc explicatio negat judicia practica

M. Tap. Caiet. S. Th. Navar. P. Azor. P. Sanc. P. Moy. P. Ovi-edo, M. Jo-ann. à S. Thom. M. Mar-tin. Thom. Hurt. M. Bar.

universalia, quæ negari non possunt; nam hoc judicium, *Omne malum est fugiendum*, N. est practicum, & est universale; & negat judicia speculativa singularia, quæ etiam negari non possunt; hoc enim judicium, *Hic homo est Petrus, vel contractus A licet*, est singulare, & speculativum, quia purè sistit in contemplatione naturę contractus A: ergo dicere, quòd opinio speculativè probabilis sit, quę dictat in communi; practicè probabilis, quæ in particulari, ita ut non possit esse practicè probabilis, quæ dictat in communi, nec possit esse speculativè probabilis, quæ dictat in particulari, est apertè falsum. Quare quando aliqui in Philosophiâ, aut in Prologo Sententiarum dicunt intellectum speculativum esse, qui versatur circa universalia; practicum, qui circa singularia, non ideo intendunt assignare differentiam essentialem inter judicium practicum, & speculativum, sed unicè dicunt, quod sæpe accidit; quia enim universalia sunt magis scibilia, quam particularia, ideo intellectus speculativus versatur præcipuè circa universalia, esto, ut eorum scientiam comparet, utatur cognitione singularium: vicevers â, quia singularia sunt magis operabilia, ideo intellectus practicus versatur præcipuè circa singularia. De cætero, sicut inter veritates speculativas aliæ sunt tamquàm principia universalia, ex. gr. Quodlibet est, vel non est; aliæ tamquam conclusiones particulares, ex. gr. Deus est; ita inter veritates practicas aliæ sunt tamquàm principia practica universalia, quibus in genere proponitur, quod aliquid hoc modo fieri debet, ex. gr. in Logicâ, Syllogismus constare debet tribus propositionibus benè distributis; & in Ethicâ, Quod tibi non vis, alteri nè feceris; aliæ tamquàm conclusiones particulares deductæ ex dictis principijs universalibus, ex. gr. Petro non est inferendum malum: ergo certò falsum est, quod dicitur, nempe omnes cognitiones practicas versari tantùm circa singularia; nam aliquæ sunt, quasi principia universalia, qualia sunt in genere pleraque artium præcepta, & morum axiomata.

Ratio à priori est; quia essentiale discri- N. men cognitionis speculativæ à practicâ non 130. est, quod speculativa respiciat tale objectum in genere, practica autem respiciat idem objectum, ut substans talibus circumstantijs hìc, & nunc occurrentibus, sed in hoc, quod speculativa tendit purè contemplando, practica dictando, ut dixi ex Arist. vel, ut alij supponunt, differunt ex fine. Ita M. Capreolus in Prol. Sent. *qu.* 2. *concluſ.* 2. Greg. *ibi.*

Arist: M. Capreol. Grego:

P. Mol. P. Aleman. M. Dur. P Perei. P. Fonſ. *ibi. qu. 5. art. 3.* P. Molina *1. p. qu. 1. art. 4. d. 1.* P. Aleman in Log. *qu. 33. art. 2.* fuſe, M. Duran. in Prol. *qu. 6. n. 5. & 6.* P. Pereira *lib. 1.* Phyſicæ *n. 1.* P. Fonſeca in 2. Metaph. *cap. 3. qu. 2 ſect. 2.* Vel, ut alij meliùs, & ego cum illis docui, differunt ex parte objecti formalis, id eſt, ex parte modi tendendi in objectum. Ita S. Thom. *1 p. qu. 14. art. 6.* Card. Toletus *cap. 3. qu. 2.* P. Suar. *d. 44.* Metaph. *n. 42.* Car. Aureolus in Prol. *pag. mihi* 39. P. Arriaga *d. 1.* Log. *n. 73.* Ergo cum ea opinio, *licet contractus*, tendat dictando licere contractum, non minùs erit practica, quàm hæc, *licet idem contractus in his circumſtantijs.* Confirmo: quia vel opinio dictans in communi *opus licere*, reſpicit opus, ut veſtitum omni circumſtantia, ſub quâ opinio ſingularis reſpicit idem opus, vel non? Si reſpicit, utrumque judicium eſt practicum, illud univerſale, hoc particulare, utrumque enim tendit in objectum dirigendo ad ejus licitam executionem: ſi non reſpicit; ergo ea duo judicia non differunt eſſentialiter ex modo tendendi, ſed *tantum* ex objecto, quatenus unum reſpicit in communi licentiam talis operis, aliud in particulari licentiam ejuſdem operis, ut veſtiti circumſtantijs hic, & nunc occurrentibus: ergo inſufficienter exponitur diſcrimen inter opiniones, unam ſpeculativè, aliam practicè, probabiles, quòd illa in communi, hæc in ſingulari dictet.

S. Th. C. Tol. P Suar. C A r. P. Arri.

N. 131. Tertia diviſio opinionis probabilis eſt in magis, minùs, aut æquè probabilem. Magis probabilis intrinſecè eſt, quæ habet maius pondus rationum, quàm oppoſita; magis probabilis extrinſecè eſt, quę maius habet authoritatis pondus, quàm oppoſita; poteſt autem accidere, ut ſæpe accidit, ut una opinio nitatur maiori rationi, & minori authoritati, & ejus oppoſita nitatur minori rationi, & maiori authoritati: æquè probabilis eſt, quæ æquale habet rationis, vel authoritatis pondus, ac oppoſita: minùs probabilis eſt, quæ minori, ſolido tamen, authoritatis, vel rationis fundamento nititur, quàm oppoſita.

N. 132. Quarta diviſio, ſeu potiùs ſubdiviſio opinionis practicè probabilis eſt in magis, minùs, aut æquè tutam. Duo ſupponit explicatio hujus ſubdiviſionis; primum eſt, omnem practicè probabilem eſſe tutam, ut infrà dicemus; ſi enim non omnis eſt tuta, tunc opinio practicè probabilis dividenda erit in tutam, & non tutam; deinde tuta ſubdividetur in magis, minùs, aut æquè tutam ſuâ oppoſitâ: alterú eſt, non omnem practicè probabilem eſſe æquè tutam, quod infrà diſcutietur. His ſuppoſitis, dico magis tutam eſſe, quæ magis liberat à peccato, & à periculo agendi etiam materialiter contra legem; minùs tuta eſt, quæ liberat operantem à peccato, & à periculo formali, non tamen à peccato materiali, aut periculo agendi materialiter contra legem: vel, ut ait P. Thyrſus *diſp. 3. n. 1.* tutior eſt, in quâ ad praxim deducenda nullum eſt peccandi periculum; hinc eſt, quòd omnis opinio ſtans pro lege (ait *n. 2.*) eſt tutior, quæ pro libertate, eſt minùs tuta; idem ait Palanco *qu. 16. n. 3.* Interea noto, non eſſe idem, nec mutuo, nec non mutuo opinionem eſſe tutiorem, ac eſſe probabiliorem, ut benè M. Baron. *2. p.* Manuduct. *d. 4. ſect. 1. art. 3. §. 1.* Defenſio Fagnani *pag. mihi* 357. P. Thyrſus *l. c. n. 2.* P. Moya *tom. 1. q. 6. n. 1.* P. Sanch. *tom. 1.* Sum. *lib. 1. cap. 9. n. 5.* M. Tapia, Bordonus, Maſtrius, P. Scildere, & alij paſſim. Ratio eſt: quia ſecuritas opinionis ſumitur à maiori diſtantiâ peccandi contra legem; probabilitas opinionis ſumitur à gravitate motivorum; probabilioritas opinionis à maiori gravitate motivorum: ſed optimè ſtat, ut aliqua opinio minùs tuta nitatur graviori fundamento, quàm oppoſita tutior: ergo optimè ſtat, ut aliqua opinio ſit minùs tuta, & ſimul ſit probabilior, & aliqua ſit tutior, & ſimul ſit minùs probabilis: ergo non eſt idem, nec mutuò, nec non mutuo opinionem eſſe probabiliorem, ac tutiorem; & econtra. Patet hoc ad oculum: ex. gr. opinio negans jejunare eum, qui aliquam ſumit collationem veſpertinam, eſt tutior, & minus probabilis oppoſitâ affirmante jejunare eum, qui aliquam collationem veſpertinam ſumit: eſt tutior, quia nullam ſumens collationem veſpertinam magis diſtat à periculo violandi legem jejunij; eſt minus probabilis, quia minori nititur, tùm rationis, tùm authoritatis fundamento, quàm oppoſita aſſerens ſumentem modicam veſpertinam collationem implere legem jejunij. Noto etiam, quòd opinio magis tuta ſolet à pleriſque vocari opinio favens legi contra libertatem; & opinio minùs tuta vocari ſolet opinio magis favens libertati, quàm legi, immò favet libertati contra legem, hanc enim negat exiſtere: ex. gr. opinio obligans hìc, & nunc ad reſtitutionem, vel jejunium, dicitur tutior opinione deobligante, quia favet legi contra libertatem; eâ enim ſuppoſitâ, non eſt liberum homini omittere ſine peccato reſtitutionem, & jejunium; opinio autem deobligans à reſtitutione, & jejunio, dicitur minùs tuta, quia favet libertati contra legem, ita ut ſit liberum homini omittere ſine peccato ſaltem formali reſtitutionem, & jejunium. Ita DD. citati.

P. Thyr. Palanc. M Bar. P Thyr. P Moy. P. Sanc. M Tap. Bordon, Maſtr. P. Scild. N. 133. N. 134.

DIS-

DISPUTATIO V.

De connexione Probabilitatis cum veritate, & veritatis cum rectitudine conscientiæ.

SECTIO I.

An Probabilitas, & veritas sint mutuò, vel non mutuò idem?

SUMMARIUM.

Probabilitas, & veritas, nec mutuò, nec non mutuò sunt idem, quin formaliter, immò realiter separantur. Est contra Celladei, n. 1. 2. 3.
Ita S. Thom. Philal. & alij DD. n. 4. 5.
Quid veritas, & probabilitas objectiva? Quid veritas, & probabilitas formalis, n. 6.
Plura falsa sunt probabiliora veris, ibid.
Si verum, & probabile essent idem, omne probabilius esset magis verum; & quoties datur evidentia probabilitatis, daretur veritatis, n. 7. 8. 9
Celladei contradictoria: Vult omne probabile probabilitate conscientiæ esse verum; vult plura falsa esse probabiliora veris; vult idiotis authoritati standum, n. 10.
Celladei coherenter negat duas contradictorias simul esse probabiles, n. 11.
Ut opinio sit probabilis, nō est opus, ut sit vera, 12.

N. 1. P. Eliz. MALE res agitur ab illis, qui ut speciale placitum tueantur, rem aliàs evidentem in dubium vocant. Vnus, & quidem unus est P. Elizal. nam nullus ex Anti-Probabilistis, quos legi, sentit cum Eliz. P. Thyr. (licèt P. Thyrsus aliquando probabilitatem cum veritate confundat, nam *disp.* 10. *n.* 36. ait: Opinio mihi probabilior est omnino vera, & quodammodo certa; & tamen dixerat *n.* 23. judicium evidenter probabilius non esse necessariò logicè verum; in quo vel confundit probabilioritatem cum veritate, dum dicit probabiliorem esse omnino veram; vel sibi contradicit, dum dicit probabiliorem non esse veram: in idem aliquando incidit Palanc. Palanco;) sed quidquid sit de his, revertor ad P. Eliz. qui *lib.* 1. *qu.* 1. §. 4. *&* 5. & *lib.* 2. ferè *per totum*, supponit nullum in re falsum posse esse probabile probabilitate reali, & conscientiæ (ita enim loquitur) esto possit esse probabile probabilitate speculativâ, sophisticâ, & apparenti; & ex hoc infert repugnare, ut duæ contradictoriæ sint simul probabiles, utì repugnat, quòd sint simul N. 2. veræ. Quæritur ergo, an probabilitas cum veritate sit mutuò, aut saltem non mutuò idem, ita ut omne verum sit probabile, & econtra; vel an saltem omne probabile sit verum, licèt non omne probabile sit verum? N. 3.

Vnica conclusio: Probabilitas, & veritas nec mutuò, nec non mutuò sunt idem; imò sunt quid non tantùm formaliter, sed etiam realiter distinctum, & diversum. Hanc conclusionem tamquam certam, & evidentem supponunt omnes Philosophi, & TT. cum Arist. dicente, multa falsa esse probabiliora Aristot. veris; ut etiam expresè docet P. Eliz. *lib.* 1. P. Eliz. *qu.* 1. §. 4. *pag.* 3. ubi ait, *Indubitatum plurimas falsas doctrinas probabiles esse, quin aliquando falsa esse probabiliora*; atque adeo constat probabilitatem tàm veritati, quàm falsitati convenire. Hoc ipsum indicat P. Moya *tom.* 2. P. Moy. *qu.* 2. *n.* 6. *&* *n.* 31. & apud illum P. Bardi de P. Bard. Consc. *d.* 4. *cap.* 10. §. 1. P. Faber *Dialogo* 1. P. Fabe. de Opinione prob. *pag.* 18. P. Teril. de Cōsc. P. Teril. prob. *qu.* 2. *n.* 30. qui ait: Probabilitas semper sub experientiam cadit, veritas autem non semper: P. Andreas Blancus, seu Candidus Philal. Philalethus, unus ex præcipuis Anti-Probabilistis, ex quo reliqui latè biberunt, *qu.* 3. de Opinionum praxi, *à pag.* 52. cujus verba mox dabo; demum quotquot docent utrumque contradictorium posse simul esse probabile, de quo infrà.

Probatur 1. ex S. Thom. *opusc.* 48. dicente, *In omni materiâ existentibus veris, vel probabilibus præmissis semper sequitur conclusio vera, vel probabilis:* ergo ex S. Thom. aliud est præmissam, aut conclusionem esse veram, aliud esse probabilē; si enim probabile idem esset, ac verum, non fuisset usus particulâ, *vel*, quæ diversitatem importat. Cùm autem hæc doctrina sit generalis, amplectitur etiâ probabilitatem practicam, quam P. Elizal. vocat conscientiæ, & realem. Similiter Caiet. Caiet. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 7. in fine ait: Contingit aliquando magis apparere, percipi, satisfacere, & movere argumenta falsa, quàm solutiones eorum: ergo supponit, quòd falsum possit esse probabile, & movere magis intellectum ob gravem veritatis apparentiam, seu ob probabilitatem, quàm possit movere verum, N. 4. S. Th. N. 5.

verum, subintellige, eâ apparentiâ carens: ergo probabilitas non est idem, ac veritas.

Philal. Rursus Philalethus, qui primus omnium Probabilitates evertere tentavit, hoc negare non potuit; nam *qu. 3. a pag. 52. ad 56. & a pag. 60. 61. 62.* & latiùs a *pag. 123. ad 125.* ait: Aliud est probabilitas, aliud veritas; nam sæpissimè evidens est opinionem esse probabilem, & est tantùm probabile esse veram; atque adeò tunc scio evidenter probabilitatem, non opinor; opinor autem veritatem..... & paulò post ait: Cum probabili stat falsum, nam possum dissentiri per judicium probabile veritati alicujus propositionis, & sic negare esse veram; & tamen evidenter assentiri esse probabilem, cùm falsum possit esse evidenter probabile. Rursus potest utraque contradictoria per diversa media apparere vera, seu esse probabilis, & tamen non potest utraque esse vera: & *pag. 77. qu. 5.* ait: Probabilitas evidenter scitur, veritas non scitur: & *pag. 85.* Magna est differentia judicij de probabilitate rei, ac judicij de veritate rei, nam probabilitas, seu apparentia potest esse utriusque partis contradictionis, nam per diversa media diversimodè res apparere potest, modò vera, modò falsa; at secundùm veritatem uno tantùm modo esse potest: & *pag. 127. qu. 7.* ait: Vtraque contradictoria potest esse probabilis, esto non sit probabile utramque esse veram: ergo probabilitas, & veritas nec mutuò, nec non mutuò sunt idem.

N. 6. Probatur 2. à priori: Quæ sortiuntur conceptus formaliter omnino diversos, non sunt formaliter idem: sed veritas, & probabilitas ita se habent, nam veritas objectiva est connexio, vel distinctio talis prædicati cum tali, vel à tali subjecto; probabilitas objectiva est gravis apparentia ejus connexionis, vel distinctionis prædicati cum tali, vel à tali subjecto: veritas formalis est conformitas actus cum suo objecto; probabilitas formalis est ipse actus opinativus denominatus probabilis à motivo probabili, seu à gravi apparentiâ motivi, cui nititur, ut dixi: sed hi sunt conceptus formaliter diversi, ita ut quantùm distat talis connexio objectiva à gravitate rationum suadentium eam connexionem; & vice versâ, quantùm hæc gravitas ab illâ connexione, tantùm distat veritas objectiva à probabilitate objectivâ; & econtra, quantùm distat conformitas actus cum suo objecto ab actu opinativo nixo apparentiæ de veritate talis objecti, & econtra, tantùm distat veritas formalis à probabilitate formali, & econtra hæc ab illâ: ergo probabilitas, & veritas sunt inter se mutuò formaliter diversa. Præterea, quòd etiam inter se sint realiter diversa, patet ex mutuâ separabilitate; nam non omne probabile est verum, plura enim falsa sunt probabiliora veris, ut constat ex Arist. ex Cajet. & ex experientiâ non tantùm plurium testium, qui possunt testificari falsum, sed etiam plurium opinionum, quæ ante damnationem defendebantur ut probabiles intrinsecè; quæ tamen nunc falsæ sunt: ergo non omne probabile est verum. Similiter, quòd nec omne verum sit probabile, constat, non tantùm, quia alterutra ex contradictorijs est necessariò vera, & tamen neutra sæpe est probabilis: ex. gr. an astra sint, vel non sint paria, neutrum est probabile, esto alterutrum sit verum; sed etiam quia judicium temerarium, cùm sit imprudens, non est probabile, & tamen sæpe est verum: ergo non omne verum est probabile: ergo probabilitas à veritate, & veritas à probabilitate sunt mutuò realiter separabilia. N. 7. Arist. Cajet.

Confirmo 1. Si probabilitas, & veritas idem essent, quæ sunt magis probabilia, essent magis vera, & quę magis vera, essent magis probabilia; utrumque est evidenter falsum; primum in judicio falso, sed prudenti; secundum in judicio vero, sed temerario: ergo &c. N. 8.

Confirmo 2. quia, ut notavit etiam Philalethus, sæpe latet veritas rei, & est evidens ejusdem veritatis probabilitas; probabilitas enim objectiva non est, nisi prudens verosimilitudo rei nixa authoritati, aut motivis allicientibus ex parte objecti intellectum ad assensum hujus partis præ dissensu ejusdem, aut præ assensu alterius partis: sed sæpe evidens est dicta gravitas Doctorum, & rationum, licèt veritas sit occulta: ergo non est idem probabilitas, ac veritas. Ratio à priori est; quia esse verum, est, objectum esse tale, ut cognoscitur; esse probabile, est, apparere prudenter tale, ut cognoscitur: sed sæpe evidens est, objectum apparere tale, & non est evidens esse tale: ergo potest esse evidens probabilitas, & occulta esse veritas. Lege Philal. *ll. cc.* N. 9. Philal.

Confirmo 3. ex multiplici Celladei contradictione; nam *lib. 1. qu. 1. §. 4. & 5.* & *lib. 2.* ferè per *totum*, supponit omne probabile probabilitate conscientiæ esse verum, & tamen *lib. 1. qu. 13.* ad finem *pag. mihi 51.* ait, doctrinam ex ignorantiâ involuntariâ putatam veram, vel probabiliorem, esse tutam: sed omnis doctrina tuta, & probabilior, est probabilis probabilitate conscientiæ juxta Celladei: ergo doctrina falsa est probabilis probabilitate conscientiæ, adeoque non N. 10. Cellad.

omne

omne probabile probabilitate conscientiæ est verum: ergo sibi contradicit. Altera contradictio est, quia *lib.* 1. *qu.* 1. §. 4. *pag.* 3. ait universalissimè, *indubitatum plurimas falsas doctrinas probabiles esse, quin aliquando falsa esse probabiliora*: sed hæc doctrina contradicit huic, nullum falsum potest esse probabile probabilitate conscientiæ: ergo iterùm sibi contradicit. Tertia est; nam *lib.* 2. qu. 18. ad finem ait: *Indocti, inventâ authoritate, sistere in illâ possunt, nec debent ulterius procedere*: sed omne, cui indoctus sistere potest, est probabile probabilitate conscientiæ: ergo, cùm ea authoritas dicentis possit esse falsa, potest esse probabilis probabilitate conscientiæ; vel si non potest esse probabilis probabilitate conscientiæ, indoctus in ea sistere non potest.

N. 11. Philal. Cellad. Probatur 3. Implicat duas contradictorias esse simul veras, non implicat, immò sæpe accidit ambas esse simul probabiles, ut etiam supponit Candidus *l. c.* & nos infrà ex professo contra P. Eliz. qui licèt cohærenter neget, malè tamen negat: negat cohærenter, quia dato, quòd probabilitas, & veritas idem sint, sicut implicat utramque contradictoriam esse simul veram, ita etiam esse simul probabilem: male tamen negat, non tantùm, quia à priori evidenter probavi probabilitatem, & veritatem mutuo formaliter, & realiter distingui, & diversificari; sed etiam, quia, licèt hoc non esset à priori evidens, est evidens à posteriori, quatenus evidens est utramque contradictoriam esse simul probabilem: ergo evidens est probabilitatem esse diversam à veritate.

N. 12. Ex his infer, quòd ut opinio aliqua sit probabilis, satis est, ut sit judicium incertum verosimile nixum motivo obscurè apparenti, solido tamen, & gravi absolutè in se, & relativè ad motiva partis oppositæ, si adsint; non autem necesse est, ut sit verum, & multò minùs satis est, ut sit verum: non satis est, quia judicium temerarium verum non est opinio probabilis, ut dixi in 2. *ratione*, & in 1. *confirmatione*; non necesse est, quia judicium prudens falsum potest esse opinio probabilis: ergo veritas est omnino impertinens ad probabilitatem opinionis.

SECTIO II.

An veritas, & rectitudo conscientiæ sint idem?

N. 13. VEritatem, & probabilitatem, nec mutuò, nec non mutuò converti vidimus; videndum modò, an veritas cum rectitudine conscientiæ mutuò, aut non mutuò convertatur; seu quod idem est, an veritas speculativa mutuò, aut non mutuò cum veritate practicâ convertatur. Quæstio hæc plura æquè difficilia, ac scitu utilissima continet, atque adeo dilucidè, ut res exigit, tractanda.

§. I.

Notanda attentione digna.

SUMMARIUM.

Si judicium dictet in genere hoc esse bonum, aut malum, dicitur Synderesis; si in particulari, dicitur conscientia, n. 14.

Conscientia quid? DD. n. 15.

Est actus æquivalenter practicus, & prudentialis, ibid.

Munera conscientiæ ex S. Thom. ibid.

DD. dividentes conscientiam in speculativè, & practicè veram; in speculative, & practicè falsam, n. 16.

Quid speculativè vera, & falsa? Quid practicè vera, & falsa? n. 17.

Quid rectitudo in genere? n. 18.

Moralis rectitudo solis actibus intellectus, & voluntatis convenit; quæ actibus intellectus, dicitur activa, quæ voluntatis, passiva, ibid.

Quid rectitudo logica? Quid ethica, seu practica? n. 19.

Toto cælo differunt inter se rectitudo, seu veritas speculativa, & rectitudo, seu veritas practica, n. 20.

Lex æterna Dei, seu Dei sapientia nos dirigens, & Dei voluntas nos per præcepta gubernans, est primaria objectiva moralitatis regula; principia autem Synderesis, & leges humanæ, & ipsa ratio humana sunt regulæ secundariæ applicantes illam primariam, n. 21.

Ultimum conscientiæ dictamen est formalis, & proxima morum regula. DD. n. 22.

Rectitudo moralis actuum voluntatis sumitur à conformitate volitionis cum proximâ formali morum regulâ: rectitudo autem moralis dictaminis conscientiæ sumitur à conformitate dictaminis cum primâ morum regulâ objectivâ, n. 23. 24.

Lutherus, Calvinus, Baius, Jansenius, solum judicium logicè verum dicunt morum regulam, n. 25. 26.

Qualiter hinc duo Jansenij errores inferantur, n. 27.

Etsi Celladei doceat invincibilem ignorantiam excusare, negat tamen eam dari, quia omnis, inquit, sequitur ut pœna ad personale, & ideo vult solam veritatem esse morum regulam: ejus verba, n. 28.

Ignorantia positiva, & negativa quid? n. 30.

Ignorantia invincibilis non est explicanda per poten-

potentiam physicam eam vincendi, sed per obligationem eam vincendi, n. 31.
Theologia Moralis plus considerat, quid homo facere debeat, quam quid possit, ibid.
Quid ignorantia moraliter vincibilis, & invincibilis? ibid.
Lex per S. Thom. non obligat, nisi cognita, n. 32.
Ignorantia vincibilis est peccatum ignorantiæ contra studiositatem, quæ obligat inquirere verum, ibid.
Invincibilis solet dici antecedens voluntatem, vincibilis, consequens. DD. ibid.
Dubia discutienda, n. 33.

N. 14. PRimum est, conscientiam strictissimè sumptam non esse, nisi judicium rationis dictans hoc esse bonum, aut malum morale, id est licitum, vel illicitum, convenies, vel disconveniens cum primâ regulâ morum, tàm objectivâ remotâ, quæ est Deus, quàm formali proximâ, quę est ipsum dictamen: quia vero intellectus potest dictare, vel universaliter, & in genere, juxta illud Tobiæ, & Matthæi, Quod tibi non vis, alteri nè feceris, aut, colendi sunt parentes, non est lædendus proximus: vel in particulari, hic homo est honorandus, hæc actio est omittenda: si dictet in universali, dicitur potiùs Synderesis; si in particulari, dicitur conscientia; ex. gr. in hoc syllogismo: Omnis pater est honorandus, Petrus est pater, ergo est honorandus. Maior, quia est unum ex primis principijs intellectus practici, cuique naturaliter insiti, dicitur Synderesis: Minor est actus fidei, aut opinionis, & potest etiam aliquando esse scientia: Conclusio autem applicans ea principia universalia, quæ sunt Synderesis, ad talem actionem particularem, est actus conscientiæ; & dicitur con-
M.Mer. P.Ovie. P. Salas, Herin. M.Tap. scientia, ait M. Mercor. *1. p. art. 1. a pag. 1.* & P. Oviedo *tr. 5. contr. 1. pu. 1. n. 4.* cum P. Salas *ibi.* & Herinx *tom. 2. d. 4. n. 2.* & M. Tapia *tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 1. n. 4.* quia est judicium applicans scientiam, seu regulas generales contentas in præmissâ, applicans, inquam, huic operationi particulari; quapropter conscientia strictè est illud judicium practicum per modum conclusionis, aut quasi conclusionis, deductum ex regulis generalibus di-
N. 15. S. Th. P. Suar. P. Salas, P. G. Hurt. P. Ovie. Herin. M. Gon. M. Tap. ctantibus in genere quid bonum, quid malum, ultimo dictans hoc esse bonum, aut malum. Tota hæc doctrina sumitur ex D. Thom. *1. 2. qu. 19. art. 5. & 6. & qu. 94. art. 4.* cui adhærent Theolog. cum P. Suar. *tr. 3. d. 12. sect. 1.* P. Salas *1. 2. tr. 8. d. unicâ sect. 1.* P. Gasp. Hurt. *1. 2. d. 4. diff. 1.* P. Oviedo *l. c.* Herinx *l. c.* M. Gonet in Clypeo *tom. 3. diss.* de Probabilitate *art. 1.* M. Tapia *l. c.* Palanco *qu. 1.* de Consc. Nolo autem immorari in examinando, an conscientia sit actus speculativus, an practicus, cùm certum sit esse saltem æquivalenter practicum; non enim præcisè dictat, *hoc licet*, sed simul ex suo modo tendendi, vel obligat, vel instigat, vel dictat esse faciendum, aut posse licitè fieri: ergo est æquivalenter practicus; nam actus præcipui conscientiæ ex S. Thom. *1. 2. qu. 19. art. 5.* sunt obligare ad faciendum, instigare ut fiat, dictare esse faciendum. Similiter certum est conscientiam esse actum prudentialem, dirigit enim ad humanam operationem, quod est munus prudentiæ, ut aut S. Thom. *qu. 17.* de Veritate *art. 1. & 1. 2. qu. 76. art. 1. & alibi*: ergo conscientia est actus prudentialis. Lege DD. citatos. Palanc. S. Th.

Secundum est, inter plures conscientiæ divisiones passim obvias, dividi conscientiam in veram, seu conformem suo objecto, & in falsam, seu difformem. Vtraque autem conscientia, tàm vera, quàm falsa, subdividitur in speculativè, & in practicè veram; in speculativè, & in practicè falsam: quam doctrinam tradit S. Thom. *1. 2. qu. 19. art. 3. ad 2. & qu. 57. art. 5. ad 3. & lib. 1.* contra Gentes *cap. 62. & 67.* M. Tapia *l. c.* P. Oviedo *l. c. a n. 21.* P. Arriaga *1. 2. d. 22. sect. 1.* P. Teril. *qu. 16. n. 37.* Baron. in Ethica Christiana *d. 1. n. 16.* P. Moya *tom. 2. qu. 9. §. 8. a n. 40.* P. Vasq. *1. 2. d. 58. cap. 2.* quem laudat, & sequitur P. Elizal. *lib. 3. qu. 1.* & alij passim. Difficultas est illas exponere; illis enim ritè intellectis, facilè res comprehendetur, & tenebræ illæ dissipabuntur, inter quas P. Elizal. detinetur. Conscientia speculativè vera est conscientia conformis suo objecto, quod repræsentat, ita ut taliter objectum in re se habeat, qualiter est repræsentativè in actu; & econtra, taliter actus repræsentet objectum, qualiter est objectum in se à parte rei: Conscientia speculativè falsa est conscientia difformis suo objecto, ita ut aliter in re se habeat objectum, ac se habet in cognitione repræsentante; & econtra, aliter cognitio in repræsentando, ac se habet objectum in re, seu in se à parte rei. Conscientia practicè vera est conscientia conformis cum primâ regulâ morum, ita ut ita se habeat directivè, & imperativè, sicut se habet directivè, & imperativè prima regula morum, cui est conformis: Conscientia practicè falsa est conscientia difformis primæ regulæ morum, ita ut aliter dirigat, ac imperet, ac dirigit, & imperat prima regula morum, cui est difformis. Vt autem hæc rectè penetrentur, lustranda sunt sequentia. S. Th. M. Tap. P. Ovie. P. Arria. P. Teril. M. Bar. P. Moy. P. Vasq. N. 16. N. 17.

Tertium est, rectitudinem in genere esse confor- N. 18.

conformitatem rei rectæ cum suâ primâ regulâ: si rectitudo sit physica, est conformitas physica cum suâ primâ regulâ physicâ; si moralis, est conformitas moralis cum suâ primâ regulâ morum. Certum autem est, quòd rectitudo moralis non convenit nisi actibus intellectus, & voluntatis, cum hâc differentiâ, quòd quæ convenit actibus intellectus, dicitur rectitudo moralis activa, quia dirigit voluntatem; quæ actibus voluntatis, dicitur moralis passiva, vel affectiva, quia dirigitur ab intellectu. Cùm autem
N. 19. immediatè prænotaverim duplicem actibus intellectus veritatem convenire posse, aliam speculativam sitam in conformitate actus cum suo objecto repræsentato, aliam practicam sitam in conformitate actus intellectus, & volitionis, quam dirigit, & dictat, cum primâ regulâ morum; ita in ijsdem actibus intellectus duplex est rectitudo, alia purè philosophica, logica, vel speculativa, consistens in conformitate actus cum suo objecto enuntiato; alia moralis, ethica, Theologica, practica, consistens in conformitate actus intellectus cum primâ regulâ morum. Ex hoc evidenter constat 1. idem mutuò esse conscientiam speculativè rectam, ac speculativè veram, & econtra; idemque mutuò esse conscientiam practicè rectam, ac practicè veram, & econtra; quia, ut dixi, rectitudo speculativa est conformitas actus intellectus cum suo objecto enuntiato: sed hoc ipsum est veritas speculativa:
N. 20. ergo rectitudo speculativa, & veritas speculativa sunt mutuò idem. Similiter rectitudo practica, seu moralis (hoc enim per tò *practicum* venit in præsenti, ne ampliùs repetam) est conformitas actus intellectus dirigentis volitionem, & volitionis directæ cum primâ regulâ morum: sed hoc idem est veritas practica: ergo rectitudo practica, & veritas practica sunt mutuò idem. Constat 2. speculativam rectitudinem, & speculativam veritatem toto Cælo differre à rectitudine practicâ, & veritate practicâ, & econtra. Constat 3. ex doctrinâ oppositorum, quid sit irrectitudo speculativa, & falsitas speculativa; quid irrectitudo practica, & falsitas practica. Constat 4. irrectitudinem speculativam, & falsitatem speculativam esse mutuò idem; similiter irrectitudinem practicam, & falsitatem practicam esse mutuò idem. Constat 5. toto etiam Cælo differre irrectitudinem speculativam, & falsitatem speculativam ab irrectitudine practicâ, & falsitate practicâ, & econtra. Lege DD. citatos, nempe S.Thom. P.Moya, P.Arria. P.Vasq. P.Ovied. P. Teril. & alios passim, qui latè

S.Th. P.Moy. P. Arri. P.Vasq. P.Ovi. P.Teril.

tractant de veritate speculativâ, & practicâ, cum quâ coincidit doctrina M. Mercori 1 *p. art.* 3. *pag.* 7. dividentis conscientiam in rectam secundùm se, & in rectam quoad nos, de quâ paulò pòst. M. Mercor.

Quartum est, quòd licèt aliqua sit inter TT. contentio in assignandâ moralitatis regulâ actuum humanorum, ut videre præcipuè est apud P. Ovied. 1.2. *tr.*4. *contr.* 4. *pu.* 2. per *totum*, ubi latè, & sincere refert mentem Doctorum, & profitetur multam esse de voce dissensionem, omnes tamen convenire videntur in hoc, ut etiam advertit P. Moya *tom.*2. *qu.*9. *n.* 51. & tamquàm certum supponit M. Tapia *tom.*1. *lib.*1. *qu.* 7. *art.* 3. legem æternam Dei esse saltem primariam objectivam remotam totius moralitatis regulam, cui omnis actio creata, ut sit moraliter recta, conformari debet. Ratio est; quia, ut rectè Arist. primum in unoquoque genere est mensura cæterorum: ergo cùm omnes aliæ morum regulæ fluant tamquam à fonte à lege æternâ Dei; & lex Dei æterna sit primum omnis legis, sive naturalis, sive positivæ, consequenter lex æterna Dei, seu Dei sapientia nos dirigens, & Dei voluntas nos per præcepta, aut consilia gubernans, est primaria simpliciter totius moralitatis regula; ita ut aliæ morum regulæ, quales sunt principia, tam directa, quàm reflexa Synderesis, & prudentiæ, nec non ipsa præcepta, & leges humanæ, immò ipsa natura rationalis; hæ, inquam, & aliæ morum regulæ non sint primaria regula objectiva, sed sint secundæ applicantes primam, licèt sæpe etiam vocari soleant primæ regulæ objectivæ moralitatis. N. 21. P. Ovie. P. Moya, M.Tap. Aristot.

Maior est difficultas in assignandâ proximâ, & formali morum regulâ, cui operatio voluntatis, seu volitio, ut sit moraliter recta, conformari debet: verùm facilè meo judicio dicitur, quòd ultimum rationis dictamen de convenientiâ, aut disconvenientiâ volitionis, ut hìc, & nunc ponendæ, vel omittendæ, cum primâ regulâ morum objectivâ, sit proxima, & formalis regula directiva volitionis, aut omissionis, cui dictamini ea volitio, vel nolitio, ut sit moraliter recta, debet esse conformis. Ducor non tantùm, quia hoc expressè docet S.Thom. 1.2. *qu.* 19. *art.* 4. & clariùs *qu.* 21. *art.* 1. ubi ait: *In his, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna*: P.Vasqu. 1.2.*d.*58. *cap.*2.*n.*10. P.Moya *tom.*2. *qu.*9. §.8. *n.*49. P. Suar. *d.* 7. de bonitate, & malitiâ *sect.* 1. *a n.* 8. P. Ovied. 1.2. *tr.*4. *contr.*4. *pu.*2.*n.*41. & 48. M.Tap.*tom.*1. Catenæ Moralis *lib.*1. *qu.*8. *art.*1. *n.*4. & passim alij Probabilistæ, sed etiã ipsi Anti-Probabi- N. 22. S. Th. P Vasq. P.Moy. P Suar. P. Ovitedo, M.Tap.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

babiliſtæ, nam Philal. *qu.1. mihi pag.12.* ait: Honeſtum ſit per reſpectum ad rationem humanam; & M. Mercor. *1.p. art. 3.pag.7.* ait: Quia autem ignoramus ſæpe, an tale objectum ſit conforme legi æternæ, ideo, ut hoc diſcerneremus, data nobis eſt regula, ut toties judicemus noſtram actionem eſſe legi æternæ conformem, quoties ipſa ratio hoc dictat; & *art.6.* ait: Cùm ignoremus, quid lex æterna Dei prohibeat, aut honeſtum dicat, Deus pro ſecundâ regulâ nobis conſtituit dictamen rationis, cui conformari tenemur. Ducor etiam, quia, ut dixi *notando 1.* ultimum dictamen conſcientiæ eſt quaſi applicatio vitalis regulæ objectivæ, & eſt formalis directio ipſius volitionis adeo immediata, ut inter dictamen dirigens, & volitionem directam nullus alius actus dirigens mediet. Rurſus ipſum ultimum conſcientiæ dictamen eſt tale, ut implicet volitionem eſſe moraliter rectam, niſi tali dictamini conformetur, ut certum eſt etiam apud omnes Adverſarios Probabilitatum: ergo ultimum conſcientiæ dictamen eſt regula formalis immediata, & proxima moralitatis.

Philal. M.Mer.

N. 23. Hinc conſtat, quòd rectitudo moralis actuum voluntatis conſiſtit in conformitate cum ſuâ primâ regulâ morum formali, & proximâ, nempe cum ultimo conſcientiæ dictamine, à quo proximè diriguntur ipſi actus voluntatis, & in conformitate eorumdem actuum voluntatis cum primâ regulâ morum objectivâ, nempe cum lege æternâ Dei, & cum principijs directis, & reflexis Syndereſis, prudentiæ, & fidei Divinę. Similiter conſtat rectitudinem moralem dictaminis conſcientiæ conſiſtere in conformitate cum primâ regulâ morum objectivâ, nempe cum lege æternâ Dei, & alijs principijs. Ratio eſt; quia per hoc præcisè, quòd actus voluntatis ſint exercitè conformes affectivè recto dictamini rationis eos dirigenti, & per hoc præciſè, quòd dictamen ſit exercitè conforme principijs Syndereſis, & prudentiæ directis, vel reflexis, & legi æternæ Dei, ſeu intellectui Divino, ut nos dirigenti, & voluntati Divinæ, ut nos ſuis conſilijs, & præceptis gubernanti, intelligitur tùm conſcientia, tùm volitio moraliter recta; conſcientia directivè, volitio affectivè: ergo veritas practica, ſeu rectitudo moralis intellectus noſtri in dirigendo, & voluntatis noſtræ in operando, ſtat in conformitate practicâ utriuſque cum dictis morum principijs.

N. 24.

N. 25. Quintum notandum eſt, quòd cùm indubitatum ex dictis ſit, ad rectè moraliter operandum prærequiri conſcientiam aliquam rectam; non enim voluntas poteſt rectè operari, niſi præcedat conſcientia recta, quæritur, quę conſcientia recta prærequiratur ad operationem moraliter rectam? Si enim dicamus prærequiri conſcientiam ſpeculativè rectam, ſequitur, quòd nulla conſcientia ſpeculativè falſa, poterit eſſe recta morum regula; cùm tamen oppoſitum ſit de fide ex definitis contra Lutherum, Calvinum, Baium, Janſenium. Si verò dicamus ſatis eſſe conſcientiam practicè rectam, ſequitur, quòd conſcientia ſpeculativè falſa, ſeu diſformis Sapientiæ Dei poterit eſſe recta regula proxima morum, quod videtur repugnare. Breviùs: Vel rectitudo conſcientiæ idem eſt, ac veritas conſcientiæ, tunc autem ſola conſcientia vera erit recta, & erit recta regula morum; vel non eſt idem, tunc autem conſcientia falſa, & oppoſita Sapientiæ Dei poterit eſſe recta, & recta regula morum: primum autem eſt hæreticum; ſecundum eſt repugnans. Hoc in ſcopulo naufragium paſſus eſt Janſenius, Baius, Calvinus, Lutherus: illi, quatenus docent non tantùm, quòd ad honeſtè operandum prærequiratur ſemper veritas, ſeu judicium verum de honeſtate actionis, ſed etiam quòd ad ſine peccato operandum prærequiratur judicium verum de non malitiâ actionis: nam Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius cum aliquo inter ſe diſcrimine volunt, nullam ignorantiam juris, quod quis ſcire tenetur, excuſare à peccato; & multò magis volunt, quòd nulla ignorantia de honeſtate actionis ſatis ſit ad honeſtè operandum. Ratio eorum eſt; quia nulla ignorantia libera excuſat à peccato: omnis ignorantia, quam patimur, quia eſt conſequens ad peccatum originale, ut pœna illius, eſt libera: ergo nulla ignorantia excuſat à peccato: ergo ſola veritas excuſat à peccato. Ex hoc fundamento, omiſſis erroribus Lutheri, Calvini, Baij, duas Janſenius intulit hæreſes. Prima, *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt obſervatu impoſſibilia; & deeſt illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Secunda, *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate,* (id eſt, indifferentiæ) *ſed ſatis eſt libertas à coactione.* Vtraque autem hæreſis ex dato fundamento ita deducitur: Homini hìc, & nunc invincibiliter ignoranti præceptum, præſertim naturale, impoſſibilis eſt ejus præcepti obſervatio: ſed talis homo hic, & nunc invincibiliter ignorat tale præceptum: ergo impoſſibile eſt, ut obſervet: ergo neceſſariò non

Lu her. Calvin. Baius, Janſen.

N. 26.

N. 27. Janſen.

non obſervat, & non obſervando peccat non potens obſervare: ergo aliquod præceptum homini volenti, & conanti obſervare, eſt obſervatu impoſſibile. Rurſus, homo peccabit, & demerebitur ignorans invincibiliter præceptum, & non habens libertatem indifferentiæ ad illud obſervandum: ergo ad merendū, & demerendum non requiritur libertas indifferentiæ. Lege P. de Champs *lib.* 1. de ignorantiâ invincibili, P. Teril. *qu.* 16. P. Ripal. *tom.* 3. P. Thyrſ. *tom.* 4. Theol. Schol.

P. de Chip. P. Teril. P. Rip. P. Thyr.

N. 28. Cellad.

Simili naufragio abſorptus eſt Celladei, licèt enim doceat ignorantiam malitiæ, & prohibitionis verè invincibilem excuſare à peccato, nam *lib.* 2. *qu.* 10. §. 3. *pag.* 95. ait: *Juxta omnes Orthodoxos omnis ignorantia invincibilis excuſat à peccato, & illam habens operatur, quin peccet*; quia tamen ſimul docet omnem ignorantiam ſequi ad peccatum perſonale ut pœnam illius, conſequenter, niſi velit admittere contradictoria, vult nullam ignorantiam eſſe invincibilem: ergo juxta Celladei nulla ignorantia de facto excuſat à peccato. Conſequentia probatur: Sola invincibilis excuſat: ſed per Celladei nulla datur invincibilis; ergo nulla datur ignorantia excuſans à peccato. Hinc ſæpe deducit ſolam conſcientiam coram Deo veram de honeſtate actionis eſſe rectam ad honeſtè operandum regulam; ita *lib.* 2. *qu.* 13. fusè probat, quòd ſola *doctrina vera ſit ſana*, adeoque ſolam veram eſſe regulam conſcientiæ; & *lib.* 2. *qu.* 14. *initio*, quod non tantùm probabilioritas, quin immò nec certitudo ipſa excuſat à peccato, ſi ſit falſa; in quo (præter contradictionem, quòd certitudo veritatis conjungi poſſit cum falſitate) ait *pag.* 105. quòd doctrina, quæ ex duplici contradictoriâ excuſat à peccato, hoc non facit *propter probabilitatem, vel probabilioritatem, aut certitudinem, ſed propter involuntarium ignorantiæ, vel erroris*. Idem docuerat *lib.* 1. *qu.* 1. §. 4. *pag.* 3. ait enim: Indubitatum videtur omnem docentem doctrinas falſas, etſi probabiliores, non Dei, ſed hominum docere doctrinas; ex quo infert probabilius non eſſe regulam morum; & paulò pòſt addit: *Sed nec certum pro regulâ placere potuit, niſi ſit verum*, adeoque ſolam doctrinam veram eſſe rectam morum regulam; doctrinam autem falſam ad ſummum excuſare à peccato. Ibidem etiam de ſe fatetur, quòd cùm totum opus abſolviſſet dirigens omnia *per magis probabile*, tandem agnovit ſolam veritatem poſſe eſſe regulam morum, & ſolas doctrinas veras de Cælo eſſe, & eas ſolas ad Cælum ducere; idem tradit *lib.* 1. *qu.* 1. §. 5. *pag.* 4. ubi poſtquàm §. 4. dixerat vetulas ipſas Cælum rapere *non opinione, ſed veritate*, (quod mirabile eſt) quæro enim à quo vetulæ veritatem habeant, an ex propriâ ſapientiâ, & ſic ad vetulas tamquam ad veritatis Sybillas, relictis Eccleſiæ Doctoribus, accedemus; an ex alienâ authoritate, nam vult idiotas ſtare debere authoritati, & nil prudentius, quàm ita ſe gerere; ita *lib.* 2. *qu.* 8. §. 5. *pag.* 90. *Vir gravis, & fide dignus tibi aliquid refert, nihil prudentius*; hæc autem authoritas ſæpe eſt falſa; idem, inquam, *lib.* 1. *qu.* 1. §. 5. *pag.* 4. hæc tradit: *Pluris nobis eſt concluſio probabilis vera, quàm concluſio probabilior, aut apparenter etiam certa, ſed falſa*; & in *Prologo ſecundæ partis verſ. Conſtituto*, ait: *Conſtituto igitur priori parte non probabilitatem veritatis inanem, & vacuam, ſed unam, & ſolam veritatem directam* (N3) *eſſe totius vitæ Chriſtianæ regulam*. Ex quibus manifeſtum eſt ſolam opinionem coram Deo veram eſſe juxta Cellad. rectam honeſtæ operationis regulam, nullam autem nec probabilem, nec probabiliorem, nec certam eſſe talem regulam, ſi coram Deo ſit falſa.

Quare Celladei concordat cum Janſenio, & Baio in hoc; 1. quòd error poſitivus de honeſtate objecti, etſi ſit invincibilis, non ſit ſatis ad honeſtè, & meritoriè operandum, ut patet ex locis citatis: 2. quòd nulla ignorantia prohibitionis, aut malitiæ, ſi ſit conſequens ad peccatum, (originale, ait Janſenius, perſonale, ait Cellad. locis infrà dandis) excuſet à peccato, quia nulla talis eſt invincibilis: 3. quòd ſola veritas ſit regula ſimpliciter neceſſaria ad hoc ut opus ſit moraliter rectum.

N. 29. Cellad.

Sextum notandum eſt ignorantiam dividi in negativam, quæ abſolutè dicitur ignorantia, & non eſt, niſi pura carentia notitiæ; & poſitivam, quæ dici ſolet error, & non eſt niſi ipſe actus falſus. Utraque ſubdividitur in vincibilem, & in invincibilem, quę ſubdiviſio magis attendenda eſt ſecundùm conſiderationem moralem, ſeu ſecundùm obligationem vincendi dictam ignorantiam, quàm ſecundùm conſiderationem phyſicâ, ſeu ſecundùm potentiam phyſicam vincendi illam; quia Theologia magis conſiderat in noſtris actibus, quid homo debeat, quàm quid phyſicè poſſit. Sicut ergo ignorantia (idem dic proportionaliter de errore) phyſicè vincibilis eſt, cujus vincendæ datur potentia phyſica, & ignorantia phyſicè invincibilis eſt, cujus vincendæ non datur potentia phyſica; ita ignorantia moraliter vincibilis eſt, cujus vincendæ datur potentia moralis; & ignorantia moraliter invincibilis eſt, cujus vincendæ non datur potentia

N. 30.

N. 31.

moralis. Quia autem libertas, ut dicitur in *tr. de Act. humanis*, constituitur in ratione potentiæ moralis, præter alia ad eam, quatenus libertas est, necessaria, per cognitionem obligationis, hinc est, quod ignorantia, cujus vincendæ nulla hìc, & nunc cognoscitur obligatio, dicitur moraliter invincibilis; ignorantia autem, cujus vincendæ advertitur hìc, & nunc obligatio, dicitur moraliter vincibilis; vel, ut alij loquuntur, ignorantia, quam homo tenetur vincere, (ut autem teneatur, debet præcognoscere obligationem vincendi illam) dicitur vincibilis moraliter; ignorantia, quam homo non tenetur vincere, sive quia non cognoscit obligationem vincendi illam, sive quia cognoscit eam obligationem non dari, dicitur invincibilis moraliter. Certissimum autem juxta omnes est legem non obligare, nisi moraliter, seu per cognitionem existat in intellectu, nec satis esse, ut extra illum existat; quare, si lex obligans expellere ignorantiam non cognoscatur, etsi ea lex à parte rei daretur, adhuc ignorantia erit moraliter invincibilis, ut infrà.

N. 32.

S. Th. Interim audiatur S. Thom. qui in 2. *Sent. dist.* 39. *qu.* 3. *art.* 3. *ad* 6. ait: *Quando conscientia dictat alicui, quod bonum est facere aliquod opus consilij, si non facit, non peccat, quia non apprehenditur illud ut bonum debitum, & præcepto subjacens*: & de Veritate *qu.* 17. de Consc. *art.* 3. *ad* 11. ait: *Conscientia non ligat, nisi ex virtute ejus, quod in conscientiâ habetur*: ergo ex S. Th. cui omnes subscribunt, numquam peccatur, nisi apprehendatur debitum non faciendi, & conscientia non ligat, nisi obligatio ipsi conscientiæ nota sit: ergo si debitum expellendi ignorantiam, vel errorem non sit notum conscientiæ, conscientia numquàm peccabit peccato ignorantiæ oppositò virtuti studiositatis, adeoque ea ignorantia erit invincibilis, omnis enim moraliter vincibilis semper est peccatum omissionis contra virtutem studiositatis obligantem ad diligẽtiam adhibendam, ut sciantur ea, quorum sciendi cognosco obligationẽ. Hinc legitur apud plures TT. quòd ignorantia invincibilis vocari etiam soleat antecedens; vincibilis autẽ vocari solet consequens voluntatem.

P. Vasq. P. Sanc. P. Suar. P. Ovied. Herinx. M. Mer. Lege P. Vasq. 1. 2. *d.* 117. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 16. P. Suar. 1. 2. *d.* 4. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 6. *contr.* 6. Herinx *tom.* 2. *d.* 1. *qu.* 5. M. Mercor. 1. *p.* Basis *art.* 4. *pag.* 10. & alios, qui plures ignorantiæ vincibilis moraliter, seu culpabilis, species edidêrunt.

N. 33. Modò quadruplicem in sequentibus discutiam quæstionem; unam de nomine, tres de re. Prima est, an ignorantia, & error sequentes, ut pœna, ad originale, vel personale, dicendę sint ignorantia, & error vincibilis, an invincibilis? Celladei ignorantiam sequentem ad originale vocat invincibilem, sequentem ad personale vocat vincibilem. Hęc autem quæstio est de voce. Secunda est, an ignorantia, & error excusent à peccato? Tertia, an error de præcepto, aut honestate objecti, vel actionis satis sit ad honestè, & meritoriè operandum? Quarta est, an conscientia erronea esse possit moraliter recta, seu regula morum? Jansenismus non stat, qualiter ignorantia sequens vocanda, sed quæ sequens excusat.

§. II.

An error, & ignorantia sequentia ad peccatum originale, aut personale, dicenda sint moraliter vincibilia, an invincibilia?

SUMMARIUM.

Omnis error, & ignorantia sequens, tam ad originale, si hìc, & nunc vinci non debeat, aut possit, dicenda est invincibilis hìc, & nunc, 34.
Lis de voce a communi loquendi modo dirimitur, ibid.
Invincibilis ignorantia ex S. Thom. quid? n. 36.
Doctores exponentes ignorantiam invincibilem utuntur tempore præsenti, n. 37.
To potest *vincì stat moraliter, seu debet vinci*, n. 38.

PRima conclusio: Omnis ignorantia, aut error sequẽtia, ut effectus prævisi ad originale, aut personale, etsi dici possint vincibiles, & liberi in causâ, nempe in peccato, cujus sunt effectus, si tamen deinde eorum expellendorum nulla hìc, & nunc advertatur obligatio, vel si advertatur, non possint secundùm præsentes, quas talis homo ignorans, & errâs habet, vires expelli, dicẽda sunt ignorantia, & error moraliter invincibilia. N. 34.

Prima pars patet: quia ille effectus dicitur voluntarius, liber, & vincibilis in causâ, cujus causa est libera: ergo cùm nunc peccatũ tàm originale, quàm personale sint libera in causâ, ignorantia, & error sequentia ad illa, ut pœna, & ut effectus peccati, dicenda erunt vincibilia, & libera in causâ, originale in Adâ, personale in personâ. N. 35.

Secunda pars probatur: quia sola authoritas, & cõmunis peritorum loquendi modus quæstionem de sensu vocum controversam dirimit, quapropter audiendi sunt TT. S. Th. 1. 2. *qu.* 76. *art.* 2. ait: *Ignorantia ..... eorũ, quæ quis scire non potest, invincibilis dicitur, quia studio superari nõ potest; & propter hoc talis ignorãtia, cum non sit voluntaria, eò quòd non est in nostrâ potestate eam repellere, non est peccatum.* Ecce in his verbis declaratur, quid sit igno- N. 36. S. Tho.

ignorantia invincibilis, nempe, quæ superari non potest, & quam repellere non est in nostrâ potestate; ubi nota tò *est*; quamvis ergo olim *fuerit* in nostrâ potestate eam repellere, si tamen nunc *non sit*, dicitur nunc invincibilis: similiter nota tò in *nostrâ potestate*, intellige *morali* juxta dicta §. *antecedenti* ex S. Thom. de Veritate *qu.* 17. de Consc. *art.* 3. quòd conscientia non ligat, nisi per conscientiam notificetur obligatio: ergo ut sit in nostrâ potestate repellere ignorantiam, debet notificari conscientiæ obligatio eam repellendi. Rursus nota rationem, cur talis ignorantia invincibilis non sit peccatum, nempe, (ait S. Thom.) quia non est voluntaria. Sanctum Thomam sequuntur omnes Thomistæ, sive Theologi, sive Summistæ videndi apud P. Moyam *tom.* 2. *qu.* 5. *n.* 29. & omnes Scotistæ, & omnes alij, quorum plurimos infra dabo; modò hi sufficiant. Adrianus *in* 4. *qu.* 5. de Confessario *dub.* 6. & 7. (quem summè laudat P. Elizal. 2. *p. lib.* 6. *qu.* 20. §. 3. *ad finem*, *pag.* 339.) ait: *Ignorantia Juris Divini excusat solum quamdiu manet invincibilis, non manet autem invincibilis, quando adest, à quo posset discere veritatem, si vellet*; & *dub.* 7. *l. c.* hæc habet: *Ignorantia solum est homini invincibilis, quando facit* (non dicit, *fecit*) *quod in se est apud Deum, & homines, ut mereatur veritatem edoceri, volens efficaciter amplecti, in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit.* P. Sanch. *lib.* 2. *de Matr. d.* 41. *n.* 46. ait: Ignorantia invincibilis est, quæ, sufficienti adhibitâ diligentiâ, vinci *non potest*: P. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 40. *sect.* 5. *n.* 13. quæ *non potest* depelli: P. Oviedo 1. 2. *tr.* 6. *contr.* 6. *pu.* 1. *num.* 7. quam nullo modo *potest* voluntas depellere; idem ait P. Ripal. *tom.* 3. de Ente *d.* 10. P. Koninck *d.* 13. de Censuris *dub.* 11 *n.* 93. Herinx *tom.* 2. *d.* 1. *qu.* 5. *n.* 29. ait: Invincibilis est, quæ, adhibitâ morali diligentiâ, *non potest* depelli: Duardus in *caput*, Omnis utriusque sexûs, §. 1. *d.* 3. *sect.* 3. ait: Conscientia erronea vincibilis est, quæ sic imprudenter judicat, ut, si debita diligentia adhiberetur, non erraret; invincibilis autem, & inculpabilis est, quæ ita errat, ut prudèter judicet non errare: M. Joan. Mart. de Prado in quæst. præcipuis Theologiæ Moralis *cap.* 2. de Peccatis *qu.* 12. §. 2. *n.* 5. ait: Ignorantia invincibilis est, quæ studio superari *non potest*; & subdit, quod S. Thomam sequantur omnes Thomistæ, & ex exteris Duran. Marsilius, Gabriel, & in hac definitione *fere omnes convenire*. M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 1. *n.* 2. ait: Invincibilis est, quę vel simpliciter, vel saltem moraliter vinci, & superari *non potest*; vincibilis, quæ vinci, & superari moraliter *potest*; immò *n.* 3. advertit cum S. Thom. 1. 2. *qu.* 76. quod ego jam adverti, quòd omnis ignorantia, quæ facilè vinci potest, si non teneor eam vincere, dicitur in esse moris invincibilis; quapropter ea tantùm dicitur in esse moris vincibilis, quam *teneor vincere*. P. Elizal. 2. *p. lib.* 5. *qu.* 3. §. 1. *pag.* 11. ait: Ignorantiam vincibilem *esse privationem scientiæ debitæ haberi*; si autem quæratur, cur dicat privationem scientiæ, non autem cujusque cognitionis, est, (ait) quia in non advertente, & in non considerante, in eo etiam, qui obliviscitur, datur privatio debitæ cognitionis, non tamen ignorantia: porrò traditam ignorantiæ definitionem esse ignorantiæ vincibilis, patet ex §. *Hinc*, ubi ait *pag.* 12. Data ergo *ignorantiæ definitio est ignorantiæ vincibilis*. S. Antonin. citatus à P. Thyrso *disp.* 11. *n.* 15. & Adrianus dicunt: *Ignorantia legis, de cujus existentia disputatur inter DD. non est ignorantia ejus, quod quis scire tenetur*; id est, non est ignorantia vincibilis, sed invincibilis: idem sentiunt P. Salas, P. Vasqu. P. Teril. P. Moya, & alij, quos legi, uno excepto P. Castro Palao, qui *tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 1. *pun.* 15. *num.* 2. utitur præterito dicens: Invincibilis dicitur, quia nullo modo illam superare *potuisti*; revera tamen non dissentit ab alijs, nam *num.* 5. vult ad ignorantiam vincibilem non satis esse, ut ex statu, & officio obligatus quis sit, nisi aliqua cogitatio adsit de tali obligatione.

S. Th. P. Eliz. S. Anton. P. Thyr. P. Sal. P. Pala.

N. 37.

N. 38.

Quapropter attendendum est tò *non potest*, quo plerique utuntur, & intelligendum est, non potest *moraliter*, ut dixi *notando* 6. §. *antecedenti*; id est, *non debet*: similiter advertendum est tò *non potest*, quod est tempus præsens, & significat, quòd, licèt ea ignorantia *olim* vinci potuerit, si tamen *nunc* vinci non potest, nunc est invincibilis: sed ignorantia, cujus expellendæ nulla nunc cognoscitur obligatio, aut si cognoscitur, attamen secundùm præsentes, quas habet, vires, vinci non potest, est ignorantia, quæ nunc vinci non potest: ergo ignorantia, & error sequentia ad originale, & personale, quæ nunc vinci non potest, dicenda est invincibilis.

N. 39. Cellad.

Confirmo 1. Ignorantia, quæ nunc vinci potest, & olim vinci non potuit, nunc est vincibilis, olim fuit invincibilis: ergo, vice versâ, ignorantia, quæ olim vinci potuit, nunc autem non potest, fuit olim vincibilis, nunc est invincibilis. Quapropter, si quoad loquendi modũ comparetur Celladei

cum Janſenio, meliùs locutus fuit Janſenius vocans ignorantiam, quæ ſequitur ad originale, & quâ nunc invincibiliter laboramus, *invincibilem*; Celladei autem ignorantiam, quę ſequitur ad perſonale præteritum, quâ nunc invincibiliter laboramus, vocat *vincibilem*, cùm abſolutè dicenda ſit invincibilis, ſi nunc vinci non poſſit. Ratio eſt; quia quòd una ſequatur ad originale, alia ad perſonale, non mutat ſtatum ignorantiæ, aliàs dicam eumdem mutari, mutato uno perſonali in aliud; quod enim mutat ſtatum ignorantiæ eſt potentia, aut impotentia moralis eam vincendi: quare omnis ignorantia, cujus expellendæ nulla datur obligatio, vel ſi datur, non cognoſcitur, vel ſi cognoſcitur, attamen nunc deponi non poteſt, (eo autem ipſo, quòd non cognoſcitur, vel ſi cognoſcitur, deponi non poteſt, non datur obligatio eam vincendi, cùm non detur obligatio ad impoſſibile, & ad ignotum) omnis, inquam, talis ignorantia, cujus expellendæ nulla datur moraliter, ſeu nulla hìc, & nunc advertitur obligatio, eſt ignorantia invincibilis; omnis autem, cujus expellendę cognoſcitur obligatio, & expelli poteſt, & non expellitur, dicenda eſt vincibilis.

N. 40. Cellad. Confirmo 2. quęrendo à Celladei, an aliqua ignorantia ſequens ad perſonale ſit vincibilis, an omnis ſequens ad perſonale ſit invincibilis? Si dicat aliquam eſſe invincibilem, habeo intentum: ſi autem dicat omnem ſequentem ad perſonale eſſe vincibilem: ergo dicit contradictionem, nam *lib. 1. qu. 13. ad finem pag. 51.* ait, *doctrinam ex aliquâ ordinariâ ignorantiâ putatam probabiliorem, aut veram, eſſe tutam*, ſi autem eſt tuta, utique quia eſt ex ignorantiâ invincibili: & *lib. 2. qu. 18. ad finem* ait, *Indoctos inventâ authoritate ei fidere poſſe, nec ulterius procedere debere;* poteſt autem aliquis idiota poſt perſonale fidere authoritati, eique apparere ex errore, & ignorantâ invincibili ſufficiens ad non peccandum: ergo non omnis ignorantia ſequens ad perſonale eſt vincibilis, nec omnis eſt invincibilis; immò *2. p. lib. 5. qu. 3. §. 1. pag. 12.* abſolutè aſſerit: Poteſt eadem ignorantia eſſe antecedens, & conſequens quoad diverſos actus voluntatis, & ignorantia inducta per unum actum eſſe cauſa alterius: ergo falſum, quòd omnis ſequens ad perſonale ſit vincibilis; ſed aliqua eſt vincibilis, aliqua invincibilis.

§. III.

Quæ ignorantia, & error excuſent à peccato?

SVMMARIVM.

Omnis ignorantia, & error, juris, aut facti, ſi nunc non advertatur obligatio, excuſat à peccato actum ſequentem. DD. n. 41.
Ignorantia juris, & facti quid? n. 42.
Hæretici ubique ſonant S. Auguſtinum, n. 43.
Acutè D. Auguſt. exponit, quomodo pœna, & effectus peccati ſint impropriè peccatum, ibid.
Neſciens non peccat, ex S. Aug. ibid.
De eſſentiâ peccati juxta S. Thom. eſt libertas à coactione, & neceſſitate, n. 45.
Ignorantia nunc vincibilis fieri poteſt invincibilis, n. 46.
Ingentia abſurda ex oppoſitâ ſententiâ, n. 48. ad 68.
Dei mandata erunt obſervatu impoſſibilia, nec erit in noſtrâ manu vias malas facere bonas, n. 49.
Aliæ ab Urb. VIII. Innoc. X. Alex. VII. & VIII. damnatæ, n. 50.
Libertas peccati ſupponit cognitionem peccati, 51
Deus nequit jubere impoſſibile, n. 53.
Ex æquivalentibus, ſi una affirmatur, & alia; ſi negatur, & alia, n. 54.
Janſenius, vel negare debet quod docet, vel affirmare quod Calvinus, ibid.
Oſtendo contra Celladei, quòd Decreta Pontificum erunt de voce, n. 55.
Oſtendo, quòd ſola veritas non ſit regula, num. 56. 57.
Aſſerit, difficillimum eſſe probabile de ſufficienti diligentiâ formare judicium, & quòd taxari non poſſit menſura de quantitate diligentiæ, n. 59.
Caramuel eleganter exponit, quid ab idiota præſtandum, n. 60.
Quod plus requiratur ad honeſtè, quàm ad ſine peccato operandum, non probat, quòd error invincibilis non honeſtet actionem, n. 61. ad 69.
M. Soto ſenior aſſeruit licere minus probabilem; Celladei ſenior negavit, n. 68.
Celladei contradictoria, n. 69.

SEcunda concluſio: Omnis ignorantia, N. vel error, ſive juris, quodcumque illud 41.
ſit, ſive facti, antecedens, aut conſequens ad peccatũ, tam originale, quàm perſonale, cujus expellendæ nulla hìc, & nunc advertatur obligatio, excuſat ſemper à peccato actionem, aut omiſſionem ad illam ſequentem, ſecundùm id quod ignoratur. Eſt cõtra Lutherum, Calvinum, Baium, Janſenium, & aliquos modernos Lovanienſes adhærentes p. Thyr. Janſenio, quos impugnat P. Thyrſus *tom. 4.* S. Aug. *d. 6.* ſed eſt S. Aug. S. Th. *1. 2. qu. 19. art. 6.* S. Th. Mercor.

M.Mer. P.Ripald. P.Suar. P.Ovie. P.Sanc. Palanc. P.Moy. P.Teril. P.de Champs. C.Aguil. P.Martinoni. Mercor. 1.*p. art.*4. *mihi pag.* 10. P. Ripald. *tom.*3. *d.* 10. contra Baium, P.Suar. *tom.*5. *in* 3.*p. d.*4. *sect.*8. *n.*18. P. Vasqu. 1.2. *d.* 123. *cap.*2. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 1. *n.*7. & 8. Palanc. *qu.*4. de Consc. P.Ovied. *l.c.* P.Moya *l.c.* & omnium, quos dedi §. *antecedenti*, P. Card. *tom.* 3. *d.* 56. *n.* 272. P. Teril. P. de Champs, C. Aguirre *tom.* 3. in S. Anselm. ferè per totum, P. Martinoni in suo Antijansenio *d.* 16. *sect.*2. ubi ostendit Jansenium bibisse suam doctrinam à Luthero, cujus verba trahit, & à Zanchio Lutheri, & Calvini discipulo, cujus Calvini, & Zanchij verba refert; quod idem præstiterat P. Ripal. & nunc P. Thyrsus *tom.*4. *d.*6. *n.*9. licèt quoad ignorantiam sequentem ad personale vi-

P.Eliz. Herinx. Caram. deatur aliqualiter sentire cum P. Elizal. Herinx *tom.*2. *d.*4. *n.*14. qui ait, esse certum apud omnes, Caram. *tom.* 4. Theol. Mor. Fund. *in q. proœmiali n.* 17. trahens verba Lutheri, & Calvini; immò ait, nostram conclusionem esse adeò certam, ut fuerit olim à Catholicis opposita Manichæorum doctrina

S. Aug. P Card. impugnata, adeò ut S. August. *lib.* de duabus animabus dixerit *cap.* 11. quòd nostra doctrina à *pastoribus cantaretur in montibus, a Poetis in theatris, ab indoctis in circulis, a doctis in bibliothecis, a Magistris in Scholis, a Pontificibus in Templis, & a genere humano in Orbe terrarum.*

N. 42. Dixi 1. Omnis ignorantia, sive negativa, quæ absolutè dicitur ignorantia, sive positiva, quæ *error* dicitur, *cujus vincendæ nulla hic, & nunc cognoscitur obligatio*, (sive deinde ea ignorantia secuta ad personale vocetur vincibilis, ut vult Cellad. sive verè dicenda sit invincibilis, ut probavi §. *elapso*, est enim lis de nomine) dico, inquam, omnem talem ignorantiam, quomodocumque vocetur, si ejus vincendæ nulla hic, & nunc advertatur obligatio, *excusare semper a peccato actionem, aut omissionem sequentem illam ignorantiam.*

Cellad.

Dixi 2. excusare *secundùm formalitatem ignoratam*, ita ut, si homo à te occisus, non sit à te cognitus, ut pater, sed ut homo, non erit parricidium formale, sed tantùm materiale, licèt sit homicidium formale.

Dixi 3. *juris, aut facti*; duplex enim est: ignorantia juris est ignorantia legis, seu præcepti; ignorantia facti est, cùm ignoro, an tale opus comprehendatur sub lege, aut præ-

P.Eliz. cepto non ignorato; subdit autem P. Eliz. 2. *p. lib.*5. *qu.*3. §.1. *pag.*12. quòd quia lex, & jus sunt universalium, facta autem particularia, & in singulari, antiqui TT. ignorantiam juris vocabant universalem; facti autem particularem.

Dixi 4. *juris, quodcumque illud sit*, nempe, sive naturalis, sive Divini, sive positivi humani, excusare à peccato; nam Baius docet Baius. hoc esse discrimen inter ignorantiam juris naturalis, & ignorantiam cæterorum jurium, quòd ignorantia juris naturalis, etsi possit esse invincibilis, non excusat à culpâ opus, quod est contra legem naturalem: in idem recidit Jansenius. Quòd autem dari Jansen. possit ignorantia invincibilis juris naturalis, est frequentissima TT. sententia, quia licèt plura spectantia ad jus naturale sint immediatè nota, plura tamen sunt, quæ à primis naturalibus principijs longè distant, immò, quæ non nisi probabiliter ex illis inferuntur; circa hæc autem adeò distantia dari potest ignorantia, & error invincibilis, ut dicam. Lege P. Ripal. *tom.*3. *d.*10. *n.*2. P. Ripald.

Dixi 5. *sive facti*: ignorantia enim juris est ignorantia circa existentiam legis; ignorantia facti est ignorantia, quòd tale factum sit contra eam legem existentem, ut communiter DD. licèt Herinx *tom.* 2. *d.*1. *qu.*5. *n.* Herin. 28. aliter explicet.

Probatur 1. ex S. August. quem licèt N. Baius, & Jansenius suæ sententiæ Patronum 43. asserant, immò quem Hæretici, ut ait Ca- S.Aug. ram. *l. c. Fundam.* 3. *in* 7. *ratione num.* 225. Caram. *pag. mihi* 92. *& pag.* 122. *num.* 335. quem, inquam, plerique Hæretici sanctissimum, & doctissimum vocant, & eum solum suorum errorum Ducem agnoscunt, relictis alijs SS. PP. immeritò tamen, nullus enim oppositæ sententiæ Hostis Augustino infensior reperiri potest; nam *lib.* 3. de libero arbitrio *cap.* S.Aug. 19. postquam dixit, *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; ista propriè tua peccata sunt*; quæ verba repetit *lib.* de Naturâ, & Gratiâ *cap.* 67. & *lib.* 1. Retract. *cap.* 9. hæc immediatè subdit *l. c.* de lib. arbitr. *cap.* 19. *Nam illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis* (intellige Adami) *originem ducunt: nam sicut linguam dicimus non solum membrũ, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam, tenoremque membrorum, secundùm quem motum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & à sciente committitur, sed etiam, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est.* Hæc verba benè penetrata manifestant doctrinam Catholicam, & enervant omnem objectionem, quam ex S. August. Baius, malè intellecto in nos armant Baius, Janse- Jansen.

nius. Primò enim declarant nullum *propriè* esse peccatum, si à non sciente committatur, & de peccati *propriè* sumpti essentiâ esse, ut à sciente esse peccatum, committatur. Secundò declarant, quo sensu actiones aliquæ in se malæ à non sciente, seu ab ignorante esse malas commissæ, dicantur peccatum, nempe *impropriè*; & specioso explicatur exemplo, scilicet linguæ, nam sicut sermo Græcus, aut Latinus dicuntur lingua, non propriè, hæc enim est solum membrum oris, sed impropriè, quatenus sermo ille est effectus linguæ; ita ignorantia immissa in pœnam peccati dicitur impropriè peccatum, quatenus est effectus peccati, & omnes actiones malæ commissæ cum ignorantiâ malitiæ dicuntur impropriè peccatum, non solùm quia sunt effectus ignorantiæ immissæ in pœnam peccati, sed etiam quia habent oppositionem materialem cum lege ignoratâ. Tertiò declarant ignorantiam *invitam*, seu involuntariam tollere ab actione rationem culpæ imputabilis. Quartò declarant germanam objectionum solutionem infrà exhibendam. Omitto alia S.Aug. loca rectè expensa à P. Ripal. *d.* 10. & P. de Champs.

P. Rip. P. de Cham.

N. 44. S. Chrysost.

Accedit S. Chrysostomus *Homil.* 15. *ad Rom. Nemo umquam ignoranter peccavit, vides quomodo innumera sequerentur absurda, nisi dicta competenti religione legeremus? Si enim ignoranter peccaverunt, indigni utique erant, qui pœnas darent.* Et Hom. 44. in Matth. um ait: *Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas:* ergo ex oppositio ignorantia veritatis hìc, & nunc non assequibilis est excusatio condemnationis. Et *serm.* 12. *de Concupisc.* ait: *Si ignores quæ sciri nequeunt, aut cognosci, culpâ vacabis, non verò, si te cognitu facilia lateant, extrema supplicia feres.* In quibus verbis declaratur, tùm quid sit ignorantia invincibilis, & quòd illa excuset à culpâ; tùm quid sit vincibilis, & quòd hæc non excusat.

N. 45. S. Th.

Idem tradit Angel. Doctor pluribus in locis, præcipuè *in* 2. Sentent. *dist.* 22. *art.* 5. *in corp.* ubi ait: *Libertas à coactione, ac necessitate per se, & semper liberum arbitrium comitatur, ut in litterâ dicitur, quod in omnibus invenitur, sine quâ peccatum imputari non posset.*

C. Agui.

Quid clarius contra Jansenium? ut notatum etiam reperi in Emin. Aguir. *tom.* 3. in S. Ansel. *d.* 104. *n.* 27. & 1. 2. *qu.* 76. *art.* 2. ait:

S. Th.

Non imputatur homini ad negligentiam, (intellige culpabilem, seu vincibilem, idem enim sunt) *si nesciat, quæ scire non potest, unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eò quòd non est in potestate nostrâ repellere eam, non est peccatum.* Et *quodlib.* 8. *art.* 15. hæc habet: *Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantiâ ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur ..... quando verò error non habet vim absolvendi, est, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantiâ ejus, quod quis scire tenetur, & potest.* Quo nil clarius, brevius, & mirabilius ad intentum: ecce enim per S. Thom. nescire, quod sciri non potest, non est peccatum; & ignorantia eorum, quæ quis scire non potest, est invincibilis, & ideo vocatur invincibilis, quia studio superari non potest: ratio autem cur ea ignorantia non sit peccatum, ex S. Thom. est; quia non est voluntaria, nec in manu nostrâ est eam repellere; hoc autem dicit de omni ignorantiâ, sive hæc sequatur ad originale, sive ad personale, nempe, quòd si hìc, & nunc non sit in manu nostrâ eam repellere, nunc non est peccatum, esto olim potuerit esse voluntaria. Si autem talis ignorantia non est peccatum, multò minùs actio, aut omissio substans illi ignorantiæ erit peccatum, cùm etiam juxta Adversarios omnis ea actio, vel omissio ideo dicatur peccatum, quia est libera in causâ peccaminosâ, nempe in ignorantiâ: sed ignorantia, quam repellere non est nunc in nostrâ potestate, nunc non est libera, nec nunc est peccatum: ergo neque actio eam sequens potest nunc esse peccatum.

N. 46. S. Th. S. Aug.

Ex his constat 1. omne, quod sequitur ad *invitam* ignorantiam, non esse peccatum ratione sui imputabile; ita S. August. S. Chrys. S. Thom. 2. quòd peccatum, si quod est, ad summum est in non indagatione veritatis facilè invenibilis, quâ deinde ignorantiâ etsi culpabili, & vincibili admissâ, si postea ejus expellendæ nulla detur advertentia, ita ut nunc non sit ampliùs in nostrâ potestate eam expellere, actio ad eam ignorantiam sequens, immò nec ipsa ignorantia erit hìc, & nunc peccatum: 3. constat ignorâtiam nunc vincibilem, voluntariam, & culpabilem, posse successu temporis fieri invincibilem, involuntariam, inculpabilem. Hanc ipsam doctrinam insinuavit etiam Christus *D. Joannis* 15. qui loquens de Judæis dixit, quod non peccassent, si non fuisset eis locutus; id est, quòd Judæi non peccassent, si non advertissent ad obligationem audiendi Christum D. peccassent quidem peccato negligentiæ, si cognoscentes debitum audiendi, cum non audissent; supposito tamen deinde ignorantiæ peccato in non audiendo Christum

Joan. 15

stum D. non peccassent peccato infidelitatis, si in eum non credidissent. Porrò neque
N. 47. S. Augustin. neque S. Thom. loquuntur de ignorantiâ antecedenti ad originale, aut personale, sed de omni, sive sit antecedens, sive consequens, & dicunt, quòd quando vitari non potest, excusat à peccato: & ideo acutè duplicem distinguentes ignorantiam, unam, quæ propter negligentiam culpabilem inquirendi veritatem, est peccatum, aliam, quæ tantùm est pœna peccati, expresè dicunt, solam ignorantiam eorum, quæ quis scire non vult, esse peccatum; intellige negligentiæ, contra obligationem cognitam inquirendi veritatem; ea autem ignorantiâ suppositâ, excusari à peccato *denuo imputabili* omnes, qui obligationem ignoratam non implêt: ergo nulla operatio sequens ad ignorantiam etiam eorum, quæ quis scire tenetur, immo sequens ad ignorantiam *olim* voluntariam, vincibilem, & culpabilem, si ea hic, & nunc expelli moraliter non potest, quatenus non advertitur obligatio eam expellendi, nulla, inquam, operatio sequens ad talem ignorantiam est peccatum ratione sui formaliter imputabile.

N. 48. Secundò probatur: Si omnimoda malitiæ, aut prohibitionis ignorantia, (quam deinceps vocabo, ut est, invincibilem moraliter) sive antecedens, sive consequens ad originale, aut personale, ut pœna eorum; immò si talis ignorantia, etsi ea fuerit peccatum negligentiæ contra obligationem indagandi veritatem, seu peccatum contra virtutem studiositatis, non excusaret à peccato, sequeretur 1. quòd *aliqua Dei præcepta hic, & nunc obligantia essent observatu impossibilia,*
N. 49. *& quod homo posset peccare, seu demereri sine libertate indifferentia ad non peccandum.* Sequeretur 2. quòd *non esset in potestate hominis* hâc ignorantiâ laborantis *vias suas malas facere bonas*: sed hæc omnia sunt hæreticas; nam
Trident. Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum *sess. 6. can. 6.* definivit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas per peccatum facere bonas, anathema sit;* & *sess. 6. cap. 11.* ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere,*
Pius V Greg. XIII. Urban. VIII. *quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Et Pius V. & Greg. XIII. & Vrbanus VIII. damnarunt octoginta propositiones Baij, inter quas trigesima nona erat, *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit;* in quod idem incidit quadragesima prima; de quibus Baij
P. Petavius. propositionibus legi potest P. Petavius *tom. 3. suæ Theologiæ dogmaticæ lib. 5. circa finem*, P. de Champs *lib. 2. de Hæresi Jansenianâ cap. 4.*
P. Rip. P. Ripal. *tom. 3. contra Baium d. 14.* Similiter Vrbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. & VIII. damnarunt, ut hæreticas, has, N. 50. & similes propositiones: *Ad merendum, &* Innoc. X. *demerendum non requiritur libertas a necessitate, sufficit à coactione: Aliqua Dei præcepta ho-* Alex. VII. *minibus justis volentibus, & conantibus secun-* Alex. VIII. *dum præsentes, quas habent, vires, sunt observa-* Jansen. *tu impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant; tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc operantem ex ipsâ, non excusat à peccato formali*: ergo omnis ignorantia moraliter invincibilis, etsi consequens ad peccatum, excusat semper à peccato operationem sub eâ positam. Sequelæ probantur: quia implicat, ut observetur præceptum omnino ignoratum, non enim voluntas potest velle ignotum; si autem implicat observatio præcepti, eò ipso necessaria est transgressio ejusdem; si necessaria est ejus transgressio, non est in potestate hominis vias suas malas facere bonas; nec est in potestate hominis non peccare, & mereri: ergo si ignorantia non excusat à peccato, homo eam patiens, peccat, & demeretur, non habens potestatem non peccandi, & merendi. N.
Ratio à priori est; quia constitutivum liber- 51.
tatis moralis ad peccatum, & non peccatum, est duplex realiter, aut æquivalenter cognitio, una retrahens obligatoriè à peccato, altera alliciens obligatoriè ad non peccatum, vel ad bonum præceptum: sed stante omnimodâ ignorantiâ malitiæ, vel præcepti prohibentis, non adest cognitio retrahens à malitiâ, & prohibitione: ergo, stante tali ignorantiâ, non datur libertas, nec ad peccatum, nec ad non peccatum; nam libertas ad unum extremum includit necessariò potentiam ad oppositum contrariè, vel saltem contradictoriè extremum; libertas enim est simultas potentiæ, seu duæ simul potentiæ ad oppositum extrema divisim: ergo nullum tunc est imputabile peccatum.

Probatur 3. Quoties malitia non est vo- N.
luntaria nec in se, nec in causâ, seu in igno- 52.
rantiâ, aut errore intellectus, toties nullum est peccatum: sed quoties alicui, sive ex rectâ, sive ex invincibiliter errante ratione proponitur aliquid non esse peccatum, tunc malitia non est voluntaria, neque in se, quia eam non cognoscit; neque in ignorantiâ, vel errore intellectus, quia eum errorem hic, & nunc vincere non potest, ut suppono: ergo toties tunc nullum est in eâ operatione peccatum.

Confirmo 1. quia si ex errore invincibili N.
putans operationem esse rectam adhuc pec- 53.
caret, Deus juberet impossibilia, quod est hæreticum. Sequela probatur: quia si ex

errore

errore invincibili judicans se teneri ad leve mendaciũ ob vitam proximi tuendam peccaret: vel peccaret, quia vellet mendacium cognitum à se ut malum; hoc autem implicat; cùm enim, ut suppono, non cognoscat mendacium sub tali circumstantiâ ut malum, non potest velle illud ut malum, nam voluntas non fertur in incognitum: vel peccaret, quia non rejecit à se ignorantiam, vel errorem de non malitiâ mendacij; & hoc etiam implicat; quia ignorantia, & error invincibilis est, qui non potest in sensu composito, quòd talis sit, vinci ab homine: ergo peccaret non utendo diligentiâ tunc sibi impossibili: ergo peccaret non potens non peccare, & non potens obedire Deo.

N. 54. Confirmo 2. quia ex duplici æquivalenti si affirmetur, aut negetur una, debet eodem modo affirmari, aut negari altera; alias si una ex æquivalentibus affirmaretur, & alia negaretur, idem æquivalenter affirmaretur, & negaretur, quod repugnat; nam implicat idem simul esse, & non esse: sed hæ duæ propositiones, *Non est in potestate hominis facere bonum: Præcepta Dei sunt homini observatu impossibilia*, sunt æquivalentes: ergo si prima negatur, quia hæretica, debet etiam secunda negari; & econtrà: sed stante ignorantiâ invincibili præcepti, non est in potestate hominis observare præceptum: ergo, eâ stante, non est in potestate hominis facere bonum: ergo si Jansenius negat ut hæreticam hanc Lutheri, & Calvini propositionẽ, quam Tridentinum damnavit, *Non est in potestate hominis facere bonum*; debet etiam negare ut hæreticam hanc illi æquivalentem, *Præcepta Dei sunt homini conanti observatu impossibilia*. Hoc argumentum est ad hominem contra Jansenium; & simile ad hominem fieri potest contra Baium, qui vel debet consentire Luthero, & Calvino negantibus ignorantiam invincibilem excusare à peccato, quorum verba recitat P. Ripalda *tom.* 3. *d.* 10. *n.* 21. si Baius consentit suæ propositioni; vel si negat propositionem Lutheri, & Calvini, debet negare suam, cùm sint æquivalentes.

P. Rip.

N. 55. Probatur 4. contra P. Elizal. primò enim contra eum stant omnia argumenta adducta contra Baium, & Jansenium; si enim P. Elizal. dicat suam ignorantiam, quia sequitur ad personale, esse vincibilem in causâ, nempe in peccato personali; dicent Baiani, & Jansenistæ suam etiam ignorantiam, quia sequitur ad originale, esse vincibilẽ in causâ, nempe in originali; adeoque conclamatum erit de doctrinâ Catholicâ, de definitionibus Pontificum, & Conciliorum, & tota lis inter Catholicam, & Baianam, vel Jansenianam doctrinam reducetur ad quæstionem de nomine, an necne ignorantia sequens ad peccatũ dicenda sit vincibilis, esto hìc, & nunc vinci non possit? Addo, quòd Jansenista, & Catholicus instabit contra P. Elizal. cur ignorantia sequens ad personale, à P. Elizal. vocetur vincibilis, & non possit vocari vincibilis ignorantia, quæ sequitur ad originale? Rurius instabunt, cur ignorãtia sequens ad originale excuset à peccato, & tollat libertatem ad utrumque extremum, ut Ecclesia Catholica dennit; econtra sequens ad personale non excusat? Sanè, ne umbram quidem disparitatis dabit P. Elizal. sive Jansenistę conquerenti de suæ doctrinæ damnatione, sive Catholico eamdem damnationem approbanti. II. directè arguo contra P. Elizal. cùm enim totus sit in docendo solam veritatem esse regulam conscientiæ, ita *lib.* 2. *qu.* 12. *initio pag.* 101. *& lib.* 1. *qu.* 1. §. 4. *&* 5. *pag.* 3. *&* 4. ubi ait: *Indubitatum videtur omnem docentem doctrinas falsas, etsi probabiliores, non Dei, sed hominum docere doctrinas*; adeoque infert, non tantùm probabilius, sed, quod mirabile est, nec certum, esse morum regulam; ait enim, *Nec certum pro regulâ morum placere potuit, nisi sit verum*; iterumque repetit solam veritatem esse morum regulam, *solas doctrinas veras de Cælo esse, solas illas in Cælum ducere posse, vetulas Cælum rapere non opinione, sed veritate, & pluris est nobis* (de se loquitur) *conclusio probabilis vera, quam probabilior, aut etiam apparenter certa, sed falsa*: cùm, inquam, hæc, & alia doceat, quæ adduxi §. 1. sequitur, quòd directè doceat (nisi egregiè hallucinor, & utinam hallucinarer) propositiones Jansenij, & Baij; quid enim, quæso, est dicere, *Sola veritas est regula morum*, quàm negare, quòd ignorantia invincibilis sit regula morum? Sed ignorantia invincibilis est regula morum, nam sufficit ad meritum, & demeritum: ergo. Sequitur 2. quòd si sola veritas est regula morum, quod erit impossibile, ut homo servet legem Dei; nam per P. Eliz. ut homo mereatur, & non peccet, necessarium est judicium verum de honestate objecti, & licentiâ actionis: sed stante invincibili ignorantiâ de honestate objecti, & licentiâ actionis, implicat judicium verum de honestate objecti, & actionis: ergo, eâ stante, impossibile est, ut homo non peccet, & ut mereatur: ergo homo peccat, & demeretur carens potestate merendi, & non peccandi. Sequitur 3. impossibile esse homini eâ ignorantiâ invincibili laboranti secundùm præsentes, quas habet, vires, observare legem Dei, quia, stante

N. 56. P. Eliz.

N. 57.

stante eâ ignorantiâ invincibili, non est in potestate illius hominis habere conscientiam veram: sed per P. Elizal. conscientia vera est necessaria ad observandam legem Dei: ergo vel falsum est, *solam* conscientiam veram esse regulam morum; vel si hoc verum est, impossibile erit homini conanti secundùm præsentes, quas habet, vires, observare legem Dei, quod acatholicum est. Sequitur 4. quòd ferè numquàm homo poterit honestè operari, quia per P. Elizal. sola conscientia vera est regula morum: ergo cùm vix sit in nostrâ potestate aliquando habere conscientiam veram, vix aliquando homo quantumcumque perfectus poterit honestè operari.

N. 58. Confirmo 1. quia cùm P. Elizal. ex unâ parte doceat, quod, ne homo peccet, habere debeat judicium verum de non malitiâ objecti, & se nullâ ignorâtiâ laborare, & usum fuisse debitâ in inquisitione veritatis diligentiâ; ex alterâ parte *lib. 4. qu. 6. §. 2. pag.* 219. dicat, difficillimum esse concipere judicium, non dico certum, sed *probabile* de sufficienti diligentiâ; ut enim aliquis sibi persuadeat se debitâ usum diligentiâ, debet N. 59. sibi coram Deo persuadere, *se legem Dei dilexisse, nam qui non diligit, non satis quærit, se mandata Dei sui quæsivisse*, & *super senes*, & se docentes *intellexisse*; immo hoc non contentus docet alijs in locis citatis à P. Moya *tom. 2. qu. 5. §. 7. a n.* 49. non posse taxari mensuram de quantitate diligentiæ necessariâ; quod ipsum fusissimè docet iterùm idem P. Elizal. *2. p. lib. 5. qu. 15. per totum §. Quintum pag. mihi* 109. & denuò innuit *lib. 6. qu. 7. §. 5. pag.* 201. cùm hæc, inquam, P. Elizal. doceat, (in quod idem inclinat P. Thyrsus *disp.* 10. *a n.* 27. docens certitudinem sufficientis diligentiæ esse acquisitu difficilem) sequitur eumdem P. Elizal. apertè sentire, quod, ut homo vias suas malas faciat bonas, teneatur ad quid impossibile habendum; non tantùm, quia talis homo laborans ignorantiâ invincibili de bonitate, & licentiâ operationis non potest tunc concipere judicium verum de eâ bonitate; sed etiam, quia est impossibile judicium verum de sufficienti diligentiâ adhibitâ, eò ipso quòd est impossibile scire, quæ sit, ut docet P. Elizal. sufficiens mensura diligentiæ adhibendæ. Omitto concordare, quæ modò ex P. Elizal. adduxi, cum ejusdem dicto, *Vetulæ Cælum rapiunt non opinione, sed veritate*; quo enim stamine veritatem vetulæ expiscentur, quæ viris apprimè doctis adeò difficilis est, ut nè quidem mensura sufficientis diligentiæ necessariæ pro veritatis inquisitione cognita sit? Certè eleganter, & verè discurrit Caram. *lib. 4. Theol. Mor. Fund. qu. proœmiali;* N. 60. ait enim idiotas scire, esse in Cælo multos idiotas, immò plures eorum esse canonizatos: ergo supponere debent, se, si fecerint, quæ illi, esse etiam glorificandos. Sed quid fecerunt illi? An ne legerunt libros, & rationum fundamenta librarunt? Fuissent superbi, si id fecissent; superbiamque non comitatur sanctitas. Quid ergo? Jubent aliqui, ut illiteratus eligat communiorem sententiam; alij ut communem. Sed unde scire poterit idiota, utra sit, aut non sit communis, & secura sententia? Jubeo ego, inquit Caram. ut Confessarium eligat, quem videt passim inter doctos censeri, (nam etiam analphabeti ex famâ, & communi applausu doctos ab indoctis secernunt) & ejus directioni se committat; non interrogando, quid probabilius sit, hoc enim turbabit ejus intellectum; sed quid tutâ conscientia possit. Ecce si idiota Confessario se submittens, cumque ex communi applausu ab indoctis secernens, habet regulam, quâ tutè operetur; cur doctus utens mensurâ diligentiæ, quâ alius doctus utitur, habere non poterit tutam pro conscientiæ directione regulam, & severam pro quantitate diligentiæ mensuram?

Caram

Confirmo 2. contra eumdem P. Elizal. N. quæro enim, an judicium invincibiliter falsum de non malitiâ excuset à peccato? Si P. Eliz. affirmat, ut affirmat *lib. 1. qu. 1. §. 4. pag.* 3. ubi ait, doctrinas veras esse regulam morum, falsas autem ad summùm excusare à peccato; si, inquam, affirmet, peto priùs cohærentiam, cur ignorantia invincibilis de non malitiâ actionis tollat ab eâ actione malitiam, seu excuset illam à peccato; ignorantia autem invincibilis de honestate actionis non reddat eam actionem honestam? Si enim dixerit disparitatem esse, quia plus est honestare actionem, quàm tollere ab actione malitiam, ut insinuat *lib. 2. qu. 10. §. 3. pag.* N. 35. dicens: *Plus est juxta omnes habere probabile conscientiæ, quàm habere aliquid, ex quo proveniat non peccare*; si, inquam, hoc dixerit, nihil dicet, ut enim ignorantia invincibilis de non peccato tollit rationem peccati, imò reddit meritorium, & honestum non peccatum, eâ ratione, quâ omissio peccati esse potest honesta, & meritoria; ita ignorantia, seu error invincibilis de honestate poterit eam actionem reddere honestam, & meritoriâ. Deinde gratis transmitto, quòd error positivus de honestate non honestet actionem, ignorantia autem invincibilis de non malitiâ excuset à peccato; adhuc, hoc dato,

61.

62.

sequi-

sequitur evidenter, quòd homo habens ignorantiam invincibilem de non malitiâ actionis, non possit facere vias suas *bonas*,
N. 63. nam ad summum poterit facere vias suas *non malas*, quatenus illa ignorantia invincibilis de malitiâ excusat à peccato; non autem facere poterit vias suas bonas; ut enim faciat bonas, seu actum honestũ, non satis est, juxta P. Elizal. error invincibilis de honestate, sed requiritur judicium verum de honestate: sed homo laborans ignorantiâ invincibili de honestate non potest tunc habere judicium verum de honestate; id est, homo ex errore judicans talem actionem non esse malam, immò honestam, non potest habere judicium verum, quòd sit honesta; si enim est falsum non esse malam, & est falsum esse honestam, verum est esse malam, & esse inhonestam; suntque incompossibilia duo judicia, unum erroneum de honestate, alterum verum de honestate; & sicut judicium verum, quòd sit honesta, non potest stare cum judicio vero, quòd sit mala, ita judicium verum, quòd sit honesta, non potest stare cum judicio falso, quòd sit honesta. Sequela autem est contra Tridentinum docens, esse in manu hominis vias suas malas facere bonas. Demum sequitur, quòd
N. 64. non sit in potestate hominis mereri per non peccatum; qui enim ex errore invincibili putat talem actionem non esse peccatum, ut mereatur per non peccatum, debet habere judicium verum de non peccato, quod judicium repugnat cum dicta ignorantiâ invincibili. Omitto plura; facile enim est ostendere, quòd si error positivus de honestate non honestat actionem, neque error positivus de non malitiâ excusabit à peccato; vel si iste excusat, ille honestat. Quare quoad hoc cohærentiùs processit Jansenius, qui non tantùm negat, quòd error invincibilis honestet actionem, sed etiam quòd excuset à peccato; de quibus fusiùs infrà.

N. 65. P. Eliz. P. Moy. Confirmo 3. ex absurdis latè deductis contra P. Elizal. à P. Moya *tom. 2. qu. 5. §. 6.* ego unum tantùm adducam: Si ignorantia consequens ad peccatum ut pœna non excusaret à peccato *denuò imputabili* actionem sub eâ commissam, sequitur, quòd transgressio illa erit hìc, & nunc imputabilis per libertatem, quæ nunc non existit, sed quæ ante plures annos extitit, ex. gr. ante viginti, dum eo anno peccavi, & in cujus peccati pœnam ea ignorantia immissa fuit; atque adeò sequitur, quod nunc pecco per libertatem, quam nunc non habeo, sed habui ante 20. annos, quod est hæreticum; nam est de fide, quòd eo instanti, quo homo peccat, sit liber libertate indifferentiæ ad non peccandum; aliàs homo peccaret nunc necessariò, quod repugnat; omne enim necessariũ necessitate antecedenti tollit peccatum: sed ignorantia, quòd talis actio sit transgressio legis, facit necessitatem antecedentem, nam se tenet ex parte potentiæ, à quâ tollit cognitionem de malitiâ talis actionis, nempe cognitionem retrahentem à peccato, & allicientem ad non peccatũ: ergo omnis ignorantia consequens ad peccatum præteritum, ut pœna illius, si sit hìc, & nunc invincibilis, excusat à peccato actionem sequentem substantem illi ignorantiæ. De cætero di- N.
cam, quòd amans, stante amentiâ, si hæc 66.
permissa fuit in pœnam peccati præteriti, sit liber ad peccandum nunc. Similiter si ignorantia sequens ad peccatum, ut pœna, dummodo sit hìc, & nunc invincibilis, non excusat à peccato, sequitur impossibile esse petere, & dare consilium; cùm enim ignorantia possit esse pœna peccati venialis, à quo nemo immunis, consequenter dans consilium potest rationabiliter timere, nè Deus permittat consilium falsum; & petens poterit idem timere. Rursus sequitur, quod N.
omnis innocentior, & sanctior erit doctior, 67.
quia minùs timere potest ignorantiam; adeoque puerorum, & vetularum consilijs potiùs, quàm Theologorum standum erit, quia pueri, & vetulæ ab omni curâ abstractæ, minora habent peccata, quàm Theologi annis, & scientijs decrepiti; immò si in re seriâ jocari liceret, standum potiùs erit eidem Patri Elizal. juniori affirmanti licitum sequi minùs probabilem, quàm eidem seniori hoc neganti, quia junior minoribus peccatis subjectus fuit, quàm senior; senectus enim, præter senectutis culpas, comprehendit reliquas adolescentiæ, & aliarum ætatum culpas; quis autem hoc seriò dicat, quòd Doctori juniori standum potiùs sit, quàm eidem seniori? nam augmento annorum augentur venialia: ergo cùm P. Elizal. junior putaverit opinionem minùs probabilem posse esse morum regulam, deinde provectior docuerit solam probabiliorem esse regulam morum, tandem decrepitus dixerit solam veritatem esse morum regulam, ut de se fatetur *lib. 1. §. 4. pag. 3.* consequenter opinio minùs probabilis erit regula morum. Prætermittere tamen nolo, ut in- N.
genia Doctorum miremur, quàm oppositò 68.
modo P. Elizal. & M. Dom. de Soto processerint; nam P. Eliz. junior asseruit licere sequi minus probabilem; provectior autem P. Eliz.
hoc negavit: econtra M. Soto junior nega- M. Sot.
vit licere sequi minùs probabilem, *lib. 3. de Just.*

Vetric. *Just. q.6. art. 5. ad 4.* & citatur à Verricelli *tr. 2.* de Opinione prob. *qu. 10. pag. 58.* & à Caram. Caram. in Dialexi *n. 546.* & tamen senior mutavit sententiam affirmans licere sequi minùs probabilem, ut constat ex *lib. 10. de Just. qu. 5. art. 3. & in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4.*

N. 69. P. Eliz. Confirmo 4. ex contradictorijs ipsius P. Elizal. cùm enim fuerit vir omnino Catholicus, & verè religiosus, hinc sentit ignorantiam invincibilem excusare à peccato; cùm autem nimio contra Probabilistas zelo rapi se permiserit, hinc docuit solam veritatem esse regulam morum, quæ, ut dixi, sunt æquivalenter contradictoria; si enim sola veritas est regula morum, sola veritas excusat à peccato: ergo error non excusat. Imò audi apertiora adhuc contradictoria; nam *lib. 2. q. 10. §. 3. ad finem pag. 95.* ait: *Ponamus quem ex invincibili errore firmissimè persuasum esse aliquam legem, vel obligationem non dari, quæ re ipsâ datur; tunc juxta omnes non peccaret; & tamen non desineret peccare, quia sequitur certum, quia illud certum juxta omnes non esset simpliciter certum, sed solum apparens, & fictum.* Ecce contradictoria; unum est, quòd talis homo ignorans invincibiliter legem non peccaret; aliud est, quòd idem homo non desineret peccare; sicut autem desinere peccare, est non peccare, ita non desinere peccare, est peccare: peccaret ergo, quia illud certum est fictum; non peccaret, quia ea ignorantia supponitur invincibilis; ignorantia autem invincibilis, ut expressè fatetur P. Eliz. *l. c.* excusat à peccato; ait enim: *Juxta omnes Orthodoxos omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato, & illam habens operatur, quin peccet.*

§. IV.

Responsio Patris Elizaldæ.

SUMMARIUM.

Error consequens si nunc vinci non potest, nunc excusat, n. 71.

Nil curant Concilia, quomodo ignorantia, quæ est pœna peccati, vocanda sit vincibilis, an invincibilis, sed an excusat à peccato, n. 72.

Si ignorantia sequens ad originale excusat etiam sequens ad personale; & si ea dicitur invincibilis, & hæc, n. 74. ad 78.

Est ethicum axioma: Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes, n. 78.

N. 70. P. Eliz. UNica ad nostras insolubiles rationes responsio potest à P. Elizal. dari, nempe Pontifices, & Concilia unicè definisse, quòd ignorantia invincibilis, & antecedens peccatum excuset à peccato: sed ignorantia consequens ad peccatum est vincibilis, & libera in peccato; ergo hæc non excusat.

Sed contra 1. quia suprà evidenter ostendi, quod ignorantia, etsi consequens ad peccatum, si hic, & nunc vinci non possit, quatenus nulla ejus hìc, & nunc vincendæ occurrat obligatio, eò ipso talis ignorantia sit hìc, & nunc invincibilis, esto olim vinci potuerit: ergo talis ignorantia excusat hìc, & nunc à peccato. N. 71.

Contra 2. quia intentum Conciliorum, & Pontificum non est, an ignorantia, quæ est pœna peccati, vocanda sit vincibilis, an invincibilis; sed, an ignorantia, sive sit pœna peccati originalis, sive personalis, (quomodocumque ea vocetur, vel invincibilis, ut Baius, & Jansenius; vel vincibilis, ut P. Elizal.) excuset à peccato, quoties ea ignorantia immissa in pœnam peccati præteriti est hìc, & nunc invincibilis: cùm ergo Pontifices, & Concilia contra Lutherum, Calvinum, Baium, Jansenium, definierint ignorantiam sequentem ad originale (si tamen hìc, & nunc sit antecedens respectu operationis ponendæ) tollere libertatem, & excusare à peccato; hinc robustum sumimus fundamentum judicandi definitum etiam contra P. Eliz. nisi fallor, ignorantiam sequentem ad personale, si tamen hìc, & nunc antecedat actionem ponendam, tollere ab hâc libertatem, & excusare à peccato. Quòd ergo P. Elizal. ignorantiam sequentem ad personale vocet vincibilem; Jansenius autem, & Baius, & Lutherus sequentem ad originale vocent invincibilem, non est nisi vox, de quâ non curo: quod valdè curandum est, an ignorantia sequens, sive ad originale, sive ad personale, si ea hìc, & nunc vinci non possit, excuset à peccato; eò autem ipso, quod P. Elizal. vult ignorantiam sequentem ad personale, etsi hìc, & nunc vinci non possit, non excusare à peccato, eò ipso re convenit cum Baio, etsi voce tenùs discrepet; præsertim, cùm P. Elizal. nullam disparitatem afferat, cur ignorantia sequens ad originale, si expelli non possit, excuset à peccato, ut docet fides; sequens autem ad personale, si hìc, & nunc expelli non possit, non excusat: immò omne quod adducit, ut evincat ignorantiam sequentem ad personale, ut pœnam hujus, non excusare à peccato, probat etiam sequentem ut pœnam ad originale non excusare à peccato; & omne quo probat ignorantiam sequentem ut pœnam ad originale excusare, probat etiam sequentem ut pœnam ad personale excusare. N. 72. P. Eliz. Jansen. Baius, N. 73.

Contra 3. quia Catholici DD. redarguunt Baium, N. 74.

Baium, & Janſenium de inconſequentiâ, dum docent ignorâtiam juris naturalis, quia ſequitur ad originale, non excuſare à peccato; ignorantiam autem juris Divini, & humani, & factorum excuſare à peccato opus, ut ſub eâ ignorantiâ poſitum; nam vel utrobique excuſat, vel in neutro caſu excuſat: ita de eâdem redargui poteſt P. Elizal. quatenus docet ignorantiam, quæ eſt pœna peccati perſonalis, non excuſare; excuſare autem, quæ eſt pœna peccati originalis; nam vel utraque excuſat, vel nulla.

N. 75. P. Eliz. Contra 4. quia quæro à P. Elizal. cur ignorantiam ſequentem ad perſonale vocet vincibilem; ſequentem ad originale vocet invincibilem; nam utraque reſpectu diverſorum terminorum vocari poteſt antecedens, & conſequens; invincibilis, & vincibilis; involuntaria, & libera: ignorantia enim, quòd hodie non ſit dies jejunij, (ſuppono eſſe) ſequens ut pœna ad originale, reſpectu peccati originalis dicitur conſequens, vincibilis, libera, eâ libertate, quâ nobis liberũ fuit originale; eademque ignorantia, quòd hodie non ſit dies jejunij, ſequens ut pœna ad originale, reſpectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, involũtaria, invincibilis: ita in caſu noſtro, ignorantia, quòd hodie non ſit dies jejunij, ſequens ut pœna ad furtum perſonale heſternum, reſpectu ejus furti dicitur conſequens, vincibilis, libera, libertate, quâ furtum heſternum fuit liberum; eademque ignorantia ſequens ut pœna ad furtum perſonale heſternum, reſpectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, invincibilis, involuntaria. Ut ergo ignorantia, quæ eſt pœna peccati originalis, excuſat à peccato eſum hodiernum, ita ignorantia, quæ eſt pœna furti perſonalis heſterni, excuſat à peccato eſum hodiernum.

N. 76. Contra 5. quia Concilia, & Pontifices eam impoſſibilitatem damnarunt, quæ admittit impotentiam hìc, & nunc antecedentem ad obſervationem præcepti, eſto ſequentem ad originale; ſed eamdem impotentiam hìc, & nunc antecedentem ad impletionem præcepti admittit P. Elizal. eſto ſequentem ad perſonale præteritum: ergo hæc etiam videtur repudianda.

N. 77. Contra 6. Do ignorantiam ſequentem ad originale, aut perſonale, fuiſſe priùs indirectè, & in ſuâ cauſâ, nempe in peccato originali, aut perſonali liberam; attamen ſi homo eâ laborans non poſſit hìc, & nunc eam vincere, eò ipſo ea ignorantia reddit obſervationem legis ignoratæ, non tantùm conſequenter, ſed etiam antecedenter impoſſibilem, nempe impotentiâ antecedenti ad obſervationem, & non obſervationem legis ignoratæ; ergo tollit libertatem; ergo excuſat à peccato.

N. 78. Heinx. Contra 7. quia teneor obedire conſcientiæ invincibiliter erroneæ, aliàs nec tenebor obedire conſcientiæ veriſſimæ, ut benè Heinx *n.* 14. quandoquidè dum invincibiliter putatur vera, non poteſt operans de veritate dubitare, quàm quando datur conſcientia vera; hinc eſt Ethicum Protheorema, *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes*; id eſt, cognitio facit, ut homo peccet, aut non peccet: ergo ſi hodie careo in pœnam peccati heſterni cognitione proponente malitiam alicujus actionis, hodie eam exequendo non pecco. Plura infrà, ubi de ignorantiâ vincibili contra P. Thyrſum. P. Thyr.

SECTIO III.

Argumentorum oppoſitorum ſolutio.

§. I.

Afferuntur Adverſariorum argumenta.

SUMMARIUM.

Ex Abimelech: ex Chriſto D. dicente, quòd ſervus ſciens digna plagis, etſi non cognoſcat, vapulabit: ex peccatis ignorantiæ plorandis: ex Synodo Paleſtinâ: ex S. Aug. & S. Thom. n. 79. ad 84.

Ex eo quòd ad peccatum ſatis, ut ſit contra legem, n. 85. 86.

Ex eo quòd omnis veritas moralis, & omnis lex naturalis, & Divina ſit invenibilis; cùm ignorantia invincibilis juris naturæ repugnet, non minùs, ac Dei. DD. n. 87. ad 90.

N. 79. POno ſub unicum intuitum ſolidiora contra noſtram veritatem argumenta, ut eorum vis, quaſi in unum coacta, validior appareat: deinde ante directam eorum ſolutionem do indirectam, oſtendendo, eſſe à ſuis Patronis ſolvenda: ſubinde affero generalem, præcipuè pro SS. Patrum explicatione, doctrinam: demum ſolvo ea directè. Hæc omnia compendioſè, ſed æquè clarè, & efficaciter tractabo.

N. 80. Gen. 20. Primum eſt ex Sacrâ Scripturâ, nam *Geneſis* 20. legitur, quòd Rex Abimelech invincibiliter putans Saram eſſe Abrahæ ſororem, non uxorem, voluit eam in uxorem ducere; & tamen Deus Abimelecho dixit: *Cuſtodivi te, ne peccares in me; en morieris propter mulierem, quam tuliſti, habet enim virum.* Ecce igitur, quòd Abimelech peccaſſet, ſi uxorem Abrahæ cognoviſſet, eſto invincibiliter ſibi perſuaſiſſet non eſſe uxorem Abrahæ

Abrahæ, sed sororem: ergo ignorantia invincibilis non excusat à peccato.

N. 81. Luc. 12. Confirmatur 1. ex Christo D. *Lucæ* 12. dicente, Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: ergo ignorantia invincibilis, esto aliqualiter minuat culpam, non tamen excusat omnino à culpâ, nec ab omni pœnâ ob eam infligendâ.

N. 82. Confirmatur 2. innumeris Scripturæ locis, quibus insinuatur Fidelibus, ut suas ignorantias cognoscant, & pro peccatis ignorantiæ veniam petant; si autem ignorantia nullum est peccatum, non est, cur anxij simus de ignorantiâ, & multò minùs, cur veniam petamus pro illâ.

N. 83. Sym. Palæst. S. Aug. M. Bar. P. Card. Confirmatur 3. quia dicere, quòd ignorantia invincibilis excuset à peccato, est doctrina Pelagij damnata sæpiùs à S. Augustº. & à Synodo Palæstinâ contra eumdem Pelagium, ait Baron. *d.* 2. *sect.* 5. *art.* 2. §. 1. *versic. His duobus*, citatus à P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *n.* 398. qui Baron. subdit, se de hoc non velle ferre suum judicium.

N. 84. S. Aug. Secundò sumitur ex SS. PP. præcipuè ex S. Aug. dicente nullam ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, excusare à peccato: sed omnis tenetur legem scire: ergo nulla ignorantia legis, & præcepti excusat à peccato. Et *lib.* 1. oper. imperf. *pag.* 155. ait idē Doctor: *Necesse est enim ut peccet, qui nescien-do quid facere debeat, quid non debeat facere, facit*: ergo ex S. Aug. necessitas orta ex ignorantiâ invincibili ejus, quod quis facere debet, & non facit, aut facere non debet, & facit, non tollit peccatum: immò S. Augustº. contra Donatistas *cap.* 1. ait æquè peccare hæreticum ignorantem, ac avarum scientem: ergo ignorantia non minuit, tantùm abest, quod omnino excutet à peccato. Et S. Th. 1. Th. *opusc.* 8. *art.* 13. ait, quem peccare, si faciat contra legem, licèt putet se non facere.

N. 85. Tertiò est à ratione; quia ut actio sit peccatum, satis est, ut lex existat in re, & in re existat violatio legis: sed stante invincibili ignorantiâ, ex. gr. legis jejunij, stat in re lex, & stat in re esus, qui est violatio ejus legis: ergo, stante ignorantiâ legis, existit peccatum.

N. 86. Confirmatur: Quòd lex obliget, non pendet à cognitione subditi, sed à sola Superioris voluntate: ergo licèt subditus eam ignoret, si tamen contra eam agat, reverà peccabit.

N. 87. P. Eliz. Quartò, præcipuè pro sententiâ P. Elizal. est; quia nulla vincibilis, & culpabilis ignorantia legis excusat à peccato: sed omnis ignorantia legis consequens ad peccatum personale est culpabilis, & vincibilis: ergo nulla talis excusat à peccato. Minor probatur: Omnis ignorantia, quæ vinci potuit, & debuit, & victa non fuit, est culpabilis; sed omnis consequens ad peccatum vinci potuit omissione peccati, cujus est pœna; & vinci debuit, tum ex obligatione vincendi peccatum, in cujus pœnam immittitur; tum ex obligatione præcepti de indagandâ veritate eorum, quæ quis scire tenetur: ergo &c.

Quintò est ex P. Elizal. *lib.* 4. *qu.* 6. §. 4. & *lib.* 3. *qu.* 1. & 2. & alibi: quia omnes invenire possumus veritatem moralem, & si non invenimus, culpa nostra est, quia fortè non floremus in charitate, humilitate, librorum spiritualium lectione, meditatione, conscientiæ expiatione: addit, quòd si præcepta Dei servavissemus, nec legem naturalē, nec Divinam ignoraremus, adeoque ignorantia, quam in hoc casu particulari patimur in pœnam peccati, non excusat à peccato, quando opinio minùs tuta est falsa, quantùmvis nobis non tantùm probabilior, sed etiam moraliter certa absque ullo conscientiæ remorsu appareat. Hæc P. Elizal. qui *lib.* 3. *qu.* 2. & 3. & *lib.* 4. *qu.* 1. hanc dat rationem; quia nulla ignorantia contracta in pœnâ peccati actualis est invincibilis, immò est vincibilis in suâ causâ, seu in peccato, ob quod permissa fuit: sed ignorantia, quam nunc patimur, est permissa in pœnâ peccati actualis; si enim præcepta Dei servassemus, non ignoraremus legem naturalē, & Divinam: ergo talis ignorātia est vincibilis; ergo non excusat à peccato. N. 88. P. Eliz.

N. 89. P. Eliz. Confirmatur 1. quia lex naturalis, & lex Divina semper est invenibilis, humana autem plerumque: ergo (ait P. Elizal. *lib.* 4. *qu.* 9. §. 4.) quòd ignoretur, aut de his dubitetur, culpa nostra est: ergo ea ignorantia est culpabilis, & vincibilis; ergo non excusat à peccato.

N. 90. Hug. à S. Vict. Alens. S. Bona. Richar. Gerson. Adrian. P. Vasq. M. Bar. M. Cōtens. P. Thyr. S. Th. P. Suar. P. Val. P. Per. P. Recupitus, P. Gran. P. Card. Confirmatur 2. quia probabilius longè est non posse dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, ut docent Hugo à S. Victore, Alensis, S. Bonav. Richardus, Gerson, Adrianus, & alij, quos citat P. Vasqu. 1. 2. *d.* 122. & quos sequitur Baron. & M. Contenson in suâ Theologiâ mentis, & cordis *tom.* 3. *d.* 6. *cap.* 1. *qu.* 5. apud P. Thyrsum *tom.* 4. *d.* 6. *sect. ultimâ*; eo modo quo dari non potest invincibilis ignorantia Dei, ut docent S. Th. *lib.* 1. contra Gentes *cap.* 12. P. Suar. *lib.* 1. de Deo *cap.* 1. *n.* 13. P. Val. P. Perez. P. Recupitus, P. Granado, & alij passim cum P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *an.* 193. ergo saltem omnis actio elicita contra legem naturalem, sub quâcumque ignorantiâ eliciatur, erit peccatum: ergo nulla ignorantia excusat à peccato actionem contra legem naturalem.

§. II.

Solutio primi, secundi, & tertij argumenti.

SUMMARIUM.

Hæc argumenta ab ipsomet Baio, Jansenio, & Celladei solvenda, n.91.
Dignissima D. Aug. doctrina de peccato propriè, & impropriè tali; quid utrumque? n. 92. ad 95.
S. Augustinus asserit, quòd opus contra legem non cognitam sit peccatum, non culpa. n.93.
Distinguit voluntatem facti, & peccati, n. 95.
Ex casu Abimelech oppositum infertur, n. 96.
Expono textum Christi D. in servum, n.97.
Peccata ignorantiæ vincibilis ploranda, n.98.
Ut ignorantia, & oblivio subjaceant peccato, ut vult Synodus Palæstina, satis ut sint pœna peccati, non verò necesse, ut sint peccatum: satis quoque, ut vincibilis ignorantia sit peccatum, n. 99. 100. 101.
Qualiter omnis peccans sit ignorans, n.102.
Nulla ignorantia eorum, quæ quis sciendi obligationem cognoscit, excusat a peccato contra studiositatem, n.103.104.
Expono D. Aug. & D. Thomam, ibid.
*Dictum S. Anselmi pro intelligendis SS.PP.*105.
Hæreticorum mos abuti Scripturâ, & PP. ibid.
Considerandæ circumstantiæ, in quibus SS. PP. locuti, & inductio aliquorum, qui unum errorem impugnantes, declinasse visi sunt in aliũ, n.106.
Quid Caiet. de S.Thom. n.107.
D.Bonav. loquens de D. Aug. ait: Ut eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, & minùs volens intelligi, ibid.
Ut lex moraliter violetur, debet moraliter existere, n.109.
Obligatio legis remota pendet à Legislatore, proxima à cognitione subditi, n. 111.
Errores circa liberum arbitrium, n.112.
Libertas Theologica præter ea, quæ includit Philosophica, dicit cognitionem proponentem opus conforme, aut difforme à lege æternâ, num. 113.
Ignorantia invincibilis circa ea, quæ sunt de necessitate medij, non excusat a medio ponendo, excusat autem à re præceptâ ponendâ. Cur? n.115.

N. 91. HÆc sunt robustiora Adversariorum argumenta, quorum imbecillitatem inde conjectari licet, quòd omnia à suis Patronis solvenda sunt. Primò enim solvenda sunt à Baio, & Jansenio; cùm enim uterque doceat ignorantiam legis Divinæ, & humanæ, & factorum, si invincibilis sit, excusare à peccato, negent autem ignorantiam legis naturalis excusare, eò ipso à Jansenio, & Baio solvenda sunt, nam probant vel ignorantiam legis positivæ, & factorum non excusare à peccato, si probant ignorantiam legis naturalis non excusare; vel si illud non probant, neque hoc secundum probant. Secundò solvenda sunt à P.Elizal. cùm enim iste doceat ignorantiam legis sequentem ad originale excusare à peccato, neget autem ignorantiam sequentem ad personale excusare, eo ipso à P.Elizal. solvenda sunt; probant enim, vel utramque excusare, vel neutram; sed est de fide ignorantiam sequentem ad originale, si invincibilis sit, excusare: ergo si non est de fide, ut mihi est, saltem est Theologicè certum ignorantiam sequentem ad personale excusare, si invincibilis sit. Tertio, quia cùm Jansenius, Baius, & Celladei meritò sentiant ignorantiam legis, dummodò non sit pœna peccati, seu sequens ut pœna ad originale, vel personale, excusare à peccato actionem sub eâ ignorantiâ elicitam; eò ipso omnes tres tenentur iterum ad solvenda propria argumenta; probant enim, vel quòd ignorantia non consequens ut pœna non excusat, vel si excusat, etiam consequens excusat: sed per Adversarios ignorantia, dummodo invincibilis sit, non sequens ut pœna ad originale, vel personale excusat: ergo etiam sequens ut pœna ad originale, vel personale, dummodo invincibilis sit, excusabit. Quòd autem sequens ad originale possit esse invincibilis, est certum contra Baium, & Jansenium: ergo etiam est certum contra P.Elizal. quòd consequens ad personale esse possit invincibilis. Jans. Baius. P.Eliz.

N. 92. Nè verò merè arbitraria videatur explicatio, quam authoritatibus objectis dabimus, sciendum est, peccatum posse sumi propriè, & impropriè: propriè est, quod non tantùm est contra legem, sed fit ab homine sciente esse contra legem, & dicitur *peccatum formale*, & tollit ab eo homine, si grave sit, gratiam sanctificantem, & absolutè dicitur *culpa*: impropriè est ipsa actio materialis, quæ reverà est contra legem; quia tamen fit ab homine invincibiliter ignorante esse contra legem, ideo vocatur *peccatum materiale*, & à S. August. absolutè dicitur peccatum, non tamen dicitur culpa. Hoc sensu non tantùm à S. August. sed etiam ab alijs SS. PP. & TT. actiones, quæ sunt contra legem ignotam, dicuntur sæpe peccata, nempè impropriè, quatenus sunt tantùm materialiter peccatum; & similiter ipsa ignorantia invincibilis sequens ad peccatum ut pœna, sæpe dicitur peccatũ, nempe impro- S. Aug.

N. 93.

impropriè, quatenus est pœna peccati, non
N. autem propriè. Porro hęc divisio peccati in
94. propriè, & impropriè tale, & quòd ignorantia invincibilis sequens ut pœna ad peccatum, sit impropriè peccatum, traditur expresse à S.Aug. adeoque dum Adversarij doctrinam suam fundare præsumunt in S. Aug. eamdem ab eodem S. Doctore profligatam intelligant, nisi in meridie cæcutire velint: nam præter textus S. Aug. supra citatos in prima nostrâ ratione, quibus expresse asserit, nullum propriè esse peccatum, quod ab invito, & *ignorante* fit, & esse impropriè peccatum actiones malas ab ignorante eorum malitiam commissas, utens specioso linguæ exemplo: ipse enim sermo, qui est effectus linguæ, dicitur lingua, nempe impropriè; ita ignorantia dicitur peccatum impropriè, quatenus est effectus peccati; præter
S.Aug. hæc, & alia ibi addita ait *lib.* 1. *Retract. cap.* 13. *Peccatum quippe illud intelligendum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati; quamvis & illa, quæ immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi*: ubi considera, quàm rectè S. Doctor distinguat inter peccatum propriè, & impropriè tale; eaque, quæ voluntaria non sunt, seu non sunt libera libertate indifferentiæ, censet *immeritò* dici peccata, quia non sunt propriè peccata. Hoc idem iterum declarat *lib.* 1. *Retract. cap.* 15. ubi cùm proposuisset, quomodo omne peccatum debeat esse voluntarium, nam sæpe ignoranter peccamus, ergo
N. involuntariè, ait: *Qui nesciens peccavit, non*
95. *incongruenter nolens, peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quia voluit, ergo fecit, etsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati.*
P. Rip. Ecce (subdit P. Ripald. *tom.* 3. *d.* 10. *sect.* 6. *n.* 58.) non potuit Theologus Scholasticus distinguere subtiliùs materiale peccati à formali malitiâ, & componere voluntatem facti cum nolitione peccati, sive voluntariũ materialis peccati cũ involũtario formalis malitię.

N. Ad primum argumentum in formâ re-
96. spondeo, omissâ retorsione contra Baianos, & Jansenistas asserentes ignorantiam juris
M. Bar. positivi, & factorum excusare à peccato, quam benè urget Baron. 2. *p. Manud. d.* 4. *sect.* 1. Defensio Mercori cõtra Wendrochium *a pag.* 407. & contra P. Elizal. asserentem ignorantiam sequentem ad originale excusare à peccato; & contra omnes eosdem asseren-

tes ignorantiam, quæ non sit pœna peccati, excusare à peccato; respondeo, inquam, ex eodem Geneseos textu inferri evidẽter oppositum, ut rectè P. Vasq. 1. 2. *d.* 124. nam Abi- P. Vasq.
melech, ut intimatam sibi à Deo iram à se averteret, non aliam in suæ innocentiæ favorem excusationem obtulit, quàm ignorantiam; etenim Deum alloquens dixit: *In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum hoc feci; numquid Domine gentem ignorantem, & justam interficies?* Ecce Abimelech nõ potuit sibi persuadere, quòd Deus castigare possit peccatum sub ignorantiâ commissum; immò cum *ignorantia* unit *justitiam*: ergo peccatum ignorantiæ non tantùm excusat à peccato, sed, ut dicemus, honestat actionem. Igitur tò *morieris*, non fuit intimatio pœnæ propter peccatum, quod non aderat, sed pura comminatio conditionata, nempe quòd si Abimelech conscius, quòd Sara esset uxor Abrahæ, eam non dimitteret, & Abrahæ ejus viro redderet, Deus occidisset Abimelech.

Ad primam confirmationem respondeo, N.
Christum D. non dicere, quòd qui non cog- 97.
noverit voluntatem Domini, eamque non cognoscens operatus contra eam fuerit, vapulabit; sed dicit, quòd, *Qui non cognoverit voluntatem Domini, & fecerit digna plagis, vapulabit*: eò autem ipso quòd dicit, *non cognoverit, & fecerit digna plagis*, loquitur de ignorantiâ vincibili, cui nascetur dubium de voluntate Domini, quæ ignorantia non excusat à peccato. Vapulabit igitur, non quia operatus sit contra voluntatem Domini ignotam, sed quia hanc particularem Domini voluntatem ignorans, operatus est contra aliam voluntatem Domini sibi notam, nempe contra voluntatem obligantem uti maiori diligentiâ, ut hanc particularem Domini voluntatem sciret.

Ad secundam confirmationẽ, ex hoc quòd N.
Scriptura inculcet Fidelibus, ut suas igno- 98.
rantias cognoscant, ut lumen, & veniam pro ignorantia petant, non deducitur ignorantiam invincibilem, & opus sub eâ factum, esse peccatum; sed deducitur ignorantiam vincibilem esse peccatum, & plures Fideles huic subjacere, & mereri, ut Deus in illius pœnam sua auxilia subtrahat, & Divini sui Spiritus radios non evibret, & propter hanc familiarem Fidelibus incuriam Scriptura præcipit, ut hostias, lacrymas, & pœnas offerant, nempe pro peccatis ignorantiæ, & inadvertentiæ, præsertim cùm sæpe impossibile sit dijudicare, an ea ignorantia fuerit vincibilis, an invincibilis, an immunis ab N.
omni culpâ veniali, an non immunis. 99.

Ad tertiam confirmationem ait P. Card. P.Card.

tom.1.d.5.n.401. contra Baron. à quo quærit, an asserens ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, incideret in Jansenismũ?

M.Bar. Si incidit; quomodo Baron. talem propositionem non damnat? Si non incidit; explicet quomodo homo tunc non peccet necessariò. Addit contra eumdem, quomodo dicit se nolle ferre judicium, & tamen affirmat esse

Synod. Pal. doctrinam Pelagij à S. Augustt, & à Synodo Palæstinâ damnatam? Hæc P. Card. modestissimè. Deinde respondeo cum

P. Rip. P. Ripald. *tom.3.d.10.n.37.* inutiliter omnino exultare Baium, dum eo argumẽto utitur contra nos asserentes omnem ignorantiam invincibilẽ, etiam juris naturalis, excusare à peccato: inutiliter, inquam; nam vel hæc propositio, *Ignorantia invincibilis excusat à peccato*, est

Pelag. doctrina Pelagij, vel non? Si est; ergo etiam est doctrina Pelagij hęc propositio, *Ignorantia invincibilis juris humani, & Divini, & factorum excusat a peccato*: & tamen hæc docetur à Baianis, qui unicè negant, ignorantiam invincibilem juris naturalis excusare. Si non est; ergo malè nobis Pelagianismum objiciunt. Quare solutionem, quam Baiani, Jansenistæ, & Baron. daturi sunt, si illis objiciatur, quòd eorum doctrina asserens ignorantiam invincibilem juris Divini, & humani, & factorum excusare à peccato, sit

N. 100. doctrina Pelagij, eamdem nos dabimus, dum nobis objiciunt, esse doctrinam Pelagij, quòd omnis ignorantia invincibilis excuset à peccato: quapropter tantùm abest, ut hæc sit doctrina Pelagij, quin est doctrina Catholica. Sensus igitur propositionis Pelagianæ damnatæ, ut hæreticæ à Synodo Pa-

Pelag. S. Aug. læstinâ, & à S. Augustt. est, *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato*; hæc enim erat propositio Pelagij: Synodus autem, & S. Augustt. dicunt, *subjacere peccato;* quis tamen ex hoc inferat *ignorantiam invincibilem esse peccatum*? Ut enim subjaceat peccato, satis est, ut ignorantia sit pœna peccati, & sit effectus culpæ originalis: immò hunc ipsum esse sensum Synodi, est evidens; cùm enim Pelagius doceret, nullam homines ob culpam originalem contraxisse ignorantiam, sed eam hominibus ex naturę necessitate evenire; immò cùm docuerit, quòd culpa Adami solum Adamum infecerit, non genus humanum; & infantes in eodem esse statu, quo Adam ante prævaricationem; S. Aug. ex eâdem nostrâ ignorantiâ infert, nos omnes contrahere originale, & eam ignorantiam subjacere peccato, seu esse peccati effectum: ergo per hoc, quòd Synodus, & S. Augustt. dicant, *ignorantiam subjacere peccato*, quis nisi somnians dicat, eos dicere, *ignorantiam esse peccatum*? si enim dicerent, ignorantiam esse peccatũ, ergo etiam dicerent, ignorantiam juris Divini, & humani, & factorũ esse peccatum; quod tamen Baiani, & Jansenianí negant, à quibus nos discedimus negando, ullam ignorantiam, etiamsi sit juris naturalis, dummodo invincibilis sit, esse peccatum: imò affirmamus, omnem cujuscumque juris, vel naturalis, vel Divini, vel humani, vel factorũ, invincibilem ignorantiâ excusare à peccato. Addo Synodum rectè damnasse dictum Pelagij, *Ignorantia, & oblivio non subjacent peccato*, seu non sunt peccatum; hoc enim dictum est expresè contra Scripturam asserentem, dari peccata ignorãtiæ, nempe vincibilis; Pelagius autem volebat, nihil factum ex ignorantiâ, & nullam ignorantiam esse peccatum. V.P. Thyrsum *d.4.sect.12.* & P. de Champs *lib.3. d.5.cap.6.*

N. 101. P. Thyr. p. de Chãp.

Dices: Celebre est Philosophorum, & Theologorum effatum, *Quòd omnis peccans sit ignorans*, sumptum ex 3. Ethic. *cap.* 1. ubi Aristot. ait: *Omnis igitur pravus ignorat, quæ oportet agere:* ergo tantùm abest, ut ignorantia excuset, quin est causa peccati. Respondeo, quidquid sit de sententiâ asserente, ad omne peccatum præcedere semper errorem in intellectu, de quâ legi potest P. Suar. *d.5.* de Peccatis *sec.1.* P. Vasqu. *1.2. d.128.* P. G. Hurt. *d.5.* de Peccat. *diffic.13.* P. Ovied. *1.2. tr.6. contr.6. pun.5.* & alij passim; quidquid, inquam, sit: dico effatum illud in hoc sensu intelligendum, nempe, quòd si peccans consideraret maturè motiva retrahentia à peccato, quæ semper sunt incomparabiliter maiora, quàm allicientia ad peccatum, numquam peccaret; quapropter omnis peccãs, quia semper omittit hanc maturam considerationem, ideò est ignorans; & ideò benè P. Ripald. *tom.3.* contra Baium *d.10. n.19.* ait posse quędam ex ignorantiâ invincibili procedere imputabilia ad culpam, quatenus cum eâ ignorantiâ antecedẽti, quæ est causa operandi contra legem naturalem, adest notitia sufficiens prohibitionis objecti; quia tamen non adest plena scientia gravitatis malitiæ, & bonorum, quæ cum obedientiâ legis uniuntur, ideò illud dici potest ex ignorantiâ profectum, & hâc ratione plerique exponunt illud Aristotelicum, & nunc Theologicum proverbium, *Omnis peccans est ignorans.* Hęc P. Ripald. Similiter dici potest omne peccatũ procedere ex ignorantiâ, non quidem intellectus, sed voluntatis; voluntas enim pravè operans dici solet errans; ita Psalmo 14. *Errant qui operantur malum.* Demum dico axioma nõ esse ad rem; aliud enim est, quòd omnis peccans sit ignorans, aliud, quòd

N. 102. Arist. P. Suar. P. Vasq. P. G. Hurtad. P. Ovie. P. Ripa.

quòd omnis ignorans sit peccans: illud transmitto; hoc nego: hic enim non agitur, an omne peccatum sit ex ignorantiâ, sed an omnis ignorantia etiam invincibilis sit peccatum.

N. 103. Baius. Jansen. Ad secundum argumentũ retorqueo contra Baium, & Jansenium: ergo nulla ignorantia juris positivi excusabit à peccato: & contra Celladei: ergo nulla ignorantia sequens ad originale excusabit à peccato. In formâ respondeo verum esse, quòd nulla ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, (ut autem teneatur, debet cognoscere obligationem sciendi illa) excuset à peccato: ergo expresè SS. PP. loquuntur de ignorantiâ vincibili; nam ignorantia ejus, cujus aliquis cognoscit obligationem sciendi, & scire non vult, est vincibilis; quæ ignorantia vincibilis à Caram. *lib.* 2. Theol. Mor. Fund. *pag.* 540. *n.* 1550. vocatur virtualiter scientia; qui enim vincibiliter ignorat, ita se habet in conspectu Dei, & hominum prudentũm, ac si illud expresè cognosceret; quod idem repetit *lib.* 4. in quæst. procemiali *n.* 23. cui subscribit M. Joan. Mart. de Prado in Theol. Mor. *ubi de ignorantia.* Itaque nulla ignorantia ejus, cujus aliquis cognoscit obligationem sciendi, & scire non vult, excusat à peccato contra studiositatem, seu à peccato negligentiæ, & aliorum peccatorũ, quę prævidentur ad eam negligentiam consecutura. Si autem non cognoscatur obligatio repellendi eam negligentiam, & ignorantiam, tunc talis ignorantia excusat, tùm à peccato negligentiæ denuò imputabili, tùm ab alijs, licet ea ignorantia sit pœna peccati, sive originalis, sive personalis. Potest enim ignorantia antea culpabilis fieri decursu temporis inculpabilis, & invincibilis; & si talis evadat, excusat opus sequens à peccato denuò imputabili. Ad textum S. Augustini, quòd ad necessitatem, seu ad ignorantiam invincibilem (quæ juxta me facit necessitatem) possit sequi peccatum, intelligendus est loqui de peccato impropriè, seu de opere materialiter malo, juxta dicta initio hujus §. Ad alium textum dico cum M. Mercoro 1. *p. art.* 4 *pag.* 11. loqui de ignorantiâ vincibili; nam S. August. expresè asserit dari posse in hæretico ignorantiam invincibilem, & hanc excusare à peccato. Ad S. Thomam dico loqui de peccato impropriè; vel si loquitur de propriè tali, dico cum Philaleto *qu.* 5. *pag.* 91. intelligendum, si non usus fuerit diligentiâ sufficienti ad veritatem cognoscendam. Omitto alium D. Augustini textum, quem truncatum affert Baron. & cui respondet P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *n.* 408. necnon

N. 104. S. Aug. M. Mercur. Philal. M. Bar. P. Card.

alios, quos trahit, & interpretatur P. Ripald *d.* 10. & P. de Champs. In formâ distinguo maiorem: Nulla ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur obligatione morali, seu cognitâ, excusat à peccato, concedo; obligatione tantùm physicâ, seu existente in re, non tamen existente in intellectu moraliter, adeòque non cognitâ, nego maiorem. Patet distinctio ex dictis hic *sect.* 2. *not. and.* 6.

P. Rip. P. de Cham.

Porro, quia inveteratus Hæreticorum mos est, SS. Patrum, immò sacræ Scripturæ testimonia corrumpere, & illis patrocinium suis erroribus quærere, ut patet tum ex Jansenistis, qui Augustinum ubique sonãt cùm Anti-Augustiniani sint; tum in Berengario Hæretico, qui ad negandam veram in SS. Eucharistiæ Sacramento præsentiam testimonijs Augustini abutebatur; hinc S. Anselmus in favorem Augustini armatus, *in lib. de Sacram. Altaris cap.* 13. cujus titulus est, *In legendis Patrum scriptis, multâ opus esse vigilantiâ*, & considerandum tempus, personas, & alias circumstantias, in quibus locuti sunt; & ideo antequam hæresis Pelagiana exurgeret, S. Augustinus extollens vires arbitrij in libris, quos jam ediderat, non pauca posuit, quę exurgens exinde illa hæresis sic sumpsit ad patrocinium sui erroris, ut etiam paria secum sentire jactaret virum per omnia Catholicum ..... & ad hunc finem idem Augustinus libros Retractationum composuit, in quibus se explicavit. Similiter S. August. docuisse visus fuit, non esse in Altaris Sacramento veram Christi D. præsentiam, quia necdum hæc hæresis orta erat: quapropter S. Anselmus acutè dixit contra aliquas quæstiones nondum exortas: *Quia tunc non vigilabat eorum intentio, plurima de Sacramentis in scriptis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu benè dicta ab eis, qui contendere, vel errare amant, eruta de locis, per se videntur aliud sonare, quam sonent, unde assumpta sunt, & quam senserunt, qui scripserunt.* Rursus idem Augustinus, dum exagitavit Pelagianos, plus justo vires arbitrij commendantes, accessisse videtur ad hæresim oppositam negantem libertatem arbitrij. Ut igitur mens S. Doctoris constet, non sunt ejus verba nudè sumenda, sed considerandæ circumstantiæ, in quibus & personæ, contra quas locutus est. Hoc ipsum notavit Theodoretus *tom.* 4. *pag.* 170. SS. Patres, dum aliquam hæresim impugnarunt, sępe in contrariam partem declinasse eo modo, quo Arist. dixit, in alteram partem declinandum omne curvũ, ut medium facilius obtineatur. Ita S. Gregor. Thaumaturgus, dum Elianum Ethnicum plurium deorum cultum Christianis

N. 105. S. Aug. S. Anselm. N. 106. Theod. Arist. S. Greg.

S Dion objicientem impugnat, visus est cum Sabellio negare SS. Trinitatem. Ita S. Dionysius Alexandrinus, dum Sabellium confutavit, visus est tres in Deo essentias distinxisse. Ita plurimi Patres, dum Eutichetem negantem duplicem in Christo D. Naturam impugnant, adhæsisse visi sunt Nestorio asserenti duplicem in Christo D. Personam. Ita S.
S.Th. Thom. *qu.5.* de Malo *art.2. ad 1.* quærens, an parvulis debeatur pœna sensus in gehennâ, ait: *Sancti tali modo loquendi usi sunt*, (id est, videntur affirmasse) *ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in*
Caiet. *parvulis nullum esse peccatum.* Ita Caietanus *1.p. qu.70. art.3.* dum exponit authoritatem
N. S. Thomæ *lib.2.* contra Gentes *cap.70.* ait,
107. S. Thomam quasi inclinasse in sententiam eorum, qui volunt Cælos esse animatos: nè igitur S. Thom. sibi contradixisse videatur, dicit Caietanus, quòd S. Thomas in oppositam partem declinavit, dum Averroem im-
S. Bona. pugnavit. Demum S.Bonav. in Breviloquio *p.3. cap.5.* dicit: Non debetur parvulis pœna sensus in gehennâ; hoc credendum est sensisse B. Augustinum, licèt verba ipsius exteriùs propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur. Vt eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, & minùs volens intelligi. Hæc S. Bonav. Si hæc observarent Hæretici, quam pauca ex SS. PP. objicerent; quàm nulla ex S. Aug. & ex S. Thomâ Jansenistæ, immò quàm modica Catholici contra alios Catholicos, dum nuda SS. Patrum verba contra Adversarios objiciunt, neglectis circumstantijs, & modo loquendi!
M God. Ricci. Lege M.Godoy *1.p.d.26. n.25.* & Riccium ex Ordine S. Augustini qui egregiè vindicat S. Doctorem *tr.* de Act. Humanis *cap.14. lib.*
C.Agui. 1. & C. Aguirre *tom.3.* in S. Anselm. *d.135. sect.4.*

N. 108. S.Th. Ad 3. argumentum evidens est retorsio contra Baium, Jansenium, & P. Eliz. Deinde dico indubitatum esse cum S. Thom. apud omnes Theologos; immò etiam Adversarios Baium, & Jansenium in lege positivâ, & P. Elizal. in omni lege ante peccatum personale, quòd ut lex violetur moraliter, debet existere moraliter, seu per cognitionem in violante, non autem satis esse, ut materialiter existat, seu in se, ad hoc, ut moraliter violetur, licèt hoc satis sit, ad hoc ut materialiter violetur: immò sicut, ut lex materialiter violetur, satis est, ut materialiter, seu in re existat; ita ad hoc ut moraliter violetur, debet lex moraliter, seu per cognitionem existere in mente violantis; nec satis est ut materialiter existat. Ratio est; quia lex non dirigit nisi ut applicata per cognitionem, nec obligat in particulari, ut ait M. Tapia *tom.1. lib.1. qu.8. art.1. n.9. & 10.* nisi applicata per conscientiam, & ideo operans contra legem, & conscientiam uno tantùm peccato peccat; quia lex non obligat, nisi applicata per conscientiam, nempe contra legem, nam ex lege, & conscientiâ eam applicante fit una regula morum. Ita M. Tapia. Hoc autem adeo certum est, ut si per errorem concipiatur lex existere in re, licet reverà in re non existat, operans contra eam peccabit moraliter, quia operabitur contra legem moraliter existentem, licèt per errorem. Quare peccatum propriè tale est potiùs violatio legis per cognitionem moraliter existentis, quàm violatio legis existentis in re. Vide P. Ripal. *tom.9.d.10.n.36.*

N. 109. M.Tap. P.Rip.

Dices cum P.Elizal. *2.p. lib.5.qu.15. §.1. pag. mihi* 103. legem obligare statim ac est promulgata ante actualem ipsius cognitionem. Respondeo ex hoc sequi ignorantiam invincibilem non excusare. In formâ distinguo: Lex obligat remotè statim, ac promulgatur, concedo; proximè, nego; debet enim mihi constare promulgatio. Omitto, quæ *loco citato* repetit. *solam veritatem esse regulam, & præcepta non sciri falsis cognitionibus, sive probabiles ea sint, sive probabiliores; & probabilius errare, non est scire, sed errare, & ignorare.* Ex hoc enim sequitur, quod si per cognitionem erroneam, etsi invincibilem, putem hodie esse jejunium, cùm non sit, non peccabo omittendo jejunium, tùm quia non est promulgatio jejunij, tùm quia sola veritas obligat juxta P. Eliz. cùm sola sit regula morum.

N. 110. P.Eliz.

Ad confirmationem respondeo obligationem remotam, & in actu primo legis pendere unicè à voluntate superioris; attamen obligationem proximam legis pendere proximè à cognitione subditi: ergo implicat violatio moralis legis sine morali existentiâ legis proponente ejus vim obligativam remotam.

N. 111.

Dices: Omnis actio moraliter difformis primæ regulæ morum est moraliter mala: sed stante omnimodâ legis ignorantiâ, mendacium ex. gr. ut vita proximi salvetur, est moraliter difforme legi illud prohibenti: ergo illud mendacium est moraliter malum. Minor probatur: Illud mendacium est liberum moraliter, & est difforme legi vetanti; ergo est moraliter difforme. Respondeo 1. plurimos circa liberum arbitrium in Ecclesia Dei exortos fuisse errores; alij plùs justo illud extollentes, ut fecêre Pelagiani, & Semi-Pelagiani, illi excludentes omnem gratiam,

N. 112.

N. 113.

Luther. Calvin. Baius, Janſen.

gratiam, iſti initium gratiæ; alij nimium enervantes, ut Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius tollentes à voluntate omnem libertatem; quapropter quoties ſermo eſt de libertate arbitrij, & in ordine ad quos actus, toties ſingulari ſemper attentione opus eſt. Reſpondeo 2. hoc argumento probari nullius legis poſitivæ invincibilem ignorantiam excuſare à peccato, (cujus oppoſitum Janſeniſtæ affirmant) & ipſam ignorantiam invincibilem ſequentem ad originale non excuſare à peccato, (cujus oppoſitum affirmat Celladei:) ergo eſt ab illis ſolvendum. Reſpondeo 3. quod actio in ratione *moralis* Theologici, & Ethici, ſeu in ratione honeſti, & inhoneſti, præter ea, quæ includit libertas, prout dicitur potentia moralis philoſophica, ad diſtinctionem potentiæ phyſicæ neceſſariæ, dicit cognitionem proponentem conformitatem, vel difformitatè talis actionis cum primâ regulâ; quare ſi ea cognitio deſit, ea actio erit quidem actio moralis, ſeu libera phyſicè, prout liberum contraponitur neceſſario; non autem erit libera moraliter Theologicè, ſeu honeſta, vel inhoneſta. In formâ diſtinguo: Omnis actio cognita ut difformis moraliter primæ regulæ morum, ſeu ut inhoneſta, eſt moraliter Theologicè mala, concedo; non cognita ut inhoneſta, eſt moraliter Theologicè mala, nego maiorem, & minorem. Ad probationem, concedo illud mendacium eſſe liberum, & eſſe phyſicè difforme legi vetanti mendacium; nego autem quod ſit difforme moraliter, quia implicat ut ſit difforme moraliter legi, niſi lex moraliter exiſtat; ſed ſtante omnimodâ ignorantiâ legis vetantis mendacium, ea lex non exiſtit moraliter; ut enim moraliter in intellectu exiſteret, deberet cognoſci: ergo &c. Ratio eſt; quia lex non vetat mendacium liberum utcumque, ſed mendacium liberum cognitum, ut moraliter malum, ſeu cognitum, ut oppoſitum tali legi; ſed ut tale includit neceſſariò cognitionem repræſentantem eam oppoſitionem; ergo, ſi ea cognitio deſit, mendacium non erit moraliter Theologicè malum. Vt enim ſit moraliter Theologicè malum, non ſatis eſt, ut ſit à principio moraliter philoſophicè indifferenti, ſed debet eſſe à principio moraliter Theologicè indifferenti: ſed voluntas præter ea, quæ includit quatenus eſt principium moraliter philoſophicè liberum, conſtituitur in ratione principij moraliter Theologicè indifferentis, per cognitionem proponentem regulam morum: ergo, ſi hæc cognitio deſit, non dabitur principium Theologicè liberum: ergo dictum mendacium non erit moraliter, & Theologicè liberum, & malum, ſed tantùm phyſicè, & materialiter malum. Quare tenendum, quod rectè monet P. Iſquier. de Deo *tract.* 10. *n.* 89. & P. Eſparza 1. 2. *lib.* 3. *qu.* 16. quod libertas latiùs patet, quàm moralitas; nam in pueris eſt libertas, non tamen moralitas, ſi deſit notitia, quòd ille actus ſit rationi conformis. Similiter tenendum moralitatem materialem non eſſe, niſi conformitatem actus cum objecto, ut eſt in re; formalem non eſſe, niſi eamdem conformitatem, ut cognitam ab intellectu, ait Neuſſ. *d.* 2. *qu.* 1. & 2. Vt ergo actus ſit Theologicè bonus, non ſatis ut cognoſcatur conformis, aut difformis rationi; tunc enim erit tantùm Philoſophicè liber, & bonus, ſed neceſſe, ut cognoſcatur ut placens, aut diſplicens Deo: reverà tamen ſi cognoſcatur ut diſſonus rationi, eò ipſo erit diſplicens Deo: puto enim repugnare peccatum purè philoſophicum, de quo legendi TT. immo & Moraliſtæ, quibus recenter ſubſcribit clarus Scotiſta Felix Poteſtatis in ſuo Examine Eccleſiaſtico editionis Venetæ 1706. *tom.* 1. *parte* 4. *n.* 3675.

P. Iſqu. P. Eſparz. Neuſſ. Poteſta.

N. 114.

Inſtas: Ignorantia invincibilis eorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, non excuſat hominem ab obligatione ponendi in re tale medium: ergo invincibilis ignorantia eorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, non excuſabit hominem ab obligatione ponendi rem præceptam. Sed contra retorqueo: ergo ignorantia invincibilis ſequens ad originale, & ignorantia invincibilis legis poſitivæ non excuſabit à peccato; quorum primum negat Celladei; alterum Baius, & Janſenius. In formâ concedo antecedens, & nego conſequentiam; cùm enim ſalus æterna pendeat neceſſariò à tali medio ex inſtitutione Chriſti D. ſive illud culpabiliter, ſive inculpabiliter omittatur, non obtinebitur ſalus; ut patet in infantibus ſine Baptiſmo decedentibus, qui ſalutem æternam amittunt, licèt ſine ullâ perſonali culpâ, quia eorum ſalus eſt ex inſtitutione Chriſti D. indiſpenſabiliter connexa cum Baptiſmo: ut autem homo liberetur à peccato faciendo, ſatis eſt invincibilis ignorantia de non malitiâ operis faciendi, quia de ratione peccati eſt cognitio malitiæ: ergo paritas non tenet, dummodo enim deſint media, ſive ex culpâ, ſive ſine culpâ, immò licèt ſcienter deeſſent, ſalus non poterit acquiri; econtra non poteſt haberi peccatum ſine cognitione peccati.

N. 115.

Celladei. Baius. Janſen.

§. III.

§. III.

Solutio reliquorum argumentorum.

SUMMARIUM.

Ignorantia manet culpabilis, quousque durat debitum morale eam vincendi, n. 116.
Contradictio Celladei, quòd omnis veritas sit, & non sit inventu facilis, n. 117.
Rejicio, quòd vix sit, qui possit concipere judicium probabile de sufficienti diligentiâ, n. 119.
Si omnis veritas est invenibilis, alteruter è SS. PP. sibi cõtrarijs non fuit humilis &c. n. 120.
An oratio, humilitas, &c. sint simpliciter necessaria pro ignorantiâ expellendâ? ibid.
Est de fide, probabilissimam, etsi falsam, excusare, n. 121.
Veritates generales scientiarum sunt inventu faciles; particulares verò difficillimæ. Ostendo prolixa inductione Theologiæ speculativæ, & moralis, n. 121. ad 125.
Ut veritates fidei certò revelatæ ab omnibus amplectendæ, non ita dubiæ; ita sequenda certò præcepta, non dubiè præcepta, n. 126.
Quid necesse ad ignorantiam, ut sit vincibilis? n. 127.
Si tenet quod ait Celladei, nemo negligens converti poterit, n. 130. 131.
Etsi ignorantia censuræ non excusaret ab eâ incurrendâ; ignorantia culpæ, si sit invincibilis, semper excusat, n. 132.
Dari invincibilem juris naturæ ignorantiam est verius, n. 134.
DD. n. 135.
Similiter circa res fidei, ibid.

N. 116. Cellad. Jansen. Baius.

AD quartum argumentum omitto retorsionem, tùm contra Celladei, sumptam ex ignorantiâ invincibili sequente ad originale; tùm contra Jansenium, & Baium, sumptam ex invincibili legis positivæ, & factorum; tùm contra omnes eosdem ex invincibili non sequente ad ullum peccatum. In formâ concedo maiorem, & distinguo minorem: Omnis ignorantia legis sequens ad peccatum ut pœna, est libera, culpabilis, & vincibilis, si cognoscatur obligatio ejus ignorantiæ repellendæ, & non repellatur, concedo; si nullatenus obligatio eam ignorantiam repellendi deinde advertatur; vel si advertatur, ea ignorantia prudenter deponatur, est vincibilis, & culpabilis moraliter, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: Omnis ignorantia, quæ vinci potuit, & debuit, & non victa fuit, est culpabilis, usque dum durat cognitio, seu potentia moralis, & debitum morale eam vincendi; id est, usque dum durat cognitio obligans eam vincere, concedo maiorem; remota eâ cognitione proponente eam obligationem, nego maiorem, & distinguo minorem: omnis consequens vinci *potuit*, concedo minorem; vinci *potest nunc*, nego minorem, & distinguo consequens: *fuit* culpabilis, si cognita *fuit* obligatio eam vincendi, concedo consequentiam; *est* culpabilis nunc, deficiente omni advertentiâ obligationis, nego consequentiam. Tota doctrina constat ex responsionibus antecedentibus.

Ad quintum notanda priùs occurrit contradictio P. Elizal. nam ex unâ parte docet veritatem esse inventu facilem, & omnes eam invenire posse; ex aliâ impossibilitat, vel saltem summè difficultat medium eam inveniendi, nam assignat pro medio, *florere in charitate, humilitate, librorum asceticorum lectione, jugi meditatione*; quę omnia sunt apices Christianæ perfectionis, si benè exerceantur; si enim malè, non erunt medium pro veritate invenienda: ergo dicit contradictoria. Secundò notanda est impossibilitas licitè operandi, admissâ sententia P. Elizal. ut enim aliquis juxta illum licitè operetur, debet *probabiliter sibi persuadere*, quòd sufficienti diligentiâ pro invenienda veritate usus fuerit: ergo cùm, juxta Celladei, *probabile sit plerumque contingens*, debet plerumque contigisse, *quòd in studio æternorum plerumque non defecerit*: quis autem, dum vitam aggreditur spiritualem, habens evidentiam, quòd plerumque defecerit, formare poterit judicium illud, quòd plerumque non defecerit? Ergo talis homo numquam poterit licitè operari. Tertiò notanda est alia contradictio; nam docet, quòd omnes invenire possint per sufficientem diligentiam veritatem moralem, quia Deus homines plenissimè suam legem docuit: ex aliâ parte docet, vix posse aliquem sibi probabiliter suadere, se sufficienti diligentiâ usum: ita *lib. 4. qu. 6. §. 2. pag.* 209. immò vult esse impossibile determinare, quæ sit sufficiens diligentia, ut supradixi ex P. Moya *tom. 2. qu. 5. §. 7. à n. 49.* quo posito, ita arguo: Implicat finis repugnantibus medijs, tantumque difficultatis habet finis, quantum habent media: sed sufficiens diligentia, quæ est medium necessarium ad veritatis inventionem, est omnino difficilis: *Quilibet enim*, (sunt verba Celladei) *timere potest, se non satisfeciße, quia plerumque in studio æternorum deficimus*; quod ipsum fuisse docet *2. p. lib. 5. qu. 15. §. 5. per totum pag. mihi* 109. & iterum *lib. 6. qu. 7. §. 5. pag.* 201. immò certa persuasio veritatis inventæ

N. 117. P. Eliz.

N. 118.

P. Moy.

vente est impossibilis : ergo veritatis inventio est impossibilis. Nec dici potest, non esse necesse, ut quis *certò* sibi persuadeat se invenisse veritatem ; satis ut quis probabiliter sibi suadeat. Sed contra ; quia ruit tota machina P. Elizal. contra licitum usum opinionis probabilis ; si enim per eumdem *probabilis* persuasio de sufficienti diligentiâ adhibitâ, & de veritate inventâ satis est ad licitè operandum, cur quælibet opinio probabilis, cùm quælibet sit probabilis persuasio veritatis, non satis erit? Vides rigidum Anti-Probabilistam esse vulgarem Probabilistam. Contra 2. quia adhuc admissâ eâ responsione, sequuntur nova, juxta doctrinam P. Eliz. contradictoria ; ita enim arguo : Quilibet in studio æternorum plerumque deficit : ergo nullus talis concipere potest judicium probabile, quòd hìc, & nunc non deficiat: ergo nullus talis potest licitè operari. Prima consequêtia probatur: Judicium *probabile*, quòd hìc, & nunc non deficiat, est, juxta Celladei, judicium, quod plerumque se non defecisse contigerit : sed qui habet judicium, quod plerumque defecerit, non potest habere judicium, quod plerumque non defecerit : ergo nullus talis potest concipere judicium probabile, quòd hìc, & nunc non deficiat: ergo vel falsum est, quòd *probabile* sit de objecto plerumque contingenti; vel si hoc verum est, nullus poterit, juxta P. Elizal. licitè operari, nisi jungat duo judicia contradictoria.

N. 119. P. Eliz.

N. 120. Cellad. P. Teril. P. Moy.

Omitto acutam contra Celladei, P. Teril. *qu.* 20. *n.* 14. & P. Moyæ *tom.* 2. *qu.* 5. *n.* 34. illationem : si enim veritas est adeò facilis inventu, cur non edidit librum veritatum moralium, quo nullus utilior expeti posset? Omitto etiam irreverentiam, quæ ex doctrinâ P. Elizal. necessariò sequitur contra alterutrum ex duobus æquè doctis, & Sanctis Ecclesiæ Doctoribus sibi contradicentibus: si enim veritas est adeò facilis inventu, & culpa nostra est, quòd non invenitur, quia non floremus in charitate, humilitate, &c. sequitur, quòd quoties S. Thom. & S. Bonav. sibi contradicunt, alteruter eorum non benè oraverit, non humilis fuerit, &c. sed hoc dici nullo modo potest sine irreverentiâ: ergo veritas non est invêtu facilis. Addo me ex hoc ipso oppositum inferre ; uterque ex dictis Ecclesiæ Doctoribus usus est diligentiâ sufficienti, ut veritatem inveniret, & tamen uterque non invenit, nec dixit verum, licèt uterque dixerit verosimile ex gravi ratione: ergo veritas omnis, ne quidem ab ipsis Ecclesiæ Doctoribus est facilis inventu. Lege P. Moyam, & P. Teril. & præ cæteris M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 7. qui rejicit omninò ea omnia, quæ tamquam certa supponit P. Elizal. asserens medium necessarium ad expellendam ignorantiam esse humilitatem, charitatem, orationem, conversionem ad Deum ; quæ, inquam, omnia rejicit Sapientissimus Archiepisc. Tapia, cujus verba ferè ad verbum infrà dabo omninò legenda.

M. Tap.

Deinde, ut propiùs ad directam responsionem accedam, dico, quòd tantùm absit, ut verum sit, quòd nulla opinio, etsi probabilior, immò moraliter certa, minùs tamen tuta, si falsa sit, excuset à peccato, ut vult P. Elizal. quin evidens est oppositum, ut benè P. Suar. 1. 2. *d.* 12. & P. Moya *tom.* 2. *qu.* 5. *n.* 34. immò oppositum est mihi hodie de fide certum, nam inter damnatas ab Alexandro VIII. tertia est, *Non sufficit opinio probabilissima* : ergo est certum de fide, quòd sufficiat ; ergo multò magis est verum, & certum quòd moraliter certa sufficiat. Addo me prorsus nescire, quid amplius ad prudenter operandum requiri possit, quàm certitudo moralis ; si enim, ut suprà dixi *sect. elapsâ* ex P. Elizal. *lib.* 2. *fidere viro fide digno nihil est prudentius*, licèt ejus dictum possit esse falsum, ut testificatur idem Celladei *lib.* 2. *qu.* 8. §. 5. *pag.* 90. quantò magis fidere rationi moraliter certæ ? Quod autem P. Elizal. & Fagnanus *n.* 112. frequenter jactant, veritatem esse facilè assequibilem, præter ea, quæ mox dixi ; vix enim aliqua datur opinio, quæ non habeat Doctores doctrinâ, & pietate celebres, inter se de veritate certantes: præter hæc, inquam, dico, quòd P. Elizal. meo judicio confundit veritates universales cum particularibus, quarum aliquæ sunt adeo remotæ ab illis, ut vix sciri possit, an sint cum illis connexę, an non : sicut ergo in omni arte, & scientiâ prima axiomata facilè patent, ut ait Philosophus *lib.* 6. Ethic. *cap.* 3. solâ enim apprehensione terminorum patent, nec sunt demonstrabilia, aliàs iretur in infinitum : attamen veritates particulares omninò difficulter sciuntur, ut constat ex Philosophiâ, quæ sive sit Thomistica, sive Scotistica, ijsdem nititur principijs, & tamen quot conclusiones contradictoriæ inferuntur? & ideo B. Albert. M. in 3. *dist.* 22. *art.* 16. circa medium, dixit : *Juris ignorantia est duplex, quia quoddam est universale, quod proponitur omnibus ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non scitur, nisi per studium* ; de quo etiam legi potest Caram. *tom.* 4. Theol. Mor. Fundam. in *Prodrom. Dialexis n.* 83. *pag. mihi* 48. & S. Th. in 3. *Ethic. cap.* 5. *lectione* 11. ubi ait : *Difficultas*

N. 121. P. Eliz. P. Suar. P. Moy. Alex. VIII.

N. 122. P. Eliz. Fagnan

Aristot. N. 123. B. Alb. Magn. Caram. S. Tho.

cultates juris non tenentur omnes scire, quia nec possent. Idem constat ex jure Civili, & Canonico, quorum regulæ generales facilè patent, difficulter autem sententiæ, conclusiones, & decisiones particulares, licèt quilibet Jurisconsultus, & Canonista ijsdem legibus,
P. Eliz. & regulis generalibus assentiatur. Rursus, (ut ipsius P. Elizal. exemplo utar, quod contra nos armat, & tamen est evidenter contra illum,) sicut in Sectis, vel Religionibus, Religio vera est quidem quoad aliqua principia generalia, comparata cum non veris, facilè discernibilis, & invenibilis, adhuc tamen Catholici ijsdem fidei principijs inhærentes, in pluribus, quæ ijsdem veritatibus revelatis niti videntur, sibi contradicũt: ex. gr. omnes conveniunt, Deum esse simplicissimum, & tamen Scotistæ distinctionem ex naturâ rei inter attributa statuunt,
N. 124. alij negant: omnes Deum esse immutabilem, & liberum, & tamen quot (bone Deus!) circa libertatis Divinæ cum Divinâ immutabilitate compositionem opiniones contradictoriæ! omnes Humanitatem Verbo physicè unitam, & tamen uni dicunt unitam tantùm immediatè Filiationi, alij immediatè etiam Naturæ Verbi: omnes Humanitatem mereri ob unionem cum Verbo, & tamen uni inferunt meritum esse infinitum, alij negant: omnes peccatum esse Dei offensam, & tamen uni volunt esse infinitam, alij finitam: omnes in *tr.* de Gratiâ, aliquibus concessum fuisse privilegium, quod numquam venialiter peccarint, & tamen uni hoc privilegium soli Deiparæ reservant, alij extendunt ad S. Joan. Baptistam, alij ad S. Jacob. minorem,
M God. de quo videri potest M. Godoy *tom.* 1. *in* 1. 2. *d.* 45. *n.* 3. omnes Beatum concurrere ad
Gabriel. visionem, & tamen Gabriel affirmat concurrere tantùm passivè, alij etiam activè: omnes, quòd beatitudo formalis detur, an autem consistat adęquatè in solo actu visionis, ut
S. Th. S. Bon. vent. S. Thom. 1. 2. *qu.* 3. *art.* 4. cum suis, an etiam in amore beatifico, ut S. Bonav. P. Suar. & alij, est inter Doctores contradictio: omnes dari de facto peccatum commissionis, an autem consistat formaliter in privativo, ut volunt Scotistæ, & Nominales cum aliquibus
P. Suar. P. Val. Cajet. Medin. P. Vasq. P. Gasp. Hurt. Thomistis, & P. Suar. P. Val. & alijs; an in positivo, ut Caietanus, Medina, & plerique Thomistæ, P. Vasqu. P. G. Hurt. & alij, non convenitur inter TT. omnes convenient dari fidem Christi D. an autem omnes
S. Aug. S. Chrysost. S. Tho. P. Eliz. eam audierint, negat S. August. affirmat S. Chrysost. & S. Thom. quæ sententiæ sunt inter se contrariæ, ut ait P. Elizal. 3. *p. lib.* 7. *qu.* 12. §. 1. *pag.* 54. & ex ejus decisione sequitur decisio quæstionis, an necne detur in Gentibus invincibilis ignorãtia fidei. Omitto infinitas alias quæstiones inter TT. con- N. 125.
troversas, & unicè adverto, quòd Theologi sive aliquam ex recitatis sententijs affirmẽt, sive negent, omnes suam sententiam probant ex Scripturâ, ex Concilijs, ex Patribus: ergo certissimum est, quòd licèt principia generalia fidei sint invenibilia, non tamen conclusiones particulares, quæ ex illis inferuntur. Ita accidit in materiâ morum: doctrina universalis morum, seu prima morum generalia principia sunt facilè invenibilia, comparativè ad eorum contradictoria; at conclusiones particulares ex illis deductæ sunt omnino inventu difficiles, & eò magis, quò magis se elongant ab illis generalibus principijs, & novis circumstantijs miscentur: ex. gr. icimus ex Euangelio Deum colendum, & amandum, quando tamen, & quoties in anno nescimus: scimus inimicum diligendum, & ei benefaciendum, & tamen quo, & quali speciali benevolentiæ signo nescimus: scimus licitam esse sui, & bonorum suorum defensionem; castitatem præferendam matrimonio; omnem usuram, & simoniam illicitam esse; die festo ab omni servili opere, quod necessarium non sit, abstinendum; subveniendum ex præcepto charitatis pauperi; secretum illibatè servandum; & tamen nescimus sæpe an hic, & nunc tenear præ alijs subvenire proximo; an hìc, & nunc licitè uti possimus æquivocatione, nè secretum prodatur; an huic homini melior sit castitas, quam matrimonium; an talis modus sit inculpata tui defensio; an talis contractus sit usurarius; an hoc pactum sit simoniacum; an hoc opus sit servile; hæc, & alia nescimus. Quare sicut notæ, quibus evidenter N.
convincitur credibilitas nostrę Religionis, 126.
probant eam esse amplectendam, & esse veram quoad ea, quæ certò constat esse revelata, non quoad ea, quæ inter Catholicos dubia sunt, an sint revelata, & an Scriptura hoc, vel oppositũ dicat, potest enim utrumque esse probabile, quod sit, & quod non sit revelatum; ita eædem notæ probant doctrinam morum quoad ea, quæ certò præcepta sunt, esse veram, & honestam, non tamen quoad eas opiniones inter DD. Morales controversas, & dubias, quarum utraque
P. Thyr. potest esse probabilis. Lege P. Thyrsum *tom.* 4. *d.* 6. *n.* 38. qui hoc obiter docet.

Ad rationem, & primam confirmationem N.
respondeo, quòd si ignorantia immissa in 127.
pœnam peccati actualis, nullo modo, dum actu peccabatur, fuit pręvisa, ea ignorantia est omnino invincibilis; quia ignorantia, cujus expellendæ nulla occurrit cogitatio,

aut

aut dubitatio, dicitur invincibilis; implicat enim, ut moraliter vincatur, quod non cog-
P.Moy. noscitur, ut omnes fatentur apud P.Moyam 2.p.qu.5.n.41. ergo si Petrus hodie furans nihil cogitet de mendacio crastino, quod cras putet ad suæ vitę tutelam esse necessarium; esto hæc ignorantia sit pœna furti hesterni, & consequens ad furtum, adhuc hæc ignorantia erit omnino invincibilis, & Petrus mentiendo non peccabit. Quòd si ignorantia crastina sit hodie prævisa, & vincibilis hodie in causâ, adhuc dico, quòd eadem cras poterit esse invincibilis; quod enim hodie sit vincibilis, non facit, quod cras sit vincibilis, si nulla ejus vincendę occurrat cras dubitatio; immò sicut, ut hodie sit vincibilis, debet hodie prævideri immittenda, & si hodie non prævidetur, hodie non erit vincibilis, sed invincibilis; ita ut cras sit vincibilis, necesse est, ut cras occurrat obligatio eam repellendi; ergo si cras non occurrat, ignorantia erit cras invincibilis, & mendacium cras proferendum non erit denuo imputabile ad culpam. Omitto, quæ contra P.
N. 128. P.Eliz. P.Moy. Elizal. trahit P.Moya *l.c.* §.6. nempe, quod si ignorantia in pœnam peccati immissa non excusat à peccato, daretur sæpe casus, in quo aliquis quomodolibet se gerat, peccabit: fac enim, ut Theologus doctrinâ, & pietate celebris tibi dicat, te debere, ut innocenter damnatam liberes, mentiri: ecce, si non datur talis obligatio mentiendi, peccabis mentiendo, quia facis contra præceptum non mentiendi: & peccabis non mentiendo, quia tibi absque ullo conscientię remorsu certum moraliter apparet præceptum mentiendi hic, & nunc, ut proximum liberes: ergo justo volenti, & conanti secundùm præsentes, quas habet, vires, aliquod Dei præceptum est observatu impossibile, & peccatum est necessarium: ergo ignorantia, etsi in pœnam
N. 129. immissa, excusat à peccato. Plura P. Moya. M.Tap. Ratio autem est, ut benè M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 8. *art.* 7. quærens quid requiratur, ut ignorantia sit invincibilis, ait, *eam derivari, vel ex omnimodâ oblivione, ac inadvertentiâ, vel ex magnâ advertentiâ, quæ adhibet sufficientem diligentiam, ut vincat errorem, aut ignorantiam, nec tamen potest*; quod fusè prosequitur *lib.* 3. *qu.* 9. ergo cùm homo ille consulens insignem Theologum utatur sufficienti diligentiâ, ut sciat, an mendacium pro innocenti liberando sit licitum, & Theologus affirmet licitum, talis homo mentiendo non peccabit.

N. 130. P.Eliz. Instas 1. ex P. Elizal. Omnes, qui verè sunt diligentes in curâ animæ suæ, posse formare judicium *probabile* de sufficienti diligentia in quolibet casu particulari. Respondeo 1. hanc doctrinam contradicere alteri, ubi dicit 2. *p. lib.* 5. *qu.* 11. §. 6. *pag. mihi* 56. *quantitatem debiti, & obligationis diligentiæ taxari determinatè, & exactè à nobis non posse*: ergo si non potest taxari mensura diligentiæ, (est enim hæc mensura taxatu impossibilis) repugnabit etiam judicium probabile eam fundans. Respondeo 2. vel per *probabile* intelligit *verum*, vel verosimile ex gravi fundamento: si verosimile, ergo probabile potest esse regula morum, quod tamen tam grandi volumine improbat: si verum, contra est 1. quia cùm per P.Elizal. lex Dei, & naturæ sit invenibilis, siquis eam non invenit, signum est, non fuisse usum debitâ diligentiâ; sed qui non est usus debitâ diligentia, concipere non potest judicium probabile, seu verum de eâ adhibitâ, quia per Celladei probabilitas conscientiæ fundatur in veritate: ergo implicat, ut ille concipiat judicium probabile de sufficienti diligentiâ: N. 131. ergo sive sequatur magis, sive minùs tutam, sive magis, sive minùs probabilem, si coram Deo sit falsa, peccabit mortaliter. Contra 2. licèt verum sit quòd omnes verè diligentes in curâ animæ formare possint judicium probabile de sufficienti diligentiâ, attamen juxta Celladei, nullus dicere potest, se esse verè diligentem in curâ animæ suæ; cujus verba dedi in *responsione ad* 5. vult enim florere debere in charitate, &c. siqui autem sunt, pauciſſimi sunt; quid ergo facient, qui plerumque animæ suæ curam neglexerunt? Isti numquam pœnitere poterûnt, quia numquàm formare poterunt judicium probabile; omnis enim probabilitas conscientiæ per Celladei fundatur in veritate, & in plerumque contingenti: sed qui nullam animę suæ curam hactenus habuit, plerùmque in sufficientiâ diligentiæ defecit: ergo talis numquàm judicium probabile de sufficienti diligentiâ, & de veritate inventâ formare poterit.

Instas 2. Ignorantia pœnæ non excusat N. à pœnâ incurrendâ; ergo neque ignorantia 132. culpæ à culpâ. Nego antecedens, si loquamur de pœnis Ecclesiasticis, nempe censuris, excommunicatione, &c. ut videri potest apud P. Sanch. *lib.* 1. *Sum. & lib.* 9. *de Matri. d.* 42. Deinde transmissò antecedente, P. Sanc. nego consequentiam; quia de ratione culpæ est, ut sit libera; ergo ut sit prævognita; non autem de ratione pœnæ, ut benè Palanco *qu.* Palanc. 4. *n.* 4. & alij passim. Addo ex S. Thom. 1. S. Tho. 2. *qu.* 82. *art.* 3. quem sequitur M. Mercor. M.Mer. 1. *p.* Basis *art.* 4. quòd pœna per se annexa culpæ, qualis est pœna æterna annexa mortali, non excusat, etsi ignoretur.

Instas

N. 133. Instas 3. Ignorantia vincibilis tollit voluntarium; & tamen non excusat à culpâ: ergo licèt ignorantia invincibilis tollat voluntarium, non excusabit à culpâ. Respondeo ignorantiam vincibilem non tollere voluntarium in causâ, immò supponere, & ideo non excusare à culpâ; econtra invincibilem ignorantiam tollere, & ideo excusare.

N. 134. Ad secundam confirmationem respondeo non esse ad rem: sive enim invincibilis ignorantia legis naturalis dari possit, ut plerique Catholici affirmant, sive non possit, ut vult Vvendr. M. Bar. Wendrochius sæpe laudatus, & impugnatus à M. Baron. 2. p. Manuduct. d. 4. sect. 1. pag. 408. hoc certum est apud omnes Catholicos, quòd si detur excusat: etenim mea, & communis doctrina est universalis de omni invincibili ignorantiâ cujuscumque legis, sive naturalis, sive positivę; eamque in sensu composito invincibilitatis dicimus excusare semper à peccato, quoties, & quandiu ea est invincibilis. Deinde dico, ferè certum esse

N. 135. apud TT. & experientiam ipsam probare, quòd detur invincibilis ignorantia juris naturalis. Licèt enim jus naturale, quoad principia generalia, sit omnibus notum, non tamen quoad conclusiones particulares, ut patet tùm in contractibus, in pactis, tùm in alijs exemplis paulò antè adductis; aliqui enim talem contractum, aut pactum affirS. Th. mant justum, alij negant: immò S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 11. ait, dari in aliquibus invincibilem ignorantiam circa fornicationem, & usuram: & qu. 3. de Malo art. 8. tamquàm certum supponit in fornicatione; & M. Tap idem docet M. Tapia tom. 1. lib. 4. qu. 2. art. 5. fusè, & clarè: idem circa mendacium tradit M. Bar. M. Baron. 2. p. Manuduct. d. 4. sect. 1. art. 3. §. 1. & 2. pag. mihi 356. & 359. & 402. Idem M. Mer tradunt M. Mercor. apud, & cum P. Moya P. Moy. tom. 1. tr. 1. qu. 6. n. 27. P. Vasqu. 1. 2. d. 122. P. Vasq. M. Soto. C. de Lugo, M. Araujo, M. Mar. P. Card. P. Rip. P. de Cham. P. Thyr. M. Soto lib. 5. de Just. Card. de Lugo d. 19. de Fide n. 2. M. Araujo, qui trahit in exemplum mendacium, ut innocens liberetur, M. Prado tom. 1. quæst. mor. cap. 2. qu. 19. §. 6. P. Card. tom. 1. d. 15. n. 539. P. Ripald. tom. 3. de Ente d. 10. n. 2. P. de Champs passim de *Hæresi jansenianâ*, P. Thyrsus tom. 4. Theol. d. 6. maximè sect. 8. asserens ne quidem doctos carere posse omni ignorantiâ invincibili juris naturæ; & à n. 127. immò sect. ultimâ per totam; Caram. tom. 4. Theol. Mor. Fund. Caram. in *Prodromo* n. 84. & 86. pag. 49. Similiter dari posse in Hæreticis ignorantiam invincibilem circa mysteria Fidei, est certum ex S. Aug. S. August. citato in caput *Dixit* 24. qu. 3. P. P. Teril. Teril. qu. 16. n. 33. nec de hoc dubitari potest; multò minùs de Infidelibus, nam oppositum tradunt communiter ut certum, S. Thom. & Doctores, quos citat, & sequitur P. Vasqu. 1. 2. d. 120. cap. 3. & M. Joan. Mart. de Prado cap. 2. de Peccatis qu. 12. §. 4. & 5. P. Oviedo 1. 2. tr. 6. contr. 6. pun. 4. P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 47. D. Th. P. Vasq. P. Ov.

SECTIO IV.

Appendix ad dicta de invincibili ignorantia.

§. I.

Conclusiones P. Elizaldæ.

SUMMARIUM.

Vult, quòd alibi dicti intelligenda sint juxta has suas conclusiones, n. 136.

Ait, quod si relativè ad vires naturæ loquamur, possibilis sit etiam in integrâ natione, totâ vitâ invincibilis fidei, & Decalogi ignorantia, sine remorsu oppositi, n. 137.

Ait invincibiliter errare, qui putat suas rationes probabiles, & assensu dignas, ibid.

Celladei, qui omnem probabilitatem everterat, tandem ei adhæret, n. 138.

Asserit possibilem juris naturalis, & Divini, & fidei ignorantiam ad tempus, n. 139. 140.

Ait, quòd sit puerilitas indigna Theologis quærere, quid eventurum ei, qui fecit, quod in se fuit, & moriatur antequam instruatur, n. 141.

Rejicio, n. 142.

Ait possibilem pro totâ vitâ invincibilem ignorantiam eorum, quæ non sunt necessaria necessitate medij, ibid.

Dicit Hæreticos eo tantùm tempore invincibili ignorantiâ laborare, quo faciunt quod in se est, n. 143.

Ait contra Jansenium, quòd post legem promulgatam nulla sit differentia inter legem naturalem, & positivam, n. 144.

Ait se magis inclinare ad negandum invincibilem legis naturæ ignorantiam, n. 145. 146.

Obligatio faciendi importat obligationem quærendi, & sciendi, ait P. Suar. ibid.

Dicit, quod Tribunalia supponant ignorantias esse vincibiles, & ideò Ecclesia punit Hæreticos, n. 149.

Vult hoc dilemma esse peremptorium: Vel quòd non satis promulgarit, vel quòd culpa hominis sit, quòd non inveniat, ibid.

Minatur Confessoribus idiotis, & ijs, qui supponunt invincibiles ignorantias in pœnitentibus, nec eorum officij esse eos docere, n. 150.

Assignat varias mensuras pro diligentiâ adhibendâ, n. 152.

N. 136. PAter Eliz. conscius fortè contradictionum sibi familiarũ, 3. p. lib. 7. qu. 11. §. 8. P. Eliz. cujus

cujus titulus est, *Conclusiones nostræ, ubi, & quando, & de quibus dari possint ignorantiæ invincibiles*, hæc habet: *Quæcumque hoc libro, aut alibi a nobis de ignorantijs istis dicta sunt, omnino volumus juxta has conclusiones intelligi, & si quid contrarium affirmare alicubi videbimur, id arguentis, non affirmantis, & asserentis esse cavemus.*

N. 137. Primo dicit à *pag.* 57. utramque sententiam tam affirmantem, quàm negantem invincibilem fidei, & legis Dei, sive positivæ ignorantiam, esse liberam ab omni censurâ, *maximè vero sententiam negativam, quæ quoniam veterum, & jam mortuorum est, magis* P.Eliz. *defensore indiget; & hæc est nostra quasi prima conclusio.*

N. 138. Secunda ejus conclusio est: *Si respectivè ad vires naturæ, & humanum ingenium, unicè, vel præcipuè causa ista determinanda sit, possibiles sunt ignorantiæ invincibiles fidei, & legis naturalis etiam in Decalogo expressæ, & legis positivæ Divinæ, & non tantùm pro aliquo tempore, sed etiam pro totâ vitâ, & non tantum in Sylvicolâ, sed etiam in integrâ natione ..... Idem dicimus, si omnis ignorantia expers remorsus particularis conscientiæ, dicatur invincibilis. Idem, si quicumque putet suas rationes, quibus fallitur, esse probabiles, seu graves, & assensu dignas, jam hoc ipso (N. B.) invincibiliter ignorat, & errat. Idem si ad invincibilitatem ignorantiæ sufficit decem, vel centum Doctores consuluare, qui consilium petenti graves, & dignissimi videantur. Cum ergo Recentiores his fermè sensibus in præsentiâ causam definiant,* (nempe, an detur ignorantia invincibilis juris naturalis, & Divini) *nihil quoad præsens ab ijs discedere videmus.* Ecce qui nostram sententiam de possibilitate invincibilis ignorantiæ circa jus naturale, & Divinum, sive credendum, sive agendum impugnaverat, & qui probabilitatem omnem everterat, & solam veritatem pro regulâ statuerat, fatetur se sentire, quod nos: tantum ponderis habet veritas, ut vel invitum ad nos trahat. Rursus, ecce qui paulò ante sententiam negativam, quoniam mortuorum est, asseruit, defensore indigere, ut dixit in primâ conclusione, modo in secundâ amplecti videtur sententiam affirmantem.

N. 139. P. Eliz. Tertia ejus conclusio est: *Tam fidei, quàm juris naturalis, & positivi Divini potest dari ignorantia invincibilis ad tempus. Est* (inquit) *ad mentem veterum omnium, quia illi omnes locuti sunt de facièe, quod in se est; S. Thomas de enutrito inter lupos, & in sylvis; Alexander, & Gabriel de puero à Sarracenis carcerato, quæ omnia, & ipsum facere, quod in se est in ipsorum sensu, agent tractu temporis; hic ergo, qui pergit facere, quod in se est, eo tempore, & quamdiu à Deo providebitur, invincibiliter ignorat, quæcumque ignorat, sive fidem, sive aliqua Decalogi, sive quidlibet aliud.* Confirmat hoc *pag.* 58. ex S. Augustin. S. Chrysost. & PP. quos adduxerat *lib.* 7. *qu.* 4. quia promissio Dei, *qui quærit invenit*, & aliæ, non intelligitur *de momẽto indivisibili, sed de tempore, labore, consultatione, oratione, pœnitentiâ, & similibus constant*: ergo quamdiu quis in his non deficit, omnia, quæ ignorat, invincibiliter ignorat. Trahit etiam exemplum Cornelij, qui erat vir religiosus, & quamdiu Petrum accersivit, & Petrus venit, & instruxit in fide, invincibiliter fidem ignoravit: trahit exemplum Apostolorum, quos Spiritus S. instruere distulit docendo reliqua, quæ tunc portare non poterant: trahit communissimum Doctorum placitum, qui ordinem ponunt inter credenda, & paulatim catechizant Fideles: demum trahit paritatem hominis, qui fidem, & plura Decalogi ignorâs in articulo mortis convertatur ad idem, & de necessarijs necessitate medij doceatur, & verè conversus statim baptizetur, & cætera ignorans moriatur, hic salvabitur: ergo omnes ejus ignorantiæ saltem post conversionem sunt invincibiles. Idem patet in pueris, qui usque dum ad rationis usum perveniant, & doctrinam Christianam discant, laborant ignorâtiâ invincibili. Hæc P. Eliz. ferè ad verbum. N. 140.

Post hæc asserit puerilitatem quæstionem illam, quâ quæritur, quid si aliquis faceret, quod in se est, & in articulo mortis constitutus, antequam instrueretur, moreretur? Respondet *esse puerilitatem Theologis indignam*, & ait *non moriturum, nam alias, vel sine fide salvabitur, vel existens in gratiâ damnabitur, quod utrumque est, vel erroneum, vel hæreticum.* Verùm ego non video, quomodo alterutrum necessario sequatur, dico enim illum, etsi faceret, quod in se est, si moreretur, antequam instrueretur, tunc si esset in culpâ mortali, damnandum iri; si autem in culpâ tantùm originali, descensurum ad Limbum; si demum in gratiâ, quatenus elicuit actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, salvandum iri. Nulla ergo necessitas dicendi alterutrum, præcipuè quia si sit in culpâ mortali personali, eò ipso non fecit, quod in se est; & si non sit, Deus illuminabit illum speciali providentiâ, ut docet idem P. Elizal. *concluſ.* 4. ait enim: *Nullus faciens, quod in se est, moritur cum ignorantiâ eorum, quorum fides est necessaria necessitate medij, potest autem cum ignorantiâ reliquorum, quare possibilis est horum ignorantia invincibilis etiam pro totâ vitâ.* Sunt autem de necessi- N. 141. P.Eliz. N. 142. P.Eliz.

tate medij fides Unitatis Naturæ, & Trinitatis Personarum, & fides Nativitatis, Mortis, & Resurrectionis Christi D. rursus de necessitate medij est cognitio agendorũ aliquorũ, præsertim Deum colendum, & amãdum: de reliquis ait, se nunc non discutere.

N. 143. An autem post promulgatum olim Euangelium dentur aliqui, qui illud non audierunt, & an eorum ignorantia sit vincibilis, vel invincibilis? Ait, se Dei judicio hoc determinandum relinquere cum S.Aug. *tr.* 89. *in Ioan. prope finem*; & nisi eum teneret authoritas D. Thomæ, ait, se planè affirmaturum, *nullam esse invincibilem fidei ignorãtiam, nisi eo medio tempore, quo quis facit, quod in se est, & implet mensuram debitæ diligentiæ.*

Deinde descendit ad eos, qui audierunt, ut sunt Hæretici, & plerique cujusvis sectæ homines, & ait, nullam esse ignorantiam invincibilem, nisi medio tempore, quo quis facit, quod in se est. Idem dicit de simplicibus inter Fideles.

N. 144. P. de Cham. P. Anat. P. Teril. In septimâ conclusione ait cum P. de Champs, P. Anato, P. Teril. & alijs contra Jansenũ, quòd nullâ authoritate, vel ratione post legem promulgatam probari potest differentia inter legem naturalem, & positivã.

N. 145. P. Eliz. Octava ejus conclusio est, *se magis propendere, ut dicat, de facto, & eo tempore faciendæ diligentiæ excepto, nec non ijs exclusis, qui non audierunt modo dicto, nullam dari ignorantiam invincibilem legis Dei, sive naturalis, sive positivæ*: subdit, se hanc conclusionem sapientiorum, & maximè judicio Ecclesiæ submittere: rursus subdit, se loqui de rebus ad unumquemque pertinentibus, quà homo est, vel quà Christianus est. Probat; quia *nulla lex Dei non magna, non parva, nullum Dei præceptum robusto, vel debili est impossibile*; quam propositionem ait tutam, & sanam: *ergo nulla lex Dei non magna, non parva, nullum præceptũ ingenioso, vel rudi est incognoscibile.* Consequẽtia probatur, probando antecedens, sive à Dei promissionibus, sive à ratione; *ex quibus infertur omnem Dei legem esse cognoscibilem, quia in possibili clauditur cognoscibile, & per incognoscibile excluditur possibile.* Probat secundo ex P. Suar. quia in obligatione faciendi includitur obligatio quærendi, & cognoscẽdi. Probat 3. *ex possibilitate inveniendi, & cognoscendi omnem Dei legem: ergo omnes non modo possunt, sed tenentur etiam invenire, & cognoscere, ac proinde ignorantia est vincibilis.* Probat 4. quia omnes obligãtur ad aliquam diligentiam, & ad aliqua cognoscenda. Probat 5. quia sicut in lege Dei nobis notâ, possibilitas implendi legem coincidit cum obligatione implendi illam, nec est distinctio legis magnæ à parvâ, principiorum, aut conclusionum, modo illæ cadant sub legem; ita à pari possibilitas inveniendi, & cognoscendi coincidit cum obligatione cognoscendi, sine ulla distinctione hujus, vel illius legis. Ratio est, inquit; quia utraque possibilitas in hũc finem à Deo datur, ut lex teneatur, & frustra concederetur possibilitas cognoscendi, si in eâ hærere liceret, & impunè non quæreremus. Rursus, quia de expressis in Decalogo saltem concedunt Theologi possibilitatem cognoscendi coincidere cum obligatione, & ideo eorum ignorantias invincibiles non admittunt: ergo possibilitas cognoscendi omnem, & quamlibet Dei legem coincidit cum obligatione cognoscẽdi. Denique, quia in libro Dei, per quem judicandi sumus, nulla, vel rarissima invenitur ignorãtia ullius legis Dei, quam Deus invincibilem esse admiserit; Deus autem bonus Doctor est: ergo si ex notis ad ignota, & ex certis ad incerta philosophari docemur, nulla, vel rarissima datur invincibilis ignorantia ullius legis, vel præcepti Dei. Hæc ferè ad verbum P. Elizal. *pag.* 53.

P. Suar. N. 146. P Eliz.

N. 148. Nona ejus conclusio est, Ecclesiam, & Tribunalia sequendo ignorantias tam fidei, quàm agendorũ, & legis Dei, semper velle à Confessoribus, & Doctoribus præsumendas esse vincibiles. Ratio est, inquit; quia in illis, quæ rarò, vel numquam contingunt, præsumptio est in contrarium: sed ignorantia fidei, & legis Dei, rarò, vel numquàm est invincibilis: ergo præsumenda est vincibilis: & ideo Ecclesia, & Tribunalia procedunt, & puniunt Hæreticum omnem, qui Ecclesiam Catholicam ingreditur: nec hoc evadi potest per distinctionem fori interni ab externo. Demum ait, *hanc esse peremptoriam probationem: quòd quisque cognoscat legem Dei quamlibet ad se pertinentem, pendet ab ipso, & a Deo; & ignorantia provenit ex eo, quia alteruter deficit, vel Deus non satis promulgando, vel homo non satis quærendo: vanissimum autem est defectum in Deo rejicere, dicendo eum non satis promulgasse: ergo defectus rejici debet in hominis negligentiam.*

N. 149.

N. 150. Decima ejus conclusio est: Væ Cõfessoribus idiotis, vel qui non norunt, in quibus pœnitentes errant, vel qui ignorantias invincibiles præsumunt, vel qui suos non putant pœnitentes docere de his, quę ignorant, sed solùm ex ijs, quæ pœnitentes norunt, & dicunt, putant judicium esse conficiendum, & hoc putant misericordiam.

N. 151. Tandem claudit *quæstion.* 11. quærendo, quantum sit illud tempus medium, in quo quis facit, quod in se est, & interea ignorantiæ

rantiæ sunt invincibiles? Respondet: *Deus scit.*

N. 152. P. Eliz. Similiter quærit, quanta sit diligentia adhibenda. Cùm enim sit agere, quod in nobis est, vel secundùm totum posse, vel secundùm medium posse, vel minùs, vel plus, quàtum demùm sit, quod agendum est. Ait 1. se de hoc tractasse *lib.* 1. in quo dictum est, *taxari à nobis, & discerni non posse quantitatem hujus diligentiæ.* Ait 2. quantitatem istam pendere ex quantitate studij adhibendi in Dei, & animæ obsequium, quia ex hoc studio debita diligentia sequitur, & se *libro sequenti* acturum de hoc studio. Ait 3. quantitatem esse, quam verè Deum super omnia, & proximum sicut se diligentes adhibent, ut *libro sequenti* docebit. Ait 4. quantitatem esse, quam, & qualem viri Dei, & Sancti impendunt, & ad instar illius. Ait 5. quod integro libro dici potest, quantitatem esse ut minimùm quam, & qualem sectatores mundi impendunt honori, vel divitijs, vel voluptati communiter, & plerumque: nec hæc regula tamquam excedens in Dei judicio enervari poterit. Hæc P. Elizal. qui claudit his verbis: *Durum est, inquis, sed non de duro, & blando, sed de vero, & falso disputamus, & hic locus communis, est magis Mahometanorum legi, quam Christianorum congruus.*

N. 153. Palanc. M. Palanco *qu.* 9. *n.* 19. asserere videtur in genere id ipsum, quod P. Elizal. nam asserit non dari, per se loquendo, invincibilem ignorantiam præceptorum naturaliũ; & *n.* 49. asserit non dari ignorantiam invincibilem legis Divinæ Euangelicæ. Idem M. Elbecq.

M. Elbecq.

§. II.

Refellitur doctrina de invenibilitate omnis legis.

SUMMARIUM.

Idem omnino est, an detur ignorantia invincibilis juris naturæ, ac an omnis lex naturæ sit invenibilis, n. 154.

S. Thom. aperte ait, quòd non omnes tenentur, quin nec scire possunt juris dubia, ibid.

Celladei valdè, & meritò, celebrat D. Thomam, & tamen ab eo recedit, n. 155.

S. Thom. tuetur invincibilem circa fornicationem ignorantiam, n. 156.

Optimè P. Thyrsus suadet ex SS. PP. dari invincibilem juris naturæ ignorantiam quoad remota, n. 157.

DD. n. 158.

S. Anton. & Adrian. explicant D. Th. quòd ignorantia legis, de cujus existentiâ disputatur inter DD. non sit ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, *seu vincibilis, sed invincibilis*, n. 159.

Si omnis lex est invenibilis, cur lex naturalis taxans mensuram diligentiæ non est talis? n. 160.

Incongruè Celladei sumit eam mensuram à Dei amore, & a diligentiâ, quâ Sancti usi sunt, & plura confundit, n. 165. ad 173.

Deus jubet unicè quod nobis prodest, & ad pauca obligat, & non nisi rarissimè ad summe ardua, n. 170.

Ut quæ necessaria sunt pro vitâ temporali sunt valdè pauca, ita & pro vitâ æterna, ibid.

Qualiter SS. PP. utantur argumento diligentiæ pro re temporali, n. 171.

Non obligant ad eamdem pro æternâ, sed eâ suppositâ redarguunt à minori ad maius: si tantum agitis pro re temporali, cur non pro æternâ? & sic non obligant, n 172. 173.

Ut infernus, ita cælum aditu facile,

REciprocantur hæ duæ quæstiones, an detur ignorantia invincibilis legis naturalis cum hac, an omnis lex naturalis sit invenibilis; si enim est invenibilis, omnis ignorantia juris naturalis erit vincibilis, nulla autem erit invincibilis. Dixi autem *sectione elapsâ* §. 3. posse dari ignorantiam invincibilem circa præcepta Decalogi, saltem aliqua, seu circa jus naturæ, ut docent plerique Theologi cum S. August. & S. Thomâ; & perpetua contentio Theologorum in rebus circa jus naturæ dubijs hoc evidenter authẽticat; quare, ut quæ §. *antecedenti* ex P. Eliz. attuli, efficaciter refellantur, satis erit lustrare oculis §. 3. *sect. tertiæ*; immò satis est meminisse ejus, quæ ex S. Thomâ in 3. *Ethic. cap.* 5. *lectione* 11. citavi, ubi ait: *Difficultates juris non tenentur omnes scire, quin nec possent.* Ecce S. Th. excludit obligationem, immò possibilitatem sciendi difficultates juris naturalis: ergo non omne jus naturale est invenibile, non tantùm à quolibet homine, sed à nullo.

N. 154. S. Aug. S. Th.

Attamen præter dicta addenda sunt alia; primum est ex eodem Elizal. qui 3. *p. lib.* 7. *a qu.* 10. 11. *& alijs*, totus est in probando non dari invincibilem ignorantiam juris naturalis, & Divini, nec fidei; nec hoc contentus dicit, omnes veteres TT. hoc sensisse; immò, quod mirum est, *qu.* 11. §. 7. *pag. mihi* 55. loquens de S. Thomâ, eumque his verbis laudans: *Quantum sit in uno Thomâ momentum, norunt sapientes; & quò sapientiores, eo magis; & quibus ille nihil est, mihi ipsi nihil sanè sunt.* Et post pauca subdit: *Fatendum ingenuè in primis est D. Thom.* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. *& in Epist. ad Rom. cap.* 10. *lect.* 3. *admisisse ignorantiam invincibilem fidei, & infidelitatem negativam in illis, qui non audierunt.* Ecce 1. si hæc

N. 155. P. Eliz. S. Tho.

vera sunt, ut sunt, nescio quomodo, qui jure meritò tantùm extollit S. Doctorem, tantùm ab eo discedat. Ecce 2. quâ veritatis specie dicat omnes veteres TT. pro se stare, cùm
N. tamen S. Thom. eorum Princeps pro eo non
156. stet. Quid si P. Eliz. alia S. Thomæ loca lustraret? Utique suam opinionem deponeret; & nè longiùs abeam, idem P. Elizal. *l. c. pag.* 57. mirabiliter se torquet in exponendo textu
S. Th. S. Thomæ ex *qu.* 3. de Malo *art.* 8. ubi hæc habet: *Si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, potest esse voluntarium, quantùm ad id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratũ, sive ignoretur deformitas actus. puta cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum.* Ecce S. Thom. fornicationem trahit in exemplum invincibilis ignorantiæ: ergo supponit circa eam dari posse ignorantiam invincibilẽ, quę utique erit invincibi-
N. lis circa jus naturæ. Quare meritò P. Thyrs.
157. *diss.* 8. postquàm retulit opinionem, quam se-
P. Thyr. M. Cõtens. quitur M. Contenson, negantem dari ignorantiam invincibilem etiam circa juris naturalis apices, sed omnem esse vincibilẽ, atque adeo omnem, qui operatur contra legem naturæ, peccaturum semper, etsi ex. gr. idem contractus judicaretur licitus à fere omnibus Doctoribus; meritò, inquam, P. Thyrs. *n.* 11. ait, hanc doctrinam sibi videri difficilem: certum enim est sapientissimos DD. & Sanctos sine culpa tradere doctrinas oppositas circa jus naturale, quarum alteram est evidens esse falsam: ergo evidens est Sanctos DD. aliquando sine peccato docere doctrinas falsas circa jus naturale. Si autem illi in illis tradendis non peccarunt, cur peccare debet, qui eas sequitur, motus authoritate, & rationibus illorum? & si illi in docendo non tenentur semper tradere doctrinas veras, sed solùm requirere veritatem, & tradere vel doctrinam veram, vel verosimiliorem, etsi re ipsâ falsa esset, similiter non tenebuntur Fideles semper ad verum in ijs, de quibus inter Catholicos disputatur, sed vel ad
P. Thyr. verum, vel ad verosimilius, etsi falsum. Hęc
N. P. Thyrs. qui deinde *diss.* 11. *cap.* 5. ostendit
158. veram esse communiorem TT. sententiam docentem dari ignorantiam invincibilem juris naturalis quoad conclusiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter
S. Antonin. Adrian. M. Sot. Conrad. P. Suar. P. Vasq. DD. Catholicos; & *n.* 15. fusè hoc probat, & citat S. Antoninum, Adrianum, M. Soto, Conradum, P. Suar. *lib.* 2. de Leg. *cap.* 8. *n.* 7. & *lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 6. & de Censuris *d.* 4. *à n.* 14. P. Vasq. 1. 2. *d.* 122. & alios, inter quos
S. Tho. S. Thom. *qu.* 100. *art.* 1. *in corp.* qui ait: *Quædam sunt in humanis actibus adeo explorata, quòd statim cum modicâ consideratione possunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia; quædam verò sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio multarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientũm, sicut considerare particulares conclusiones scientiarum, non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos.* Quapropter S. Antonin. 1. *p. Sum. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. & Adrianus in 4. docent, limitandum esse dictum S. Thomæ ex *quod-libeto* 8. *art.* 3. dicentis: *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod sit juxta conscientiam;* dicunt enim S. Antonin. & Adrianus dictum S. Thomæ *intelligendum de eo, quod agitur contra legem, de cujus existentiâ, vel extensione ad talem casum, dantur oppositæ sententiæ Doctorum, nam ignorantia legis, de cujus existentiâ disputatur inter DD. non est ignorantia ejus, quod quis scire tenetur*; id est, non est ignorantia vincibilis, sed invincibilis. S. Antonin. Adrian. S. Tho. N. 159.

Secundum est, quòd si brevitati non consulerem, tot, & tanta mihi contra allata ex P. Elizal. occurrerent, ut integro volumini satis essent: attamen ab omnibus supersedeo, & ut argumento peremptorio pleraque ex adductis infringam, ita discurro: Dicit P. Elizal. quòd quia omnis lex Dei est possibilis, omnis est invenibilis; porro si omnis lex Dei est possibilis, & invenibilis, erit etiam possibilis, & invenibilis lex taxans mensuram diligentiæ adhibendæ, ut talis particularis lex cognoscatur: sed lex Dei taxans mensuram quantitatis diligentiæ adhibendæ non est invenibilis, ut testatur idem P. Elizal. & ipsa experientia probat: ergo non omnis lex Dei est possibilis, nec omnis est invenibilis. Hoc argumento infringuntur omnia argumenta ab eo adducta, præsertim *in conclusione octavâ*. Primum infringitur; quia lex Dei de quantitate diligentiæ est incognoscibilis, non enim illius mensura taxari potest: ergo si ab incognoscibilitate arguere licet ad impossibilitatem, lex Dei de quantitate diligentiæ non erit possibilis: vel si in possibili claudit, ut ipse vult, cognoscibile, si est possibilis mensura sufficientis diligentiæ adhibendæ, eadem etiam erit cognoscibilis. Secundum infringitur; quia in obligatione faciendi includitur obligatio cognoscendi: ergo in obligatione utendi diligentiâ debitâ includitur obligatio sciendi quantitatem diligentiæ debitæ; sed hæc per P. Elizal. est incognoscibilis, non enim taxari potest quantitas diligẽtiæ; ergo hęc est impossibilis. N. 160. P. Eliz. N. 161. N. 162.

Tertium

Tertium infringitur; quia datur invincibilis ignorantia certæ mensuræ quantitatis diligentiæ adhibendæ: ergo, velit, nolit, datur in ipso invincibilis ignorantia alicujus legis naturalis; nam lex naturalis est, *utendum tantâ diligentiâ*. ergo post Euangelij promulgationem datur invincibilis ignorantia dictæ legis naturalis: quod si per ipsum datur invincibilis ignorantia hujus legis naturalis adeo universalis, & necessariæ de quantitate diligentiæ; nam, ut ait, *quantitas diligentiæ à nobis, nec taxari, nec discerni potest*, adeoque hæc quantitas invincibiliter ignoratur; quanto magis dabitur ignorantia invincibilis in pluribus conclusionibus legis naturalis, à primis ejusdem legis principijs valdè remotis? Demum infringitur argu- N. 163.
mentum, quod vocat peremptorium; ita enim arguo: Quod quisque cognoscat legem Dei ad se pertinentem, pendet ab ipso, & Deo: ergo etiam cognitio legis Divinæ de quantitate diligentiæ adhibendæ pendet à nobis, & Deo. Modo quæro, à quo defectus proveniat, an à Deo, an à nobis, quod nescire possimus, nec taxare quantitatem diligentiæ, & quod dabit, dabo & ego.

Tertium est, quòd, dum P. Elizal. ulte- N. 164.
riùs procedit in explicandâ quantitate diligentiæ, ignotum per ignotius exponit; nam æquè ignota est quantitas studij adhibendi in obsequio Dei, & animæ culturâ, ac quantitas diligentiæ: & tandem tota mensura quantitatis reducenda est ad consilium viri verè probi, & docti proportionatè ad negotium, quod tractatur, & respectu cujus diligentia est adhibenda. Longè obscurius est N. 165.
detumere quantitatem diligentiæ ab amore Dei super omnia, & ab amore proximi, ut sui ipsius; primo, quia circa hunc ipsum amorem Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius, plurima sunt circa ejus essentiam, obligationem, tempus, & alias circumstantias inter TT. controversa. Secundò, quia hoc est confundere perfectionem cum præceptis; licèt enim amor Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius, sit præceptum, attamen quantitas maior, vel minor, ex. gr. in- N. 166.
tensio, & extensio, non est præceptum. Tertiò, quia sequeretur, quòd qui est in culpâ mortali, quia caret amore Dei super omnia, numquam posset uti quâtitate diligentiæ debitæ, ut ad justificationem perveniret, immò ut alia præcepta impleret: ergo quantitas diligentiæ non sumitur necessario ab amore Dei super omnia, & proximi, ut sui ipsius.

Quartum est, incongruum omnino esse N. 167.
tradere mensuram quantitatis diligentiæ per comparationem diligentiæ, quâ Sancti usi sunt; hoc enim est sub præcepto obligare ad tantam diligentiam, qua Sancti usi sunt; imò est obligare ad id, quod nesciri potest: quomodo enim sciatur quantitas diligentiæ, quâ Sancti usi sunt? Præterea cùm unus maiori, alter minori diligentiâ usus sit, & plurimi inter Sanctos sint inæqualiter Sancti, minor Sanctus, Sanctus non erit, quia non est usus eâ diligentiâ, quâ maior. Rursus, hoc est velle Sanctos nullâ maiori diligentiâ usos fuisse, quàm quæ necessaria erat; quis autem hoc dicat? Ergo remittere nos ad quantitatem diligentiæ, quâ Sancti usi sunt, non tantùm est remittere nos ad incognitum, sed est velle nos esse Sanctos, & Sanctos non esse Sanctos.

Quintum est, quòd dum P. Elizal. omnes N.
obligat ad minimum ad eam quantitatem di- 168.
ligentiæ in animæ salute procurandâ, quâ sectatores mundi utuntur in honore, divitijs, voluptatibus sibi comparandis, obligat plerosque ad quid impossibile, & confundit, quæ sunt consilij, & supererogationis cum ijs, quæ sunt præcepti. Quis enim obligabit rusticum, qui ex octo mille octingentis, & amplius horis, quibus annus impletur, qui, inquam, ferè sex mille horas in agrorum culturâ impendit, ad totidem in animæ suæ culturâ impendendas? Quis eum, cui fre- P. Eliz.
mentis oceani impetus nihil sunt, ut Indico potiatur auro, comparatasque tot mortibus divitias, splendidę domus (ut prophanos, & illicitos in vitia sumptus taceam) ædificio destinat; quis, inquam, obligabit, ut se iterum furenti oceano committat, eademque pericula subeat, totidemque divitias nosocomio extruendo elargiatur? Sanè, si ex excessu æternæ vitæ supra temporalem, infert P. Eliz. diligentiam pro æternâ vitâ con- N.
quirendâ excedere tantundem debere dili- 169.
gentiam, quam pro vitâ temporali homines adhibere solent, eodem argumẽto probabo tantò maiorem debere esse ex prȩcepto diligentiam, non tantùm pro æternâ gloriâ, sed pro quolibet leviſſimo ejusdem glorię excessu, quantò quilibet gradus gloriæ superexcedit cumulum omnium simul bonorum temporalium. Quis autem sub præcepto quemlibet hominem obligabit ad omnia ea pericula devoranda, quibus miles gloriæ cupidus? ad omnes eos profusos sumptus, quibus lascivus concupiscentiâ ęstuans? ad omnes insomnes vigilias, quibus negotiator lucro inhians se ex toto committit, cùm sæpe nihil tale occurrat subeundum homini justo, immò peccatori, ut Deo suo in æternum potiatur? Addo 1. ex S. August. relato à D. Bonav. *tom.* 3. *serm.* 1. de SS. Euan-

geliſtis *pag.* 310. *ad finem*, quòd *nihil Deus jubeat, quod ſibi prodeſt, ſed quod illi, cui jubet.*

N. 170. Addo 2. quod ſicut Deus ad vitam temporalem utcumque traducendam pauca fecit neceſſaria; quæ enim homines plerumque expetunt, & ad quæ ſe ſponte damnant, cupiditatis, ambitionis, & vitiorum illicia ſunt, non neceſſitatis: ita Deus Optimus Cælum nobis facillimo negotio venale fecit: non eſt, quod Indias adeamus, non eſt, quòd omnia benè parta in eleemoſynas profundamus; non eſt, quòd tantundem premamur, & opprimamur, quantum vitioſi pro Venere ſaturandâ. Ad pauca itaque nos plerumque

N. 171. obligavit; immò ad præcepta Euangelij magis ardua non niſi rariſſimè: rariſſima enim occaſio ſe ſe offert immolandi, ut Abraham, filium, parcendi inimico ſummè infenſo, reſiſtendi vehementiſſimæ tentationi: pleræque enim tentationes non ſunt vehementiſſimæ; pleræque cum inimicis reconciliationes non ſupponunt excedentem injuriam: hoc autem Deus ex ſuaviſſimo in nos amore ita diſpoſuit. Igitur ad pauca, & quidem facilia, ſi gratia nobis ſemper aſſiſtens conſideretur, & magnitudo æterni præmij mente revolvatur, Deus nos obligavit, non igitur ad tantam diligentiam, quantâ ſive ſponte, ſive neceſſario utuntur ſectatores, & multo magis vitioſi hujus ſæculi.

N. 172. Hinc ſæpe memini famoſæ ſententiæ Excellentiſſimi Principis, qui ferè omnem provectæ ætatis ſuæ partem ſub Auſtriacis Vexillis, illuſtrioribus bellici honoris gradibus decoratus, traduxerat; memini, inquam, famoſæ ejus ſententiæ: hic enim dum adoleſcens mihi in primis intimus, Societatis tyrocinium adiret, ut ſe Deo ex animo immolaret, inter alia excelſi ingenij monumenta, hoc ſæpe revolvendum protulit: Sexaginta, & ampliùs, nos milites ligamur legibus, quarum quælibet, etſi ex incerto Martis eventu inconſideratè violetur, actum eſt de honore, & ſæpe de vitâ; hoc autem non ut ſupremo, ſed ut infimo, ſeu honorati militis titulo gloriemur: tu verò præter tria ſuper Decalogum vota, vix habes, quod te obliget; immò etſi ex accidenti legem aliquam occultè violares, integra tibi fama, & vita eſt. Heu ad quæ, & quanta, incerta temporalis militiæ alea; ad quam modica tuæ ſpiritualis militiæ teſſera, me, & te obligat! Hæc mihi Excel. Princeps, dum Societatem ingredi volui.

N. 173. Addo 3. quòd ut argumentum ex diligentiâ, quâ hujus ſæculi homines utuntur, infractum robur ſumat, debet eſſe, immò eſſe à minori ad maius. Siquidem Deus, & Sancti, ut homines ad æterni Regni lucrum invitent, & ut reſiſtentibus omnem omnino excuſationem auferant, ita arguunt: Si tantùm laboratis, licèt hoc neceſſe non ſit, ut modicè vivatis, quantò magis laborare deberetis, non tamen debetis, ut in æternum vivatis? Neutiquàm igitur Deus, & Sancti obligant ad tantum diligentiæ pro æterno Regno, ad quantum pro re temporali peccatores ſponte ſe obligant: ſed ex ſumma diligentiâ peccatorum pro rebus ſæculi redarguunt nullam diligentiam eorum pro Regno æterno. Immò, ſicut Deus infernum aditu facilem permittit, (ſatis enim eſt una culpa mortalis) ita æquè aditu facile reddidit æternum Regnum; ſatis enim eſt in omni infante Baptiſmus, in omni adulto habente conſcientiam mortalis, vel contritio, vel attritio cum confeſſione; & Deus contentus eſt, ut appretiativè magis æſtimemus vitam æternam, & ad ejus diligentiæ uſum nos obligavit, quâ omne ejus imminens impedimentum tollamus, & ejus mandata impleamus, quæ diligentiæ quantitas taxari debet prudentis, probi, & docti viri conſilio, quo Deus nos regi voluit.

§. III.

Contradictiones P. Elizaldæ, & ulterior impugnatio.

SUMMARIUM.

Præcipuæ, n. 174. ad 178.

Aſſerit ignorantiam infitam probabilitati eſſe invincibilem, n. 175.

Vult menſuram diligentiæ taxari non poſſe, 178.

Ex hoc quòd ſit poſſibile inveniri, non infertur, quòd inveniatur, n. 180.

Oſtendo nullum Eccleſiæ Doctorem inveniſſe omnem legem, quin eo ipſo quòd ſibi contradixere quoad jus naturale, eo ipſo non invenere; & ut illi non peccarunt, nec nos, ait ſcitè P. Thyrſus, n. 181. ad 186.

Lex eſt invenibilis, & Deus eam notitiam quoad rationes explicitas dare debet, non quoad remotas, n. 185.

S. Aug. de ſe fatetur, ignorantiam ſibi in multis inſuperabilem: in quibus? n. 187.

Et ait, quòd authoritati credere ſit magnum compendium, & nullus labor; & ſuadet imperitis, quorum maxima pars eſt, ut authoritati fidant, n. 188.

S. Aug. de ſe ait, Quo me contemnas, *quid inter ſe differant*, (Angeli) neſcio, *nec in eâ ignorantiâ periclitari me puto, ſicut in obedientiâ, ſi Domini præcepta neglexero*, n. 187.

N. 174. PRæter dicta notanda veniunt contradictoria P. Elizal. Primum eſt, vel omnem legem P. Eliz.

legem non esse cognoscibilem, & invenibilem, cujus oppositum acriter tuetur; vel omnem ignorantiam esse vincibilem, nullam autem esse invincibilem, cujus etiam oppositum tuetur; aut enim in *conclusione tertia* dari ad tempus, nempe eo, quo quis facit, quod in se est, ignorantiam invincibilem juris naturalis, & Divini. Sequela suadetur; quia si omnis lex est invenibilis, & cognoscibilis ex æternæ Veritatis effato, *Quærite, & invenietis*, in quo
P. Eliz. fundatur *totus liber septimus* P. Elizal. omnis legis ignorantia erit vincibilis, nam potest vinci inveniendo, & cognoscendo. Rursus si non omnis ignorantia est invincibilis; ergo non omnis legis ignorantia vinci potest inventione, & notitia legis; ergo non omnis lex est invenibilis, & cognoscibilis, nisi ad
N. summum remotè. Secundum est; quia in
175. *secundâ conclusione* dicit, *quod qui putat suas rationes probabiles*, (non dicit certas, aut probabiliores) *seu assensu dignas, eò ipso invincibiliter ignorat, & errat*: ergo ubicumque datur probabilitas assensu digna, datur ignorantia invincibilis: & tamen alibi pluribus in locis hoc negat, & solam veritatem, excluså etiam certitudine, si falsa sit, vult esse regulam.
N. Tertium est, quòd eâdem secundâ conclu-
176. sione asserit, ie, quoad præsens punctum invincibilis ignorantiæ juris naturalis, & Divini, nihil differre à sententiâ oppositâ; in hoc autem est contradictio; qui enim *lib.* 7. in quæstionibus antecedentibus, immò qui *qu.* 13. & 14. impugnaverat invincibilem ignorantiam juris naturalis, & Divini, sive credendi, sive agendi, & qui *primâ, & secundâ parte* totus fuit in evertendâ probabilitate, & ignorantiâ invincibili in eâ fundatâ, tandem fatetur se nobiscû sentire. Quar-
N. 177. tum est, quòd dum concedit in faciente, quod in se est, ignorantiam invincibilem, eò ipso fatetur in eo legis ininvenibilitatem, & incognoscibilitatem, & impossibilitatem pro eo tempore; ergo eò ipso tenetur solvere omnia argumenta, quæ contra nos adducit: quæro enim, an eo tempore lex sit invenibilis, cognoscibilis, possibilis: si affirmat, contra est; quia eo tempore laborat invincibili ignorantiâ legis; ergo lex est eo tempore incognoscibilis, & impossibilis. Si negat, contra est; quia omnis lex naturalis, & Divina est per P. Elizal. possibilis, invenibilis, & cognoscibilis; ergo etiam pro eo tempore est talis: vel si non est talis pro eo tempore, cur non etiam pro alio? & cur contra nos producit argumentum, quod saltem pro eo tempore solvere tenetur? & quam daturus
N. est solutionem, dabimus & nos, si sana sit.
178. Quintum est; quia omnis lex erit, & non erit per P. Elizal. invenibilis: erit invenibilis, ut supponit: non erit invenibilis, quia implicat, ut aliquid certò invenibile sit, nisi inveniens sciat medium necessarium ad inventionem illius: ergo cùm medium necessarium ad inventionem legis naturalis, & Divinæ sit mensura quantitatis diligentiæ adhibendæ pro eâ inveniendâ; hæc autem mensura per P. Elizal. *lib.* 7. *qu.* 11. §. 8. *pag.* 53. ad finem, *nec taxari, nec discerni a nobis possit*: rursus cùm omnis lex, quæcumque ea sit, supponat sui promulgationem, ut ait P. Elizal. *lib.* 7. *qu.* 13. §. 1. quantitas autem (ut ait idem Elizal. *qu.* 12. §. 1. *pag.* 55. ad finem) ipsa promulgationis necessariæ, & faciendæ nobis ignota est, eò ipso non omnis lex erit invenibilis, quia juxta P. Elizal. non est cognoscibile à nobis medium necessarium ad ejus invenibilitatem; hoc enim medium est mensura quantitatis diligentiæ à nobis indiscernibilis, & quantitas promulgationis nobis ignota. P. Eliz.

Ut autem propiùs accedam ad solutio- N.
nem argumenti pro omnis legis naturalis, & 179.
Divinæ invenibilitate, respondeo 1. hoc retorqueri in omni lege humanâ positivâ: quæro enim, an omnis humana, & justa lex sit invenibilis ab omni eo, pro quo lata est? Si affirmat, contra est ipsa experientia; quot enim sunt leges Canonicæ, & Politicæ, quæ invincibiliter ignorantur? Si negat; ergo neque omnis lex naturalis, & Divina est invenibilis, nam argumenta idem probant; omnis enim lex ideo fertur, ut impleatur, impleri autem non potest, nisi cognoscatur, & inveniatur; quod argumentum probat tam de lege naturali, & Divinâ, quàm de humanâ. Respondeo 2. Licèt daretur om- N.
nem legem Dei esse invenibilem, & impleri 180.
possibilem, ex hoc non infertur, quòd omnis invenietur; quot enim sunt possibilia, quæ non accident? & à potentia ad actum pessima est consequentia. Respondeo 3. ut mihi N.
inter tot Ecclesiæ Doctores, & Pastores, 181.
immò Romanos Pontifices assignet unum, qui omnem legem naturalem, & Divinam invenerit; nullum enim assignare poterit: quot enim sunt in Theologiâ quæstiones circa apices juris naturalis, & Divini adhuc incertæ, necdum definitæ? & æquali ratione poterit tam affirmans, quàm negans asserere se invenisse? immò quot à posteris novæ aliæ quæstiones excitabuntur? Ergo nullus est, qui omnem legem naturalem, & Divinam invenerit: ergo potiùs dicendum est, non omnem legem naturalem, & Divinam esse saltem *quoad nos proximè* invenibilem. Immò hinc robustè rejicitur P. Elizal. inferens

omnem

omnem ignorantiam juris naturalis, & Divini esse vincibilem, eò quia supponit omne jus naturale, & Divinum esse invenibile: si enim omnis ignorantia cujuslibet juris naturalis, & Divini est vincibilis, peccavêre omnes Sancti, & quidem in re gravi, quia nullus eorum est, qui aliquas leges naturales, & Divinas non ignoraverit; immò nullus est, qui, velit, nolit, plures ignoraturus non sit: sanè contremiscit calamus, cùm hæc scribo, sed in culpâ est, qui adeo invenibilitate omnis legis naturalis, & Divinæ rapitur, ut non invenientes dixerit laborare ignorantiâ vincibili, ut docet *lib. 7. qu. 12.* Respondeo 4. quòd si omnis lex est invenibilis, certè in sententiâ P. Elizal. tantùm abest, ut omnis sit invenibilis, quin nulla est invenibilis, ut enim inveniatur, sciri debet mensura diligentiæ, & quantitas promulgationis necessariæ, quæ utraque est nobis ignota, ut ait P. Eliza). Respondeo 5. proportionaliter ad invincibilitatem ignorantiæ discurrendum de ininvenibilitate legis: sicut ergo ignorantia, quæ potest physicè vinci, non tamen potest moraliter vinci, quatenus, vel non est debitum eam vincendi, vel si est, non cognoscitur, dicitur ignorantia Theologicè invincibilis, licèt physicè sit vincibilis; ita à pari lex, quæ potest physicè inveniri, non tamen potest moraliter, quatenus non habetur ulla notitia legis, quâ notitiâ excitemur ad ejus inventionem, vel si habetur aliqua notitia, quâ ad ejus inventionem excitemur, attamen post multiplex pro existentiâ, & pro non existentiâ examen, adhuc ejus existentia, & inventio sunt incertæ, dicitur lex Theologicè ininvenibilis, etsi physicè invenibilis sit, & est, quasi non esset, Theologicè loquendo. Breviùs: Lex est invenibilis, vel quoad se, & hoc concedo de omni lege; vel quoad nos, & hoc nego; non enim omnis quoad nos est invenibilis; ut enim lex aliqua sit quoad nos invenibilis, debet ejus existentiæ notitia ferè omnibus constare; quomodo autem constare potest ferè omnibus, quando à ferè tot Doctoribus negatur, à quot affirmatur? Idem dico de possibilitate legis: Omnis lex naturalis, & Divina potest esse observatu possibilis, vel physicè, vel moraliter: ut sit moraliter observabilis, non satis est, quòd lata sit, sed debet constare moraliter illi, cui observatio incumbit; & ideò Pontifices damnarunt opinionem dicentem, quòd lex Dei *volenti, seu scienti*, & conanti aliquando est observatu impossibilis; non autem opinionem dicentem, quòd lex Dei est aliquando observatu impossibilis, nempe quoties nescitur.

N. 182. P. Eliz.

N. 183.

N. 184.

Abstineo ab ulteriori impugnatione sententiæ P. Elizal. quòd dari non possit invincibilis ignorantia juris naturalis, & Divini, & quòd omnis lex naturalis sit invenibilis; abundè enim eam impugnavimus, & argumenta ejus solvimus, quę unicè probant Deum ad summum teneri dare nobis notitiam legis quoad rationes explicitas, non tamen quoad remotas, eaque luculenter dissolvit P. Thyrsus *disp. 11. a n. 30.* P. Thyr.

N. 185.

Demum, quia P. Elizal. ubique gloriatur se in SS. PP. versatum, & omnem veritatem esse à viro diligenti invenibilem, præter ea, quæ P. Thyrsus habet *disp. 8.* ubi *n. 11.* ait, videri sibi difficilem doctrinam sustinentem, non dari invincibilem ignorantiam, nè quidem circa apices juris naturalis; certum enim est (ait P. Thyrsus) Sapientissimos DD. & Sanctos sine culpâ tradere doctrinas oppositas circa jus naturale, quarum alterutra est evidenter falsa: ergo evidens est DD. Sanctos aliquando sine peccato docere doctrinas falsas circa jus naturale. Si autem illi in illis tradendis non peccarunt, cur peccare debet, qui eas sequitur, nixus authoritati, & rationibus illorum? & si illi in docendo non tenentur semper tradere doctrinas veras, sed solùm inquirere veritatem, & tradere, vel doctrinam veram, vel verosimiliorem, (ait P. Thyrsus) etsi re ipsâ falsâ esset; ita Fideles non tenebuntur semper ad verum in his, de quibus inter Catholicos disputatur, sed vel ad verum, vel, juxta Probabilioristas, ad verosimilius, juxta Probabilistas ad verosimile, etsi falsum. Demum, inquam, ut gloriam, quam P. Elizal. aucupatur ex SS. PP. eorumque lectione, inanem esse convincam, solo S. Augustino, quę sæpe citat, contentus ero, nam, ut advertit P. Teril. de Reg. Mor. *qu. 6. n. 9. pag. mihi* 84. verba, quæ Celladeus citat ex S. Augustino de quantitate animæ, non sunt in loco, nec prope locum, quem Celladeus indicat, nec tamen audeo dicere, quòd in toto libro non reperiantur. Hæc P. Teril. Revertor autem ad S. Augustinum, qui pluribus in locis ignorantiam sibi insuperabilem in docendis, & agendis fatetur. Primò enim in *tract. ad Orosium contra Priscillianistas cap. 11.* fatetur, inter Angelos dari Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, & aliquid inter se differre indubitatâ fide credit, *sed* (nota, ait P. Teril. *l. c. n. 8.* tam eminentis Doctoris humilitatem) *quo me contemnas, quid inter se differant nescio; nec in eâ ignorantiâ periclitari me puto, sicuti in obedientiâ, si Domini præcepta neglexero.* Ecce nescit S. Augustinus hanc veritatem speculativam, aliquo

N. 186. P. Eliz. P. Thyr.

P. Teril.

S. Aug.

N. 187.

quo modo spectantem ad finem, nempe qualis sit differentia Angelorum. Secundò idem S. August. iterùm suam ignorantiam fatetur in re tanti momenti, quantum est, an omnes animæ ab unâ procedant; & dicit *l.c. cap.* 12. se vehementer optare, ut Deus per Orosij preces hanc à se auferat. Tertio hoc eodem S. Aug. *cap.* 12. subdit de se: *Multa alia similiter nescio, quæ commemorare, vel numerare non possum.* Quarto *lib.* 1. *de Serm. Domini in monte cap.* 16. post medium, dubitat, an uxor à marito dimissa committat adulterium, si primo viro superstite, alteri copuletur; & paulò infrà dubitat, an aliquando liceat uxori, consentiente suo marito, commiscerì alteri; & relato casu Antiocheno subdit: *Nihil in hanc partem disputo, liceat cuique æstimare, quod velit.* Demum *Epist.* 65. ad Paulinum, frequenter suas circa Dei legem ignorantias, & dubia eidem Paulino exponit: ergo tam certum est Celladeum falli, quàm certum est, quod tradidi ex S. Augustino, cujus loca recitat P. Teril. *l.c.* Quare, dum alibi S. Augustinus ait, veritatem esse invenibilem, vult tantùm veritatem pertinentem ad ea, quæ sunt simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem, esse invenibilia, ex. gr. veram fidem, Dei existentiam, animæ immortalitatem.

N. 188. Tandem præterire nolo argumentum, quod trahit P. Teril. *l.c. n.* 10. contra Eliz. P. Eliz. P. Teril. do enim omnem veritatem esse invenibilem, numquid hanc invenit Celladei, dum negat licitum usum opinionis probabilis? an non potiùs nos eam invenimus, dum affirmamus licitum usum illius? Sanè si stemus S. Augustino *lib.* de quantitate animæ *cap.* 7. *Aliud est cùm authoritati credimus, aliud cùm rationi; authoritati credere magnum compendium est, & nullus labor:* & paulò pòst loquendo de imperitioribus, *Quorum profectò,* (inquit) *maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibusque rationum facile decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari, aut numquam, aut ægerrimè queant. His ergo utilissimum est excellentissimæ authoritati credere, & secundum hoc agere vitam; quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo.* Hæc S. Augustinus. Ecce S. Doctor suadet maximæ hominum parti, immò ut tutius proponit excellentissimæ authoritati credere: ergo cùm authoritas favens benignæ sententiæ sit excellentissima, & longè maior, quàm favens sententiæ rigidę, & multò maior, quàm singularis opinio P. Eliz. utilius, & tutius erit illam, quàm hanc sequi authoritatem. Plura alia P. Teril. ex quo hæc ferè ad verbum deprompsi.

DISPUTATIO VI.

De errore invincibili honestatis in ordine ad honestandam actionem.

SECTIO I.

An, & qui error reddat actionem honestam, & meritoriam?

§. I.

Status quæstionis.

SUMMARIUM.

DD. tuentes, & negantes, quòd error invincibilis honestam, & meritoriam reddat actionem sub eo positam, n. 1.2.

N. 1. IGNORANTIAM, & errorem invincibilem legis, & malitiæ excusare actionem sub eâ elicitam à peccato, satis probavimus. Videndum modò, an invincibilis error honestatis, & præcepti reddat honestam, & meritoriam actionem sub eâ elicitam; id est, an sicut ignorantia, & error, quòd actio non sit mala, nec sit vetita, tollit ab eâ actione malitiam formalem, ita etiam invincibilis error, quòd talis actio (sive ex se indifferens, sive ex se intrinsecè, vel extrinsecè mala, seu vetita) sit per invincibilem errorem credita honesta, & præcepta, reddat eam actionem moraliter bonam, & meritoriam?

Negat P. Eliz. 1. *p. lib.* 3. *qu.* 4. & 2. *p. lib.* 5. *qu.* 18. *per totum §. primum, & secundum à pag. mihi* 137. quem sequitur Palanco *qu.* 5. *per totam*, & dicit ab Antiquis vix agitatam fuisse, & citat pro se Mag. Ferre. 1.2. *tr. de Probabilitate qu.* 3. §. 2. dicentem esse expressam D. Thomæ; citat etiam M. Contenson *de Probabilit. diffic.* 6. *cap.* 1. N. 2. P. Eliz. Palanc. M. Ferr. M. Cõtenſ.

Affir-

N. 3. S. Th. P. Suar. P. Vasq. P. Oviedo, P. Salas, P. Valen. P. Castr. P. G. Hurt. P. Rip. C. de Lug.

Affirmat S. Thom. in 2. *Sent. dist.* 39. *art.* 3. *ad* 1. M. Mercor. 1. *p. art.* 6. Philalet. *pag.* 12. de Opinionum praxi, P. Suar. 1. 2. *d.* 12. *sect.* 4. P. Vasqu. 1. 2. *d.* 60. P. Oviedo 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 2. *pun.* 1. *n.* 5. P. Salas, P. Valen. *d.* 2. *qu.* 14. *pu.* 4. P. Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 1. *pun.* 2. P. G. Hurt. & alij plures apud P. Oviedo; quibus addo C. de Lugo *d.* 5. de Fide *n.* 20. dicentem, quòd judicium prudentiæ infusæ possit supponere falsum, & servire ad meritum supernaturale; P. Ripald. *d.* 62. de Ente supernaturali, & *d.* 6. de Fide *n.* 64. & 70. qui ait hanc esse sententiam communem, & omnes voluntatis virtutes haurire suam honestatem ex honestate probabiliter tantùm apparente; M. Godoy *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 42. *a n.* 93. *ad* 98. qui in terminis ait, non tantùm actus extrinsecè malos, seu malos, quia vetitos, sed etiam intrinsecè malos, seu vetitos, quia malos, *posse meritoriè fieri, suppositâ ignorantiâ invincibili de eorum prohibitione; ut si quis invincibiliter ignoraret mendacium esse prohibitum, posset ex fine supernaturali operando laudabiliter, & meritoriè mentiri.* Hæc Godoy, qui *n.* 99. addit, quòd, suppositâ ignorantiâ invincibili prohibitionis alicujus rei, melius est per accidens erga objectum re ipsâ vetitum ex motivo supernaturali operari, quàm ab operatione cessare; etsi non sit melius per se, & ex meritis objecti. Ecce tantus vir vult, quòd suppositâ ignorantiâ invincibili, quòd mendacium ob famam mulieris tuendam sit vetitum, etsi non supponam illud esse præceptum, melius esse tunc mentiri ex motivo supernaturali, quàm abstinere à mendacio invincibiliter ignorato, ut vetito, & non credito ut præcepto; quantò magis melius erit, si supponatur non tantùm ex ignorantiâ invincibili non esse vetitum, sed supponatur ex errore invincibili tunc esse præceptum? Idem docet Mercor. qui *l. c.* ait ad electionem ex se malam, apprehensam ut bonam, & ut honestam, concurrere Deum auxilio speciali, & esse meritoriam, quia meritum attenditur secundùm voluntatem operantis, quæ si sit bona, ut est voluntas mentiendi suppositio errore de præcepto mentiendi, opus evadit bonum, & meritorium: P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. §. 6. qui plures citat, P. Teril. *qu.* 16. de Consc. qui ait omnes Theologos cum S. Thom. in hanc sententiam ire, & *qu.* 1. *de Reg. mor. n.* 5.

M God. P. Moy. P. Teril.

§. II.
Scienda.

SUMMARIUM.

Moralitas supponit libertatem, & quid actus humanus ex D. Thomâ? n. 4.

Honestas, & inhonestas transfunditur in volitionem à cognitione, n. 5.

Si actus voluntatis sit conformis rationi proponenti legem, erit honestus, si difformis, inhonestus: hinc proxima formalis regula honestatis est cognitio, seu dictamen rationis, n. 7. 8. 9.

Etsi qualitas, seu bonitas, & malitia volitionis sit à cognitione; attamen quantitas bonitatis, & malitiæ non est à solâ cognitione, sed ab alijs circumstantijs, n. 10. 11.

Dantur in intellectu, & voluntate tam hominis, quàm Dei leges directæ, & reflexæ. DD. n. 12. ad 15.

Leges directæ sunt, quæ per se intenduntur; reflexæ, quæ per accidens suppositio nostro errore, n. 16.

Nulla lex reflexa, sive nostra, sive Dei præferre debet indecentiam; & expono modum decentem exprimendi, n. 17. ad 24.

Non confundendæ leges nostræ reflexæ cum directis, nec leges Dei reflexæ cum Dei directis, n. 21.

Dictamen reflexum Dei, & nostrum exprimere debet errorem invincibilem, quem supponit, n. 22.

Scriptura aliquando utitur verbis importantibus malitiam, à quâ actus præceptus purgandus, n. 23.

Objecta nostrorum, & Dei actuum directorum, & reflexorum, n. 24.

SCiendum 1. omnem actum moralem esse liberum; quòd enim moralitas actuum præsupponat necessariò libertatem, est certum apud omnes Theologos, ut expressè docet Divus Thomas 1. 2. *qu.* 1. *art.* 1. dicens: *Illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est dominus; est autem homo dominus suorum actuum per rationem, & volitionem; unde & liberum arbitrium dicitur facultas volitionis, & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex volitione deliberatâ procedunt: si autem aliæ actiones homini conveniant, possunt quidem dici hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis, in quantum est homo.* Hæc S. Thom. ex quo ita arguo: Omnis actio moralis est humana; sed omnis humana supponit libertatem: ergo omnis actio moralis supponit libertatem, & quidem tantam, ac talem, quæ satis sit ad fundandam bonitatem, vel malitiam formalem in actu, qualis est in adultis ratione utentibus. Vide Scotum in 2. *dist.* 40. *ad* 2. Durand. *dist.* 38. *qu.* 1. M. Tapiam *tom.* 1. Catenæ *lib.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. & alios passim. N. 4. D. Th. Scoto. Duran. M. Tap.

Sciendum 2. actum moralem, seu liberum dividi in moraliter bonum, seu honestum, & in moraliter malum, seu inhonestum N. 5.

stum. Dixi autem *disp. elapsâ* omnem moralitatem transfundi in actum voluntatis mediâ cognitione, & ideò ibidem intuli actum sequentem ad ignorantiam de non malitiâ, & non prohibitione, non esse moraliter malum, esse autem moraliter malum actum sequentem ad cognitionem malitiæ, vel prohibitionis: ita modò dicturus sum omnem bonitatem moralem, seu honestam transfundi etiam in actum voluntatis mediâ cognitione, & ideò inferam actum sequentem ad errorem invincibilem de inhonestate, & creditum honestum, esse moraliter honestum.

N. 6. S. Th. Ratio est; quia ratio honesti sumitur à conformitate cum lege, ut constat ex S. Thom. *qu. 2. de Malo art. 4.* dicente: *Bonum, & malum* (intellige morale) *in actibus humanis consideratur secundum quod actus concordat rationi informatæ lege Divinâ, vel naturali;* & ideò honestas communiter describitur, *Conformitas cum primâ regulâ, ut ostensâ nobis per lumen rationis:* ergo bonitas moralis, seu honestas actus sumitur à conformitate, seu cõcordiâ actus cum ratione informatâ per legem. Ex quo patet id quod dixi suprà, quòd proxima formalis regula moralitatis, seu honestatis, vel inhonestatis insitę in actibus voluntatis est ipsa ratio, seu cognitio, & dictamen rationis, ita ut, si actus voluntatis sit ei dictamini conformis, erit moraliter bonus, seu honestus; si difformis, erit moraliter malus, seu inhonestus; sive illud dictamen sit speculativè verum, sive speculativè falsum, id est, sive reverà adsit in re lex, & in objecto honestas objectiva, affirmatæ per dictamen; sive non adsit, ut docent ex S. Thom. & ex S. August. Scoto, & alijs P. Suar. 1.2. *d.* 2. de Bonitate, & Malitiâ *n.* 10. P. Oviedo 1.2. *tr.* 4. *contr.* 2. *n.* 10. Herinx *tom.* 2. *d.* 3. *qu.* 1. & alij passim. Ratio à priori est; quia, ut docui, lex, & objectum non movent voluntatem, nisi per cognitionem applicentur voluntati: ergo si voluntati repræsentetur lex, & honestas objectiva, etsi à parte rei non dentur, actus voluntatis ei dictamini conformis erit eò ipsò moraliter honestus; quòd si sit ei difformis, non erit honestus, immò inhonestus, quia tota moralis bonitas, & malitia nostrarum volitionum sita est in conformitate cum lege, aut objecto, ut proposito per rationem; vel, ut veriùs, & subtiliùs loquar cum S. Thomâ, sita est in conformitate cum ratione proponente legem.

S. Th. S. Aug. Scotus, P. Suar. P. Ovie. Herinx. N. 8.

N. 9. Sciendum 3. quòd licèt, ut dixi paulò antè, qualitas actus humani, seu bonitas, & malitia moralis volitionum pendeat à cognitione repræsentante legem, vel honestatem objecti, cui cognitioni talis volitio conformatur, vel difformatur, sive ea cognitio sit vera, sive falsa, attamen quantitas honestatis, aut malitiæ non pendet tota à cognitione, sed præterea à talibus determinatè circumstantijs. Ratio est; quia in actu humano aliqui sunt effectus formales, qui pendent ab objecto, ut per cognitionem, sive veram, sive falsam proposito; aliqui, qui aliunde, putà à diverso principio, à cognitione determinatè verâ, vel falsâ, ab adæquante, aut inadęquante objectum. Qualitas actus quoad honestatem, & inhonestatem, quoad gravitatem, vel levitatem pendet ab objecto in esse objecti, id est, ut per conscientiam proposito, sive ea conscientia sit speculativè vera, sive falsa; & ideò qui putat, quòd omne mendacium sit mortale, peccat mortaliter; qui putat ne quidem esse veniale, nec venialiter peccat. Quantitas autem ejusdem qualitatis, seu honestatis, vel inhonestatis, meriti, vel demeriti, levitatis, & gravitatis, pendet insuper à talibus determinatè circumstantijs; putà, meritum pendet à dignitate operantis, & ideò siquis putaret se esse in statu gratiæ, & non esset, non mereretur de condigno; & siquis putaret se posse elicere actum æquè meritorium ac sunt actus Christi D. aut Deiparæ, non ideò actus ille erit tanti meriti. Maior, vel minor honestas, & inhonestas *objectiva* pendet à tali objecto, ut est in se, non ut in mente operantis; & ideò siquis putaret actum jejunij esse æquè honestum objectivè, ac est actus amoris Dei, non ideò erit; vel siquis putaret, quòd esus carnis die vetito sit æquè inhonestus, ac homicidium, non ideò erit. Hinc in *Tractatu de Incarn.* intuli, quòd siquis putaret malitiâ peccati esse infinitam, non ideò erit; quomodò siquis putaret se cognoscere, aut amare Deum ut octo, non ideò amabit, & cognoscet ut octo; quia quantitas maliti[æ] non pendet ab objecto in esse objecti, seu ut per *quamlibet* cognitionem proposito, sed ab objecto cognito cognitione infinitâ; & quantitas amoris, & cognitionis non pendet ab objecto solo, ut proposito per cognitionem, sed etiam ab alijs circumstantijs ad talem intensionem amoris, & visionis requisitis; putà, amor Dei ut octo à cognitione Dei ut octo; cognitio Dei ut octo à speciebus intensis ut octo. Addo præterea considerãdam circumstantiam applicatam per errorem actui, quæ si sit chimærica, actus eam repudiat; non ita, si non sit: sed infinitudo est impossibilis actui, malitia non est impossibilis. ergo si malitia gravis applicetur per errorem voluntati, potest volitio eam recipere,

N. 10.

N. 11.

N. 12.

pere, non autem potest recipere malitiam infinitam, etsi malitia infinita per errorem applicetur actui.

N. 13. Sciendum 4. Sicut in nostro intellectu, & voluntate dantur actus directi, seu cadentes supra objectum, ut est in se à parte rei; & actus reflexi, seu cadentes supra objectũ, ut existens per nostram directam cognitionem, & volitionem, & ideò passim à Theologis distinguuntur principia Synderesis directa, & reflexa; ita in intellectu, & voluntate Divinâ dantur actus directi, & reflexi per nostram rationem distincti, seu cadentes supra objectum, ut est in se, & cadentes supra objectum, ut à nobis cognitum, & ut à nobis volitum. Exempla actuum directorum Synderesis, aut conscientiæ, & voluntatis nostræ sunt, *Mendacium est malum, fuge illud: Eleemosyna bona, fac illam.* Exempla actuum reflexorum Synderesis, conscientiæ, & voluntatis nostræ sunt, *Licitum est objectum creditum invincibiliter honestum, vel præceptum, elige illud.* Exempla actuum directorum sapientiæ, & voluntatis Divinæ sunt, *Mendacium est malum, Eleemosyna est bona; fuge illud, elige istam.* Exempla actuum reflexorum sapientiæ, & voluntatis Divinæ, seu cadentium supra objectum, ut à nobis cognitum, & imperatum, sunt, vel hæc universalia principia, *Sequere dictamen conscientiæ certò prudens, quod deponere non potes: Fac quod indubitanter judicas certo licitum, vel præceptum;* vel hæc particularia, *Dic mendacium, quod invincibiliter judicas præceptum; ne facias eleemosynam, quam invincibiliter judicas vetitam: mendacium creditum à creaturâ ut honestum, est honestum; eleemosyna credita ab eâdem invincibiliter ut inhonestâ, est illicita.* Porro

N. 14. quòd tum in nobis, tùm in Deo dentur ea dictamina reflexa est omninò certum: in nobis, quia hoc suadet experientia; in Deo, quia hoc suadet ratio; hoc enim ipsum reflexum conscientiæ dictamen mihi dictans, *Licet quod indubitanter judico non esse peccatum: licet sumere alienum, quoties invincibiliter judico esse præceptum*, ab aliquo Superiore meæ conscientiæ intimatur: ergo non nisi à Deo, qui est primaria lex, à quâ cæteræ pendent: ergo dantur in Deo hæ leges reflexæ, *Obedi dictamini tuo reflexo invincibiliter dictanti talem actionem esse honestam, vel præceptam.* Lege P. Suar. 1. 2. *d.* 12. *sect.* 4. P. Teril. de Conic. *qu.* 11. 12. & 18. & de Reg. morum *qu.* 3. *a n.* 58. P. Espar. de Act. Hum. *qu.* 24. P. Vasqu. 1. 2. *d.* 49. P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. *a n.* 44. P. Oviedo 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 2. *a n.* 4. P. Ruiz *d.* 41. de Volunt. Dei *sect.* 1. P. Ripald. *tom.* 3. de Ente *d.* 10. *n.* 14. qui plurimos antiquos recitat, quibus adhærent omnes Theologi, & inter Modernos P. de Champs *de Hæresi Jansen.* P. Annat. in *Augustino vindicato*, P. Martinon in *Anti-Jansenio*, Card. de Lugo *tom.* 1. de Just. *d.* 5. *num.* 17. Addo Brun. Neuss. Scotistam, qui in suâ *absolutissimâ Polyantheâ Theologo-Morali-Canonicâ*, cui quadrat elogium, quo extollit nostrum P. Arsdekin *disp.* 1. *n.* 33. dicens, quod *paucis verbis plura comprehendat, & solidè probat, ait l. c. n.* 9. *pag.* 2. & 105. expediens esse ob nostras ignorantias, ut non tantùm dentur principia Synderesis directa de objecto cognito ut est in re ut bono, aut malo, sed etiam reflexo de objecto, ut substat actibus nostri intellectus; ita ut illud sit honestè eligibile, quod omnibus pensatis tale esse judicatur. Subdit: Et ab hâc duplici acceptione pendet principaliter quidquid de usu opinionis probabilis hodie operosè, & contentiosè multi tractant. Lege doctam *concordiam inter Probabilistas, & Probabilioristas*, à P. Mamiano viro satis acuto editam, de quâ ego alibi dicam, quod sentio.

P. Suar. P. Teril. P. Espar. P. Vasq. P. Moy P. Ovie. P. Rip. P. Annat. P. Arsdekin. Neuss. P. Mamian.

Sciendum 5. quòd sicut nostra principia Synderesis directa differunt à reflexis per hoc quòd directa sunt primariò, & per se intenta à naturâ, reflexa autem sunt tantùm secundariò, & ex suppositione erroris invincibilis intenta; ita etiam certum est, quòd lex Divina directa differt à lege Dei reflexâ, seu actus sapientiæ, & voluntatis Divinæ directi differunt à reflexis Divinis, quòd præcepta, sive positiva, sive negativa, directa, sunt à Deo primariò, & per se intenta, cùm à Deo dentur ex primariâ intentione nos dirigendi, & obligandi; præcepta autem Divina reflexa intimantur tantùm nobis ex suppositione ignorantiæ, aut erroris nostri invincibilis. Similiter sicut certum est, quòd principia Synderesis directa habent talem modum tendendi, qui nullam exprimit inhonestatem, indecentiam, aut malitiam formalem, si sunt præceptiva; si autem sunt prohibitiva, nullam exprimunt honestatem formalem; implicat enim, ut præcipiatur aliquid formaliter inhonestum, & ut prohibeatur aliquid formaliter honestum, retentis ijsdem circumstantijs, in quibus est formaliter tale; ita etiam certum est, quòd principia Synderesis reflexa supponentia invincibilem errorem, si sint præceptiva, non debent exponi per verba importantia aliquid formaliter inhonestum; & si sint prohibitiva, non debent exponi per verba exprimentia aliquid formaliter honestum; eò enim ipso quòd præceptiva exprimerent aliquid formaliter inhonestum, destruerent invinci-

N. 16. N. 17. N. 18.

vincibilem inhoneſtatis formalis errorem, quem ſupponunt, & ſic repugnarent, quia repugnat, ut præcipiatur aliquid formaliter inhoneſtum: & eò ipſo quò prohibitiva exprimerent aliquid formaliter honeſtum, eò ipſo deſtruerent invincibilem honeſtatis errorem, quem ſupponunt, & ſic repugnaret, quia repugnat, ut prohibeatur honeſtũ manens formaliter honeſtum. Hinc conſtat, N. 19. quòd ſicut principia Syndereſis directa habent hunc modum tendendi, ſi prohibitiva ſint, *Ne fureris, ne blasphemes, ne mentiaris, ne pecces*; ſi præceptiva ſint, habent hunc modum, *Crede Deo, cole Deum, ſuccurre proximo*; ita principia Syndereſis reflexa præceptiva, ſupponentia invincibilem inhoneſtatis errorem, non poſſunt habere hunc modum, *Furare, mentire, blasphema, pecca*; & principia reflexa prohibitiva ſupponentia invincibilem de honeſtate errorem non poſſunt habere hunc modum, *Ne colas Deum, ne credas Deo, ne ſuccurras proximo*. Ratio eſt evidens; quia hæc verba, *furare, mentire, pecca*, ſignificant non tantùm actionem materialiter, ſed formaliter malam; ſignificant enim actionem cognitam, ut vetitam: ergo cùm principium Syndereſis reflexum præceptivum ſupponat errorem invincibilem malitię, & prohibitionis, conſequenter non poteſt habere dictũ modum expreſſum per ea verba, quæ ex ſe, niſi limitentur, ſignificant actionem formaliter malam, & cognitam ut vetitam. Similiter hæc verba, *Ne credas Deo, ne colas Deum, ne ſuccurras egeno*, ſignificant actionem formaliter bonam, & cognitam, ut formaliter honeſtam: ergo cùm principium Syndereſis reflexum prohibitivum ſupponat invincibilem honeſtatis errorem, conſequenter non poteſt exponi verbis ſupponentibus notitiam honeſtatis: ergo non P. Terıl. P. Eliz. poteſt habere dictum modum. Hinc P. Teril. *qu.* 3. *de Reg. morum n.* 59. paucis complectens dixit contra P. Eliz. qui *lib.* 3. *qu.* 4. §. 3. aliqua attulit ex Guilielmo Pariſienſi abſque loci citatione: Fateor furta, mẽdacia, & alia hujuſmodi non eſſe bona, nec vitæ æternæ meritoria, quando proponuntur ſub notionibus, quas verba exprimunt; in hoc enim ſenſu objecta illa ſunt tam aperte mala, ut eorum malitia, aut nullo modo, aut non niſi vincibiliter latere poſſit; ideoque non modò non ſunt bona, ſed ſemper ſunt mala, quæ proinde excuſari non poſſunt.

N. 20. Sciendum 6. quòd modus decens, & conveniens *exercitè* talibus præceptis Syndereſis reflexis, tam præceptivis, quàm prohibitivis noſtris, eſt iſte, vel huic ſimilis: *Dic verbum, quod exercitè putas ex invincibili error bonum, & neceſſarium: pone actionem, quam ex ignorantiâ invincibili malitiæ, & inhoneſtatis, immò ex invincibili errore putas honeſtum, & præceptum. Omitte actionem, quam ex invincibili ignorantiâ honeſtatis, immò ex errore invincibili exercitè putas inhoneſtam.* Hæc eadem doctrina applicanda eſt præceptis reflexis ſapientię, & voluntatis Divinæ; talem enim exprimendi modum habere debent, qualis Deum decet; quare præcepta reflexa Dei ſunt, *Pone, aut omitte, quod dictamen conſcientiæ certò prudens invincibiliter erroneum dictat ponendum, aut omittendum: pone, quod per invincibile dictamen judicas præceptum, vel honeſtum: omitte, quod per invincibile dictamen judicas vetitum, vel inhoneſtum.*

Sciendum 7. accuratà opus eſſe attentio- N. ne, ne Adverſarij confundant noſtra præce- 21. pta reflexa cum noſtris directis, aut reflexa Dei cum directis Dei, ut ſæpe faciunt. Præcepta, aut prohibitiones directæ, ſive noſtræ, ſive Dei, cadunt, & cadere debent ſupra objecta, & actiones ut ſunt in ſe, & debent exprimi per verba ſignificantia actiones ut ſunt in ſe, & notitiam talis actionis, ut eſt in ſe; talia ſunt verba, *Ne fureris*, vel *cole Deum*; ea enim ſignificant malitiam furti, & cognitionem malitiæ; hæc ſignificat honeſtatem cultus Divini, & notitiam talis honeſtatis. Præcepta, & prohibitiones reflexæ noſtræ, & Dei cadunt, & cadere debent ſupra objecta, & actiones, ut ignoratas à nobis malas, & ut putatas à nobis bonas; aut ut ignoratas à nobis bonas, & ut putatas à nobis malas: quæ quidem præcepta reflexa licèt in re obligent ad electionem objecti in ſe abſolutè vetiti, ſeu materialiter mali, & reſpectu hominis cognoſcẽtis prohibitionem, aut malitiam, ſit malum in re; & quę quidem prohibitiones reflexæ licèt in re obligent ad omiſſionem electionis ex ſe honeſtæ, aut præceptæ, & reſpectu hominis ſcientis tale præceptum, aut cognoſcentis eam honeſtatem, ſit bona, & honeſta in re; attamen neque illa præcepta reflexa habẽt hunc modum tendendi ſignatum, *Mentire, furare*, nec illæ prohibitiones reflexæ hunc, *Ne colas Deum, ne ſuccurras egeno*: quia hi modi tendendi, nec exponunt errorem invincibilem de malitiâ mendacij, & furti, imò exprimunt notitiam malitiæ, & furti; nec exprimunt errorem invincibilem de honeſtate cultus Dei, & charitatis proximi; immò exprimunt notitiã honeſtatis, & præcepti colendi Deũ, & ſuccurrendi proximo. Debet igitur mo- N. dus tendẽdi præcepti reflexi, ſive noſtri, ſive 22. Divini, exercitè exprimere invincibilem ignorantiam malitiæ, & invincibilem errorem

honestatis rei, quam præcipit; nam præceptum reflexum hoc habet pro objecto, nempe talem actionem ignoratam malam, & ut putatam bonam; & modus tendendi prohibitionis reflexæ, sive noster, sive Divinus, exprimere exercitè debet ignorantiam honestatis, & errorem invincibilem inhonestatis, aut prohibitionis in re, quam prohibet, nam prohibitio illa reflexa habet pro objecto talem omissionem, ut ignoratam bonam, & ut putatam malam.

N. 23. Addo: Quamvis dicerem præcepta Dei, aut nostra reflexa (idem dic de prohibitionibus) habere hunc modum tendendi, *Mentire sub ignorantiâ invincibili, quod putes mendacium esse præceptum*, (totum enim hoc dicere debet, non autem nudum *mentire*, quia debet exprimere objectum actus reflexi, adeoque mendaciũ, ut substans errori, quòd sit præceptum) nihil mali diceremus; tunc enim *mendacium* non habet significationem, quam habet secluso errore; secluso enim errore habet malitiam formalem, & prohibitionem; incluso autem errore de non prohibitione, immò de honestate, aut præcepto, non habet malitiam formalem moralem, sed purè materialem; si hoc, inquam, dicerem, nil mali dicerem; Scriptura enim aliquando simili modo loquitur: nam Deus præcepit Oseæ, ut duceret mulierem fornicariam, ubi tò *fornicariam*, significat illam actionem materialem fornicationis, secluså malitiâ formali; & Israelitis præcepit Deus, ut furarentur vasa Amalecitarum, ubi tò *furari*, significat actionem illam usurpativam, secluså malitiâ formali; & Job usurpat verbum *maledictus* pro non maledicto: sicut ergo à Dei præcepto cognito tollitur ab illis actionibus malitia formalis, & ab illis verbis expressio malitiæ formalis in eâ actione inclusæ; ita ab errore invincibili malitiæ furti, sicut excusatur talis actio à malitiâ formali furti, ita restringitur ab eo errore verbum, *mentire*, aut *furare*, ut non significat malitiam formalem, sed purè talem actionem materialem.

N. 24. Sciendum 8. neque præcepta reflexa nostra opponi nostris directis, nec legem reflexam Dei opponi legi directę Dei. Ratio est evidens; quia voluntas directa, & reflexa non sunt de eodem omnino objecto; reflexa enim habet pro objecto aliquid realiter inadæquatè distinctum ab eo, quod habet directa; nam directa est de objecto, ut est in se à parte rei; reflexa autem est de objecto, ut substante ignorantiæ, & errori invincibili; atque adeo, quia directa, & reflexa non sunt de objecto, ut sub ijsdem circumstantijs, sed sub diversis, ideò non opponuntur, quomodo non opponuntur, *jejuna, si benè vales; non jejuna, si male*. Hæc rectè intellecta faciunt evidentem conclusionem sequentem, quæ est omniũ, ait P. Teril. *n.* 3. citatus. P. Teril.

§. III.

Nostra, & communissima sententia contra Celladei, & Palanco.

SUMMARIUM.

Si ignorantiæ invincibili malitiæ uniatur invincibilis de honestate, ea actio est honesta, & meritoria, n. 25.

S. Thom. clarè dicit actum, qui ex se non est juxta Dei legem, nec ex se bonus, fieri bonum, ib.

Honestas, & inhonestas per S. Thom. sumitur a dictamine proponente objectum, ibid.

S. Aug. dat gratias Deo ex errore, quòd eum non fecerit avem, n. 27.

Actus specificatur ab objecto non ut est in re, sed ut in mente, n. 28.

Omnis actus conformis regulæ morum formali, & objectivæ est honestus, & meritorius, si fiat ab homine, qui sit in gratiâ, n. 29.

Lex Dei reflexa respectu operantis ex errore invincibili est regula objectiva; dictamen est regula formalis morum, n. 30.

Arist. ait, quòd ut quis virtuosè operetur, nihil obstat, quòd finis sit bonum aut apparens, n. 32.

Honestas apparens satis est ad objectum formale virtutis moralis, DD. ibid.

Arist. docet quod nos, dum dividit continentem per se, & per accidens, DD. n. 33.

Cur Deus dederit nobis pro regulâ suæ legis dictamen conscientiæ, etsi aliquando falsum? ib.

Tenemur lege naturali conformare nos nostro conscientiæ dictamini, etsi falso, n. 35. 36.

DD. inter quos plures dicunt hoc esse de fide, ib.

Recta ratio à D. Aug. vocatur Nobile Judicatorium, n. 37.

Si error non honestat opus, peccabitur aliquando necessariò, n. 38. 39.

Proprietates actus boni, & earum ordo ex S. Th. n. 40.

Contradictio Celladei, n. 41. 42.

Inductione filij, fidelis, subditi honorantis, quem falsò putat patrem, Superiorem, & adorandũ, constat, quòd omnis actus cadens sub præceptum, aut consilium, in re, aut falsò tale, sit honestus, n. 44.

Si non esset honestus, plerique Sancti non sunt operati honestè, n. 45.

Non tantum actus sub præcepto vero, sed etiam sub invincibiliter falsò propositus, est formaliter honestus; & rejicitur Palanco, qui sine jure asserit omnes negare honestatem actui posito sub errore invincibili, n. 46. ad 50.

Nostra

N. 25. NOstra conclusio: Quoties ignorantiæ moraliter invincibili prohibitionis, & malitiæ jungitur error invincibilis de honestate objecti, aut de præcepto actionis, toties opus sub eâ ignorantiâ, & errore elicitum, est honestum, & meritorium, si cætera adsint. Est omnium quos citavi.

N. 26. S. Tho. Probatur 1. ex S. Thom. in 2. *dist.* 39. *art.* 3. *ad* 1. dicente: *Quamvis illud, quod ratio dictat per se, non sit secundum legem Dei, sicut nec per se bonum, tamen per accidens est secundum legem Dei, sicut & bonum, in quantum ratio apprehendit ipsum, ut secundum legem Dei, & bonum.* Quid clarius ad rem nostram? Ergo per S. Doctorem illud ipsum, quod *per se non est secundum legem Dei* (intellige directam) *& honestum*, (intellige secundùm se) & illud ipsum, quod *ratio* (intellige directa) *dictat non esse secundum se honestum*, nec conforme legi Dei directæ; illud ipsum, inquam, *potest per accidens esse secundum legem Dei*, (intellige reflexam seu supponentē rationem erroneè dictantem esse secundùm legem Dei) & honestum, (intellige reflexè, quatenus conforme rationi nostræ reflexæ invincibiliter dictanti esse secundùm legem Dei, & esse honestum.) In quibus verbis S. Doctor non solùm exprimit nostram sententiam, sed dat rationem, quomodo aliquid, quod non est secundùm legem Dei, nec est honestum, possit esse per accidens tale, nempe si ratio apprehendat esse tale: insuper innuit legem Dei, & nostram, tum directam, tum reflexam; & de directâ dicit esse per se intentam; de reflexâ esse intentam per accidens, nempe suppositâ ignorantiâ, & errore, ut dixi *Sciendo* 4. & 5.

S. Tho. Idem deducitur ex *quodlib.* 3. *art.* 26. ubi S. Thom. ait: *Cum actus recipiat ex objecto speciem, non recipit speciem ab eo secundum materiam objecti, sed secundum rationem formalem objecti; sicut visio lapidis non recipit speciem a lapide, sed a colorato, quod est per se objectum visus; omnis enim actus humanus habet rationem peccati, vel meriti, in quantum est voluntarius, objectum autem voluntatis secundum propriam rationem est bonum apprehensum; & ideò actus humanus judicatur virtuosus, vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se fertur voluntas, & non secundum objectum materiale actus.* Hæc S. Thom. Subsumo: Sed invincibiliter judicans mendacium esse honestum, & illud exequens tendit in mendacium apprehensum, ut honestum: ergo actus voluntatis illud volens non potest non esse honestus. Deinde S. Doctor tradit regulam generalem peccati, & meriti; vitij, & virtutis; illamque totam resolvit in libertatem, & apprehensionem præviam proponentem objectum, vel ut malum, vel ut honestum: ergo nil adeò distat à generali doctrinâ D. Thomæ, quàm asserere errorem invincibilem excusare quidem à peccato, non tamen reddere actum voluntatis honestum, si error invincibilis proponat, ut præceptum, vel ut honestum id, quod in re non est tale: sicut enim, si per errorem invincibilem proponatur ut malum, quod in se est honestum, actus voluntatis illud exequens erit formaliter malus; ita econtra stando in S. Doctore, si proponatur ut honestum, quod non est tale, actus voluntatis in illud tendens erit virtuosus: tota enim ratio honesti, vel inhonesti in omnibus actibus voluntatis sumitur juxta Divū Thomam ex apprehensione proponente objectum. Idem suadetur ex aliâ doctrinâ Divi Thomæ 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. ubi ait: *Manifestum est, quòd illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollat rationem boni, & mali*: sed ignorantia invincibilis, aut error, quòd, mendacium leve, prolatum, ut servetur fama Matronę periclitantis, sit honestum, causat involuntarium; ergo tollit ab electione mendacij rationem mali: ergo cùm aliunde juxta D. Thomam non detur actus indifferens in individuo, eò ipso quòd ea electio non est mala, est bona. Ita P. Moya *tom.* 2. *quæst.* 9. §. 6. D. Th. P. Moy.

N. 27. S. Aug. Confirmo exemplo S. Augustini, quo nil aptius ad materiam præsentem, hic enim Soliloquiorum *cap.* 7 *n.* 4. summas, quo solet affectu, Deo gratias agit, quòd eum creaverit; & quidem non tantùm, quòd creaverit, sed quòd eum non fecerit stillam aquæ, ignem, avem, piscem; ait enim: *Unde mihi Domine benignissime Deus .... non eram, & creasti me: nihil fueram, & de nihilo me aliquid fecisti. Quale autem aliquid? Non stillam aquæ, non ignem, non avem, vel piscem, non serpentem, vel aliquid ex brutis animalibus .... paulò minùs me creasti Angelis.* Hæc S. Augustinus: ecce tantus Doctor ductus judicio erroneo, nixo fortasse sententiæ Platonis, certè minùs probabili, Deo gratias agit, quòd eum non creaverit piscem, aut lapidem, cùm tamen juxta certam hodie sententiam hoc impossibile judicetur: quis autem dicat, S. Augustinum eo gratiarum affectu non meruisse, eò quia oriebatur à judicio erroneo? Ergo opus sub judicio erroneo potest esse omnino honestum. Rursus confirmo ex alio textu S. August. *serm.* 19. S. Aug.

de Verbis Apoſtoli cap. 6. nam Scriptura *Eccli. cap.* 31. laudat, & beatum vocat, & dicit quòd coronabitur gloriâ, qui potuit transgredi, & non eſt tranſgreſſus; qui potuit facere mala, & non fecit, & plura ſimilia: quis autem non videat, quòd, ſive quis ex judicio vero, ſive ex invincibiliter erroneo, potens tranſgredi, & non tranſgrediatur, reverà non tranſgreditur? Ergo revera talis homo erit laudabilis, & merebitur gloriam: ergo actus ſequens ad judicium invincibiliter erroneum non poteſt non eſſe bonus,

N. 28. P.Teril. cùm ſit meritorius gloriæ. Plura P. Teril. *de Reg. mor. qu.* 3. *a n.* 15. *ad* 31. ubi plures SS.PP. trahit, & textus Canonicos, & communiſſimum Doctorum ſenſum. Ratio eſt; quia actus ſpecificatur ab objecto, non ut eſt in ſe, ſed ut repræſentatur per intellectum: ergo ſi objectum in ſe malum repræſentetur invincibiliter ut bonum, & voluntas tendat in illud ſub ratione boni, actus erit moraliter bonus.

N. 29. P.Ovie. Probatur 2. à priori: Omnis actus conformis primæ regulæ morum formali, & objectivæ non poteſt non eſſe honeſtus, & ſi fiat ab homine exiſtente in gratiâ, non poteſt non eſſe meritorius de condigno; ſuppono enim cum communi, quòd repugnet actus honeſtus ſupernaturalis non meritorius, ut benè P.Oviedo 1.2. *tr.* 9. *contr.* 1. *pu.* 1. *n.* 9. contra aliquos Neotericos: ſed omnis actus elicitus ſub invincibili ignorantiâ malitiæ, & prohibitionis, & ſub errore moraliter invincibili honeſtatis, & præcepti eſt actus conformis primæ regulæ morum formali, & objectivæ: ergo non poteſt non eſſe honeſtus, & ſi fiat ab homine dignificato per gratiam, non poteſt non eſſe meritorius. Maior eſt evidens ex *Sciendo* 2. nam honeſtas eſt conformitas cum ratione informatâ per legem Divinam, aut naturalem, ut ibi dixi. Minor probatur 1. quia omnis actus elicitus ſub ignorantiâ invincibili honeſtatis, & ſub errore invincibili prohibitionis, id eſt, omnis actus putatus invincibiliter prohibitus, non poteſt non eſſe illicitus, & inhoneſtus: ergo ex oppoſito omnis actus elicitus ſub ignorantiâ invincibili prohibitionis, & ſub errore invincibili honeſtatis, aut præcepti non poteſt non eſſe honeſtus: cur enim error dictans opus ex ſe licitũ eſſe illicitum, reddit illud illicitũ, eſto in re eſſet licitum; error autem operis ex ſe illiciti non reddit licitum opus putatum ex errore licitum? Probatur 2. eadẽ minor: Omnis actus

N. 30. elicitus ex errore moraliter invincibili de honeſtate, & præcepto eſt conformis dictamini conſcientiæ reflexo, & legi Dei reflexę: ſed dictamen conſcientiæ reflexum eſt formalis regula morum; lex Dei reflexa eſt objectiva regula morum; implicat autem, ut actus conformis regulæ morum, tam formali reflexæ, quàm objectivę reflexæ verè exiſtentibus, non ſit honeſtus: ergo cùm talis actus putatus ex invincibili errore honeſtus, aut præceptus, ſit conformis primæ regulæ morũ formali, & objectivæ, implicat, ut non ſit honeſtus. Cùm enim, ut dixi, voluntas Dei alia ſit de rebus cognitis, ut reverà ſunt; alia per accidens de rebus, ut ſunt à nobis cognitę, ut volitio humana ſit recta, ſatis eſt, ut ſit conformis dictamini conſcientię reflexo, & voluntati Dei reflexę ſupponentibus noſtrum errorem; quia illud conſcientiæ dictamen reflexum, & hæc voluntas Dei reflexa nobis tunc proponuntur in tali circumſtantiâ erroris, non autem tunc ineſt nobis dictamen conſcientiæ directum, nec voluntas Dei directa per hoc dictamen nobis applicatur: ergo objectum illud, licèt in ſe non ſit honeſtum, eſt tamen per accidens honeſtum, ſuppoſito errore. N. 31.

N. 32. S. Th. Confirmo hanc rationem à priori, aliâ ratione à priori ab omnibus Philoſophis, & TT. admiſſâ. Objectum non ſpecificat actũ, niſi ut per intellectum proponitur, non autem, ut eſt in ſe: ita S.Th. in 2. *diſt.* 23. *art.* 3. ergo ſi objectum proponatur invincibiliter ut honeſtum, tribuet actui ſpeciem honeſti; adeoque ſi homini invincibiliter proponatur mendacium, ut neceſſarium ad famam nobilis Matronæ tuendam, ea electio mendacij erit formaliter honeſta, immò meritoria, ſi fiat ab homine dignificato; & ipſum mendacium erit tantùm denominativè honeſtum, & meritorium ab electione interiori illud imperâte. Vide C.de Lugo *de Fide*, P.Hurt. *de Fide*, P.Oviedo *de Fide*, P.Ripald. *de Fide*, nec non Theologos in 1. 2. & P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. §. 6. qui omnes ex mente Philoſophi *lib.* 2. *Phyſ. tex.* 31. *& lib.* 5. *Metaph. cap.* 3. inferunt parum referre, immò nihil obeſſe, ut quis virtuosè operetur, *utrum finis ſit bonum, aut apparens*; & ideò ſive petens eleemoſynam ſit verè egenus, ſive apparenter, elargiens eleemoſynam adhuc eſt miſericors: ſicut ergo actui miſericordiæ non obſtat, quòd indigentia ſit apparens, ſive enim ſit tantùm apparens, ſive ſit vera ea indigentia, utraque ſatis eſt ad objectum materiale miſericordię; ita nihil obſtat, quòd honeſtas ſit tantùm apparens, ſive enim ſit apparens, ſive vera, utraque ſatis eſt ad objectum formale virtutis moralis voluntatis. C. de Lugo, P. Hurt. P. Ovie. P. Ripa. P. Moy. Ariſtot. N.

33. Ariſtot. Accedit alia doctrina Ariſtot. 5. *Ethic. cap.* 9. *& lib.* 7. *cap.* 1. dicentis, *Quem ipſe incon-*

incontinentem per se, si faciat, quod per se est contra continentiam, alium verò per accidens, quia putat sic esse; qui similiter continens esset per accidens, si putaret sic esse, licèt per se non sic esset. Profectò disertioribus verbis Philosophus non potuit nostram conclusionem exponere; & huic Peripateticæ doctrinæ consonat ea, quàm dedimus ex S. Thom. *initio hujus* §. & annuunt Philal. *qu.* 1. *pag.* 12. *& pag.* 90. Mercor. 1. *p.* Basis *art.* 3. *pag.* 7. *& art.* 6. P. Vasqu. 1.2. *d.* 58. *cap.* 2. *n.* 10. P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. §. 8. *n.* 49. & reliqui omnes: cùm enim sæpe nesciamus, quid lex Dei prohibeat, aut præcipiat, Deus dedit nobis pro regulâ ipsum rationis dictamen, cui conformari tenemur, & quamvis contingat esse aliquando erroneum, quia hoc per accidens est, non amittit rationem regulæ immediatæ formalis: ergo si actus voluntatis sit conformis huic dictamini erroneo, erit formaliter honestus. Addo P. Vasqu. *d.* 48. *cap.* 2. & *d.* 49. *cap.* 2. P. Oviedo 1.2. *tr.* 5. *contr.* 2. *à n.* 3. Herinx *tom.* 2. *d.* 4. *n.* 8. Caram. *tom.* 4. *Theol. Mor. Fund. qu. proœmiali n.* 19. & in Prodromo *à n.* 117. P. Suar. *d.* 12. *sect.* 5. *num.* 10. M. Joan. à S. Th. 1.2. *d.* 12. *art.* 2. *n.* 10. M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 8. *art.* 3. *n.* 2. *&* 3. dicere, & tantam esse, ex Dei præcepto, & naturali, reverà à parte rei existentibus, obligationem conformandi se ultimo dictamini conscientiæ, etsi invincibiliter erroneo aliquid præcipienti, ut nec Deus dispensare possit, nè homo agendo contra illud non peccet: & P. Vasqu. ait, quòd sententia docens esse peccatum agere juxta conscientiam erroneam sit apud omnes hæretica, quia ex Apostolo, *Omne quod non est ex fide*, seu ex prudenti judicio dictante hoc non esse peccatũ, *est peccatum*; & omne, quod est ex prudenti judicio dictante non esse peccatũ, non est peccatum, sed opus elicitũ contra conscientiam erroneam invincibiliter dictãtem illud opus non esse peccatum, est opus, quod non est ex fide, seu ex prudenti judicio dictante illud opus non esse peccatum, & opus elicitum juxta conscientiam erroneam invincibiliter dictantem tale opus esse præceptum, est opus ex fide, seu ex prudenti judicio dictante esse honestum: ergo omne opus, quod est contra conscientiam erroneam invincibiliter dictantem non esse peccatum, est peccatum; & omne opus factum juxta conscientiam erroneam invincibiliter dictantem esse bonum, est bonum. Hinc infertur, esse de fide dari præceptum agendi conformiter ad conscientiam erroneam; nullus enim peccat, nisi detur præceptum; si ergo peccat, qui operatur contra conscientiam invincibiliter erroneam, utique datur præceptum, tum naturale, tum Divinum, verè existens in re, sequendi dictamen conscientiæ erroneæ invincibiliter proponens obligationem faciendi aliquid, aut omittendi, ut dixi *Sciendo* 4.

S. Tho. Philal. M. Mer. P. Vasq. P. Moy. N. 34 P. Vasq. P. Oviedo, Herin. Caram. P. Suar. M. Joan à S. Thom. M. Tap. P. Vasq. N. 35 N.

Idem sentit S. Joan. de Capistrano in *Specul. consc. n.* 60. apud Fr. Bonav. Vandendicke in suis Thesibus Historico-Theologicis, defensis Lovanij anno 1691. *conclus.* 3. Sicut (inquit S. Joan. de Capistr.) recta conscientia, quæ est justa lex, ligat voluntatem per formam, quam habet, ita etiam erronea conscientia, quæ est lex apprehensa, ligat voluntatem. Demum omnes TT. conveniunt non esse licitum agere contra conscientiam erroneam, & hoc ipsum putant de fide. Lege P. Vasqu. *l.c.* P. Oviedo *l.c.* Herinx *l.c. qu.* 2. P. Thyrs. *tom.* 4. *d.* 6. *sect.* 5. *n.* 39. Palanc. *qu.* 6. *n.* 2. S. Thomam 1.2. *qu.* 19. *art.* 3. & *qu.* 17. de Veritate *art.* 4. Quomodo autem liget conscientia vincibiliter erronea, dicam infrà. Hoc certum, quòd ipsum rationis lumen acutè à S. Aug. loco citato à D. Bonav. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 2. *qu* 2. circa finem, vocatur nobile *judicatorium*, & à S. Bonav. *l. c. art.* 2. *p.* 1. dicitur naturale *judicatorium*; ut autem Judici standum, etsi ex probatis errare possit, ita & conscientiæ, etsi erroneæ, ex hypothesi.

N. 37. S. Capistran. S. Aug. P. Vasq. P. Ovied. Herin. P. Thyrs. Palanc. S. Th. S. Bon. vent.

Probatur 3. quia implicat peccatum necessarium, nam de essentiâ omnis peccati est, ut sit liberum, ita enim fide sanctum est contra Lutherum, Calvinum, Baium, Jansenium, contra quos plura diximus *d.* 5. sed si ignorantia invincibilis de prohibitione conjuncta cum invincibili errore honestatis, aut præcepti, non reddunt honestum opus sequens ad errorem invincibilem honestatis, & præcepti, non repugnat peccatum necessarium: ergo invincibilis error honestatis, & præcepti reddit opus sequens honestum. Minor probatur: Sit homo, qui ex invincibili ignorãtiâ prohibitionis putet non esse prohibitum mendacium leve, immò perjurium, ut innocens Matrona liberetur à morte; imò putet ex invincibili errore esse necessarium, & præceptum: ecce in hoc casu, si error non excusat à peccato, immò si non reddit opus conceptum ex errore præceptum, si, inquam, non reddit honestum, & meritorium, talis homo peccabit, sive pejeret, sive non pejeret: peccabit, si pejeret, quia aget contra præceptum directum, *ne pejeres*; peccabit, si non pejeret, quia aget contra præceptum reflexum obligans sequi dictamen conscientiæ invincibiliter erroneæ, nempe, *pejera, ut liberes innocentem a morte*: ergo si error præcepti non reddit honestum opus putatum ex

N. 38. N. 39.

errore præceptum, non repugnat casus, in quo homo necessitetur à conscientiâ ad peccandum.

N. 40. S. Th. Confirmo ex S.Thom. 1.2. *qu.* 21. *art.* 3. qui paucissimis verbis explicat non tantùm proprietates actus boni, sed earum ordinem inter se; ait enim: *Actus bonus, vel malus habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundum quod est in potestate voluntatis*; id est, nisi sit liber, nec bonitatem habet, nec malitiam; *rationem verò rectitudinis, & peccati, secundum ordinem ad finem*, id est, quatenus est conformis, vel difformis suæ regulæ; *rationem verò meriti, & demeriti, secundum retributionem justitiæ ad alterum*; id est, non dicitur meritorius, nec demeritorius, nisi operans sit pars M.Tap. alicujus communitatis, ait M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 9. *art.* 1. *n.* 6. ad meritum enim requiritur, quod sit in bonum, & obsequium alicujus. N. 41. Ex quo sic arguo: Implicat, ut libera impletio præcepti verè à parte rei existentis, procedens ab homine dignificato per gratiam, non sit honesta, & meritoria de condigno; nam contrarium inhonesti, & demeritorij est honestum, & meritorium: ergo si libera non observantia præcepti est inhonesta, & demeritoria apud Legislatorem, & communitatem, libera observantia præcepti hominis existentis in gratia erit honesta, & meritoria, apud eosdem: sed omnis actus elicitus ex directione conscientiæ invincibiliter erroneæ dictantis, ex. gr. perjurium, ut salvetur innocens, esse à Deo, & lege naturali charitatis præceptum, est libera observatio legis, & est conformis tali dictamini reflexo certò prudenti, & legi Divinæ reflexæ, suppositâ ignorantiâ, verè existenti, & præcipienti, *Sequere dictamen conscientiæ certò prudens: obedi conscientiæ dictamini prudenter invincibiliter dictanti perjurium hic, & nunc esse præceptum*: ergo &c. Quòd autem tale ultimum conscientiæ dictamen sit certò prudens, patet; quia ex errore assumitur, ut indubitanter verum, & est conforme dictamini Synderesis universali, (Obediendum est Deo præcipienti) etsi idem ultimum conscientiæ dictamen sit in se speculativè falsum.

N. 42. P.Eliz. S. Th. Probatur 4. ad hominem contra P. Eliz. qui postquam *lib.* 5. *qu.* 18. §. 3. *pag. mihi* 140. adduxit doctrinam D. Thomæ *quæst.* 17. de Veritate *art.* 4. dicentis conscientiam erroneam duobus modis ligare, & omisso priori modo à P. Elizal. trahit posteriorem, nempe conscientiam rectam per se ligare, erroneam per accidens; rursus postquam §. 4. *pag.* 141. ostendit in omni conscientiâ erroneâ intervenire partem rectam, quatenus conscientia obligans ad mentiendum sic formatur: *Deo præcipienti obediendum est, sed Deus præcipit hic, & nunc mendacium, ergo mentiendum est*; ait maiorem esse veram, & rectam, & hinc infert conscientiam erroneam ligare per se, & errorem adjunctum se habere per accidens: postquam, inquam, hæc dixit, per quæ affirmat, quod negavit, negavit enim obligare; obligat enim non tantùm ratione maioris, nam in maiori non affertur mendacium, nisi in universali; conscientia autem obligat hic, & nunc ad mentiendum, adeoque obligat ad mendacium ratione minoris dicêtis. *sed Deus præcipit mendacium*; tandem §. 5. *pag.* 142. quæritur, an si quis ex errore putaret actionem aliquam indifferentem, putà, fricare barbam, esse à Deo præceptam, an per talem actionem mereretur, & an ea actio esset moraliter bona; & affirmat. Hoc posito, ita urgeo: Rectitudo operationis, & voluntionis stat in conformitate ad regulam rectam, ut ait Eliz. sed conscientia erronea non est recta: ergo ea actio non potest esse recta, & honesta: vel si fricatio barbæ ex conformitate cum conscientiâ erroneâ dictante esse à Deo præceptam est honesta; cur non etiam leve mendacium, etsi ex se materialiter malum, ex conformitate cum conscientiâ erroneâ dictante esse à Deo præceptum, erit honestum? Certè nulla disparitas dari potest quoad formalem honestatem: quòd enim mendacium sit ex se malum, fricatio sit ex se indifferens, non est ad rem; & unicè probat mendacium esse materialiter inhonestum; non autem fricationem: quoad formalem autem honestatem nulla est differentia: ergo si conscientia erronea dat honestatem actioni ex se non honestæ, eaque fricatio est honesta formaliter (etsi materialiter non sit honesta) per conformitatem cum conscientiâ erroneâ, sequitur, quòd mendacium per conformitatem cum eâdem erit etiam formaliter honestum, etsi materialiter non sit honestum, sed inhonestum. N. 43.

N. 44. Probatur 5. Omnis actus cadens sub præceptum, vel consilium, est honestus: sed plurimi actus procedêtes ex errore invincibili cadunt sub præceptum, vel consilium, supposito eo errore: ergo tales actus sunt honesti. Minor patet inductione: qui enim putat ex errore invincibili talem hominem esse suum patrem, tenetur eum honorare; qui talem Hostiam à Sacerdote elevatam videt, tenetur credere esse consecratam, & eam adorare, ut rectè C. de Lugo de Euchar. *d.* 6. *sect.* 4. *n.* 16. dicens, quod in adoratione Eucharistiæ requiratur semper conditio implicitæ C. de Lugo.

plicitæ consecrationis; quę tamen conditio non est explicitè regulariter apponenda,
C. Caie. quia, ut benè C. Caiet. hoc saperet irreverentiam, quomodo si dicerem, Veneror Joannem V. Lusitaniæ Regem, si sit baptizatus, cùm nemo sine baptismo esse possit floridissimæ Lusitaniæ Rex: & sic passim in materiâ Justitiæ, Charitatis, Obedientiæ &c. nam Judex tenetur damnare hominem, quem putat plenè reum; homo tenetur succurrere alteri, quem putat extremè pauperem; subditus obedire homini, quem putat suum Superiorem, licèt talia judicia possint
N. esse, & sæpe sint invincibiliter falsa. Addo,
45. quod si error invincibilis de honestate non honestat actum voluntatis, ita ut illi tantùm actus sint formaliter honesti, qui sequuntur ad judicium speculativè verum, plerique actus hominum, quantâcumque sanctitate florentium, præcipuè idiotarum, non erunt honesti formaliter, cùm sæpissimè misceatur error. Immò addo, quod si illi tantùm actus voluntatis sunt formaliter honesti, qui sequuntur ad judicium verum de honestate, sequitur 1. quod actus sequens ad judicium imprudens, dummodò verum, erit formaliter honestus. Sequitur 2. quod illi tantùm actus voluntatis erunt formaliter inhonesti, qui sequuntur ad judicium verum de inhonestate, non autem qui sequuntur ad judicium prudens, sed falsum de inhonestate: ergo qui ex errore invincibili putaret esse peccatum mortale non audire quotidie sacrum, vel non jejunare quotidie, iste, si non audiat quotidie sacrum, & quotidie non jejunet, non ponet omissionem formaliter inhonestam.

N. Respondet Palanco à *n.* 91. illos tantùm
46. actus esse formaliter honestos, qui cadunt
Palanc. sub prœceptum, & consilium verum, non autem qui sub falsum; aliàs actus cadentes sub præceptum vincibiliter falsum, erunt formaliter honesti, quod omnes negant. Dein *num.* 94. ait, exempla nil probare: vel enim conscientia dictans talem hominem honorandum esse ut patrem, est recta; & sic exemplum non est ad rem, nec mirum est, quòd illa honoratio sit formaliter honesta, sequitur enim ad conscientiam rectam: vel est erronea, ut supponit; & sic falsò putat se teneri honorare illum hominem, & dari præceptum de honorando illo: ergo falsum est, quòd ille actus hìc, & nunc cadat sub præceptum; adeoque exemplum, vel non est ad rem, vel includit contradictionem. Idem dicit *n.* 97. de Hostiâ; nam conscientia dictans illam Hostiam esse adorandam, vel est recta, seu vera, quatenus verum est, Hostiam esse consecratam; & sic exemplum non est ad rem: vel est erronea, & sic falsum est, quòd ipsa dictat, nempe falsum est, quòd detur præceptum de adorandâ illâ Hostia.

Sed contra 1. quia retorqueo evidenter, & N.
probo non peccare omittendo hodie sacrum, 47.
qui ex errore putat dari præceptum audiendi hodie sacrum: si enim conscientia dictans auditionem sacri hodie, est erronea, ut suppono, falsum est dari tale præceptum: ergo falsum est, quòd teneatur audire sacrum: ergo non audiendo non peccabit; quis autem hoc dicat? Contra 2. quia dum ait Palanco, solos actus cadentes sub præceptum formaliter verum esse honestos, non autem alios, non repetit nisi quod impugnavimus, & impugnationem non expugnat. Contra 3. quia N.
nemo negabit, quòd actus sequentes ad er- 48.
rorem vincibilem præcepti, esse possint formaliter honesti; si enim ego per errorem vincibilem putem audiendum esse hodie sacrum, illud audiendo, exercebo actum formaliter honestum: ergo sine jure dicit omnes negare, quòd actus sequentes ad errorem vincibilem sint formaliter honesti. Cõtra 4. quia tantùm abest, ut M. Serna, quem M. Ser-
impugnat, sibi contradicat, quin ipse Palan- na.
co hærere videtur in crasso æquivoco. Fatetur Serna, & nos, quod conscientia invincibiliter erronea potest dictare hunc hominem esse patrem Pauli, atque adeò datur in Paulo præceptum de eo homine venerando, quatenus datur præceptũ honorandi, quem quilibet prudentissimè judicat esse suum patrem. Ad illationem, quòd si conscientia dictans talem hominem esse venerandum ut patrem est erronea, falsum erit dari præceptum de eo homine venerando; & quòd si conscientia dictans hanc Hostiam esse adorandam, quia consecratam, est erronea, falsum erit dari præceptum de illâ adorandâ: ad has, inquam, illationes, dico, verissimum esse non dari à parte rei præceptum honorandi illum hominem ut patrem, & adorandi eam Hostiam, ut consecratam, quia falsum est, eum hominem esse patrem, & eam Hostiam esse consecratam; attamen licèt *in re* non detur tale præceptum, datur tamen *in mente* hominis putantis invincibiliter eum hominem esse suum patrem, & eam Hostiã esse consecratam; si autem in ejus mente datur, tenetur ejus voluntas obedire illi præcepto, venerando eum hominem ut patrem, & adorando eam Hostiam, ut consecratam, eique obediendo eliciet actus formaliter honestos.

Confirmo: Si error invincibilis de hone- N.
state non honestat actum voluntatis, sequi- 49.
tur,

tur, quòd omnis Ecclesiæ Doctor, qui docuit sententiam probabilissimam, in re tamen falsam, eamque ad praxim deduxit; immò omnes, qui suas operationes sub illâ direxerunt, sequitur, inquam, quòd omnes eam practicando nihil meruerint, atque adeo cùm frequens sit Thomistas inter & Scotistas dissensio, & uni tantùm verum dicant, & alij falsum, sequitur, vel solos Thomistas, vel solos Scotistas honestè operari, nam alterutri errant invincibiliter; ergo alterutri non operantur honestè: hoc autem quis somniabit? Similiter sequitur, quòd cùm inter opiniones morales tanta sit contradictio, alterutri tantùm ex Confessarijs honestè operantur, dum absolvunt; alterutri tantùm ex pœnitentibus recipiunt gratiam, dum absolvuntur; alterutri tantùm ex Magistris, dum docent; alterutri tantùm ex discipulis, dum docentur, quia alterutri tantùm verum docent, & docentur. Cùm autem hæc absurdissima sint, absurdissimum est antecedens, ex quo inferuntur; antecedens autem est, quòd sola veritas honestat actionem, error autem, etsi invincibilis, de honestate non reddit honestum actum voluntatis sub eo directum.

N. 50. Palanc. Dices ex Palanco *num.* 107. eos actus esse moraliter bonos, ut conformantur cum regulis veris, & universalibus Synderesis, non autem ut conformantur conscientiæ erranti. Sed contra 1. quia *an.* 68. docuit, esse tantùm secundùm quid honestos, ut conformantur regulis veris: ergo actus allati in nostro argumento sequentes ad errorem invincibilem honestatis non erunt absolutè moraliter boni; hoc autem est ingens absurdum. Contra 2. quia, ut dicam, quod dirigit immediatè, & proximè actum voluntatis, non est maior, nec minor ipsius syllogismi, sed est sola conclusio; hæc enim sola est dictamen conscientiæ: quòd si conclusio, licèt alterutra præmissa sit vera, dummodo altera sit falsa, est erronea, actus voluntatis ab eâ conclusione, seu dictamine erroneo conscientiæ directus, non erit formaliter honestus, quod est summum absurdum.

Omitto alia argumenta, quæ suprà innui, nempe quòd si error non honestat actionem sub eo elicitam, non erit in manu hominis facere bonas vias malas, sed ad summum facere non malas, si error excusat tantùm à peccato, non autem honestat, ut vult P.Eliz. & Palanc. sequela autem est contra Tridentinû: similiter non erit in manu hominis mereri per non peccatum, nam meritû supponit honestatê. Vide, quæ dixi *d.* 5. plura alia dabit P.Teril. de Reg. mor. *qu.* 3. *a n.* 34.

P.Eliz. Palanc. Triden. P.Teril.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta.

§. I.

Argumenta P. Elizaldæ.

SUMMARIUM.

Arguit ex S. Thom. negante bonam esse volitionem conformem errori; & quòd, ut sit bona, esse debeat de re in se bonâ, non satis de apprehensâ, ut bonâ, n. 51.

Ostendo quòd S. Thom. loquatur de errore vincibili; & quòd doceat expresè quod nos, n. 52.

Conscientia erronea est ethicè recta, & vera, n. 53.

Ex hoc quòd admittamus in Deo leges reflexas ex suppositione nostri erroris, non sit admittendas has, Mentire, blasphema, &c. Cur? num. 54. ad 57.

Si quid horum est absurdum, sibi imputet, qui ea gratis in homine errante fingit, n. 58.

Modus tendendi legis reflexæ à nobis admissus, n. 59.

Deus ad volitionem mendacij putati invincibiliter præcepti concurrit auxilio gratiæ, & est causa per se. DD. n. 61.

Inanis Celladei exclamatio, n. 62.

Deus semper est suprema regula, ibid.

Ministri Anti-Christi peccabunt, quia operabuntur ex vincibili errore, n. 63.

Objectum non movet, nisi ut est cognitum, n. 64. 65.

Volitio mendacij putati præcepti est objectivè honesta ab ipso mendacio putato præcepto; est formaliter honesta per conformitatem conscientiæ dictantis esse nunc mentiendum, n. 66.

An volitio sequens ad errorem invincibilem sit æquè honesta, ac quæ ad judicium verum? num. 67.

OBjicies 1. ex P. Eliz. *lib.* 3. *qu.* 4. S. Th. 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. quærit, an voluntas concordans rationi erranti sit bona; & negat: ergo actus voluntatis concordans, & sequês ad errorem honestatis, non est honestus. Confirmat: quia dici non potest, quòd S. Thom. velit tantùm, quòd volitio concordans rationi *vincibiliter* erranti non sit bona; sit autem bona concordans *invincibiliter* erranti: non, inquam, dici potest, licèt passim dicatur à P.Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 11. *n.* 17. P. Vasqu. 1. 2. *d.* 60. *cap.* 3. *n.* 9. & alijs; quia hoc est apertè contra S. Thom. dicentem, *Ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd sit secundum suam naturam malum, sive quòd apprehendatur, ut malum; ut autem sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum,* ait S. Doctor: ergo ut

N. 51. P.Eliz. S. Th. P Sanch. P.Vasq.

ut volitio sit bona, non est satis, quòd invincibiliter apprehendatur ut bona; nam mala erit, si id, in quod fertur, sit secundùm suam naturam malum, ut evenit, quoties erroneè, etsi invincibiliter, apprehenditur ut bonum, aliquid lege naturali vetitum.

N. 52. S. Th. Respondeo S. Thomam, nisi velimus sibi ipsi contradicere ex illis, quæ adduximus ex eodem S. Doctore §. *antecedenti*, evidenter loqui de ratione *vincibiliter* errante; immò hanc esse ejus mentem constat ex hoc ipso textu; vult enim, quòd ut actus sit malus, satis sit, ut per errorem, sive vincibilem, sive invincibilem judicetur malus; ut autem sit bonus, non satis esse, ut per errorem vincibilem judicetur bonus. Cùm enim S. Doctor dicto *art.* 6. quæsiviset, an voluntas concordans rationi erranti sit bona, respondet: *Ista quæstio eadem est cum illâ, quâ quæritur, utrum conscientia erronea excuset;* huic autem quæstioni dicit: *Manifestum est, quòd illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni, & mali; non illa, quæ involuntarium non causat*: ergo cùm S. Thomas hanc quæstionem, an voluntas concordans rationi erranti sit bona, resolvat per quæstionem, an conscientia erronea excuset; huic autem respondeat, ignorantiam voluntariam non excusare, involuntariam excusare; consequenter vult, quòd ratio vincibiliter errans non faciat voluntatem bonam; invincibiliter autem errans, faciat voluntatem bonam. Lege P. Moyam *tom.* 2. *qu.* 9. *n.* 29. & P. Teril. de Reg. mor. *qu.* 3. *a n.* 2. *ad* 14. P. Moy. P. Teril.

N. 53. P. Eliz. Dices ex Eliz. *lib.* 3. *qu.* 4. §. 2. Implicat, ut conscientia erronea sit recta: ergo implicat, ut volitio ad eam sequens sit honesta; nam volitio honesta non sequitur nisi ad conscientiam rectam. Respondeo conscientiam invincibiliter erroneam non esse rectam logicè, esse tamen rectam ethicè, ut loquitur P. Teril. *qu.* 3. de Reg. mor. *num.* 52. nam in ordine ad dirigendas operationes humanas æquivalet veræ. Addo, quòd qui dictamen reflexum ponunt, ut licitus sit usus opinionis probabilis, ponunt illud tamquam regulam; & tunc volitio erit moraliter bona, quia conformis dictamini reflexo vero; ego tamen judico, ut fusè infrà, illud non esse necessarium, sed satis esse judicium directum, etsi invincibiliter erroneum, eo enim ipso est prudenter, & ethicè verum. P. Teril.

N. 54. Objicies 2. Si dantur in Deo leges reflexæ ex suppositione nostri erroris, dantur in Deo actus intellectus, quibus ex suppositione nostri erroris Deus per accidens nos ita dirigit, sive præcipiendo, sive prohibendo: *Bonum est mentiri, mentire: bonum est blasphemare, blasphema: malum est colere Deum, ne colas*; quo nihil horribilius; quomodo enim Deus objecta vetita, quia mala, qualia sunt, quæ lex naturalis prohibet; & objecta præcepta, quia bona, qualia sunt, quæ lex naturalis præcipit, illa præcipiat, hæc prohibeat?

N. 55. Respondeo 1. retorquendo in lege reflexâ nostrâ, & Dei, supponente errorem nostrum invincibilem circa prohibitionem, aut præceptum legis positivæ: quæro enim, an ex suppositione erroris dictantis esum carnis die Veneris non esse malum, immò esse præceptum: & ex suppositione erroris dictantis Spiritum S. non autem Verbum esse incarnatum, (qui error est contra legem positivam Divinam) detur in nobis, & in Deo lex reflexa dictans, *Ede carnem die Veneris*: *Ne adores Verbum incarnatum*? Si datur, eo ipso hoc, & sequentia argumenta erunt ab Adversarijs solvenda: parùm enim refert, quòd unum objectum sit lege directâ naturali, aliud lege directâ positivâ prohibitum; nam sive unâ, sive aliâ lege directâ sit prohibitum, id est, sive sit prohibitum, quia malum, sive sit malum, quia prohibitum, semper est prohibitum. Si non datur; malè omnino contra evidentem experientiam negabis dari. Retorquetur 2. in ipsâ lege naturali, quæro enim, an suppositione invincibilis erroris, aut saltem ignorantiæ dictantis, quòd amor Dei sit hic, & nunc malus, aut saltem non sit præceptus, (cùm præceptus sit) detur in nobis, & in Deo lex reflexa, *Ne ames nunc Deum, vel non teneris nunc amare Deum*? Si affirmas, nullum erit contra nos argumentum, quod à te solvendum non sit: si negas, negabis experientiam.

N. 56. Respondeo 2. ex eo quòd nos cum communi Theologorum supponamus, ut certum, dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis, ut dixi *d.* 5. non ideo volumus dari posse circa omne etiam generalissimum, & evidentissimum juris naturalis præceptum: aliqua enim sunt cuique, vel stupido homini, adeò evidentia, ut vix haberi possit, vel ignorantia de eorum malitiâ, multò minùs error, quòd eadem sint bona, & præcepta, qualia sunt blasphemare Deum; vel ignorantia de bonitate eorum, multò minùs error, quòd eadem sint mala, & prohibita, qualia sunt colere Deum.

N. 57. Ex hoc autem non fit, quòd dari non possit ignorantia invincibilis circa alia præcepta, aut prohibitiones legis naturalis, non adeò evidentia, qualia sunt occidere privatâ authoritate blasphemantem contra Deum, mentiri etiam cum juramento, ut servetur vita innocentis: & multò magis hæc ignorantia,

rantia aut error invincibilis dari potest circa præcepta, aut prohibitiones legis positivæ Divinę, & humanæ; potest enim latêre tale præceptum directum, & concipi per errorem, quòd sit vetitum; aut latêre talis prohibitio directa, & concipi per errorem, quòd sit præceptum. Dum ergo Jansenistæ, Baiani, & P. Eliz. ut contra nos arguant, assumunt exempla adeò horribilia, sibi imputent; nostra enim conclusio dicit, quòd error invincibilis, quòd res sit præcepta, facit actum honestum: quòd autem dari possit error invincibilis, quòd detur præceptum de blasphemando Deum, vel de non colendo Deo, vel de non amando ullo modo proximo, nostra conclusio nihil dicit. Si potest, dabitur in nobis, & in Deo lex reflexa, *Ne colas Deum, blasphema Deum*, & actus ad eum errorem sequens erit honestus, & meritorius: si non potest, negandum erit suppositum, quòd dari possit talis ignorantia invincibilis.

Jansen. Baius. N. 58.

N. 59. Addo, ut dixi *hìc sect.* 1. §. 2. *Sciendo* 5. monendi sunt Adversarij, ne præcepta directa cum reflexis confundant; licèt enim directa habeant hunc modum tendendi, ne blasphemes, ne mentiaris, cole Deum, succurre proximo; reflexa tamen de objecto ignorato ut malo, & putato bono, non habent similem modum, *Mentire, blasphema*, hæc enim significant objectum cognitum, ut formaliter malum, & vetitum, adeòque non sunt præcepta de objecto ignorato ut malo, & cognito ut bono, sed de objecto cognito ut malo: ergo præcepta reflexa Dei, & nostra de objecto cognito ut bono, & ignorato ut malo, non habent hunc tendendi modũ, *Mentire, blasphema*; sed hunc, *Fac quod conscientia dictat esse bonum, & præceptum: si putas mendacium, aut blasphemiam ex invincibili errore esse à Deo præceptam, blasphema*. Idem dico de prohibitionibus reflexis Dei, & nostris; non enim habent hunc modum, *Ne colas Deum, ne ames proximum*; significant enim notitiam honestatis, quæ prohiberi non potest; sed hunc, *Omitte quod conscientia invincibiliter dictat esse vetitum: omitte cultum Dei putatum invincibiliter à Deo prohibitum*. Hæc ex meo penu.

N. 60. Plura de hoc P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. *à n.* 46. dicens, quòd licèt exempla adducta à Cella- P. Moy. dei videantur ei horribilia, attamen Doctores communiter non putant esse talia; dari enim posse ignorantiã invincibilem circa jus S. Aug. naturæ, docuit S. August. & alij, quos dedi *d.* 5. *sect.* 4. §. 3. similiter ignorantiam invincibilem in Hæreticis admittit S. August. in P. Teril. caput, *Dixit*, & P. Teril. *qu.* 16. *n.* 33. & de Infidelibus est communis Doctorum cum S. Thomâ, quem sequitur P. Vasqu. 1. 2. *d.* 120. *cap.* 3. Nota autem quòd Deus ad volitionem mendacij putati ex invincibili errore boni, & ad imperium supernaturale actus falsi putati ex invincibili errore veri, Deus, inquam, concurrit per auxilium supernaturale, & est causa per se talis volitionis mendacij, & talis erroris, ut docent Caietanus, P. Vasqu. C. de Lugo, P. Arriaga, P. Petrus Hurt. P. Ripald. *d.* 4. de Fide *sect.* 4. *n.* 37. *& tom.* 3. contra Baium *d.* 10. *n.* 13.

S. Th. P. Vasq. N. 61. Caietan. P. Vasq. C. de Lug. P. Arri. P. Petr. Hurtad. P. Rip.

Dices ex P. Eliz. 2. *p. lib.* 6. *qu.* 19. §. 7. *pag. mihi* 329. posse quidem *inconsideratissimos Recentiores* comminisci dari in Deo volitiones quasdam consequentes, quibus priores, & quasi omnes suas volitiones deroget, & nostris opinionibus subjiciat; reverà tamen Deus hoc facere non potest; *& quid, ò Deus, simili quâdam voluntate omnes tuas voluntates non abjecisti, & falsorum prophetarum, & Doctorum leges, & Hæreticorum opiniones non subjecisti, & eam constituisti supremam legem, quod quippe nobis videretur?* Hæc P. Eliz. Respondeo totum hoc instari in ignorantiâ invincibili; ergo ignorantia invincibilis erit suprema regula, cui Deus subdetur; tenetur igitur contra suam exclamationem declamare, & solvere argumentum: non ergo doctrina Catholica est inconsideratio Recentiorum, & sicut Deus non desinit in casu à nobis adducto contra Eliz. esse suprema regula, ita neque in casu, quem contra nos trahit, ut constat ex dictis, & ex dicendis.

N. 62. P. Eliz.

Objicies 3. Ex *cap.* 16. S. Joan. constat, quod ministri Anti-Christi, qui Christi Domini discipulos persecuturi sunt, adhuc peccaturi erunt, etsi ex errore arbitraturi sint obsequium se præstare Deo: ergo error honestatis non honestat actum ex se vetitum. Confirmat: quia ubi nulla est in objecto honestas, nulla etiam erit in actu circa illud versante: sed in objecto ex se malo, aut vetito nulla est honestas: ergo neque in actu.

N. 63. S. Joan. 16.

Respondeo 1. retorqueri, tùm in hoc, quòd invincibilis error honestatis non excusabit à peccato, quod est hæreticum; tùm in hoc, quòd error malitiæ, aut prohibitionis non reddet actum malum, quod etiam est hæreticum: ergo argumentum est ab eodem P. Eliz. solvendum. Respondeo 2. mi- P. Eliz. nistros Anti-Christi peccaturos, quia per errorem vincibilem arbitrabuntur obsequiũ se præstare Deo, nam nollent considerare inculpabilem Christi Domini discipulorum vitam, eorum sanctitatem, prædicationem, miracula.

N. 64. Ad confirmationem evidens est retorsio: deinde

deinde distinguo maiorem: Ubi nulla honestas realis, vel prudenter apparens per errorem invincibilem in objecto, nulla est honestas formalis in actu, concedo; ubi nulla honestas in re, attamen per invincibilem prudentem errorem putatur inesse rei, nulla est honestas formalis in actu, nego maiorem: & distinguo minorem: in objecto malo, aut vetito, cognito ut malo, aut vetito, nulla est honestas, concedo; in objecto malo, aut vetito, cognito per invincibilem errorem, ut licito, vel ut præcepto, nulla est honestas concepta ut realis, nego minorem, & consequentiam. Totum æquivocum derivatur, N. 65. quia non penetratur, quòd objectum non specificat actum, ut est in se, sed ut est in nostro intellectu, ut dixi *sect.* 1. §. 3. nec movet nisi ut cognitum: ergo si objectum ex se malum cognoscatur invincibiliter ut bonum, movet ut bonum; si ex se bonum cognoscatur ut malum, movet ut malum, & dabit actui voluntatis speciem mali, aut boni, prout cognoscitur; perinde enim est malitiam non esse in objecto, si ea non cognoscitur; & honestatem non esse in objecto, si non cognoscitur.

N. 66. Dices: Ergo cognitio dat speciem honestatis volitioni amanti objectum ex se malum, cognitum ut bonum. Respondeo, quòd ea volitio habet à se formaliter talem honestatem, quia est ex se conformis cum regulâ morum; causaliter autem habet à cognitione, & voluntate, (si cognitio effectivè concurrit ad volitionem) & objectivè habet ab objecto, ut cognito, seu ut in esse objecti, non autem ab objecto, ut est in se.

N. 67. Instas: Si operatio sequens ad invincibilem honestatis errorem est æquè honesta, ac sequens ad cognitionem honestatis veram, sequitur quòd, ut rectè operemur, necessarium non sit indagare veritatem. Respondeo aliud esse, quod operatio sequens ad cognitionem probabilem, vel errorem invincibilem honestatis sit honesta; aliud, quòd sit æquè honesta: primum est, quod litigatur, & affirmamus; secundum autem non est ad rem, pendet enim à quæstione, an perfe- P. Teril. ctior sit volitio sequens ad cognitionem perfectiorem. Scio P. Teril. de Reg. mor. *qu.* 4. dicere 1. quòd opus regulatum à cognitione evidenti sit perfectius, cæteris paribus, quàm regulatum tantùm à judicio probabili vero, aut ab errore invincibili: ait 2. quòd opus regulatum ab errore invincibili est æquè bonum, ac regulatum à cognitione probabili verâ. At quia hoc non est necessarium, non est disputandum, præsertim cùm facile sit invenire pro utraque sententiâ rationes, & omnes comparationes longiùs versandæ sunt, ut res sciatur, ut dixi in *tr. de Incarn.* ubi quæsivi, an tanta sit ratio honesti in actu bono, quanta inhonesti in malo; & tanta ratio meriti in meritorio, quanta demeriti in demeritorio; & tanta ratio satisfactivi in obsequioso, quanta offensæ in peccato; demum an pari passu crescant ratio honesti, meritorij, & satisfactorij.

§. II.

Alia ejusdem argumenta.

SUMMARIUM.

Ait, quòd volitio mendacij sit à Deo vetita, adeòque non possit esse bona, n. 68.

S. Thom. expressè dicit quòd conscientia erronea obligat, non virtute propriâ, sed virtute præcepti Divini, adeòque tuetur in Deo præcepta reflexa, n. 69.

Lex Dei directa vetat mendacium cognitum ut malum, non ut bonum, n. 70.

Ea volitio mendacij erit materialiter mala, sed moraliter bona, n. 72. 73.

Nulla repugnantia, quòd eadem actio sit materialiter difformis legi directæ, & moraliter conformis legi reflexæ, n. 74.

Nulla inter legem Dei directam, & reflexam oppositio, n. 75.

An volitio mendacij putati invincibiliter boni, sit materialiter mala? n. 76.

Aliud est dari in Deo leges reflexas, quales nos tuemur; aliud dari, quas Adversarij fingunt, n. 78.

Ex eo quia Deus est universalis legislator hominis, sive verè, sive falsò cognoscentis, admittendæ in Deo leges reflexæ, n. 80. 81.

Cur Deus jubendo mendacium putatum præceptum, non peccet? ibid.

DD. negantes esse absurdum, quòd Deus sit Author omnis actus mali putati invincibiliter boni, n. 82.

Dictamen invincibiliter errans est logicè falsum, ethicè verum, n. 83.

Cur error refundat in volitionem, honestatem, aut inhonestatem, non quantitatem? n. 84.

Dei bonitas est prima regula remota, & objectiva; dictamen, proxima, & formalis, num. 86. 87.

Cur cognitio dissentiens objecto, cui Deus assentitur, sit falsa; volitio autem prosequens objectum, quod Deus directè vetat, si putetur præceptum, sit bona? n. 88.

Cognitio perficitur à conformitate cum objecto ut est in re; ut volitio ab objecto, ut in mente, ib.

An Deus vetare possit actum supernaturalem? n. 90.

Veritas conveniens prudentiæ est ethica, non semper logica, n. 91.

Cur

Cur homo ſublato errore complacere nequeat de actu ex ſe malo, per errorem bono ? n.92.
Conſcientia eo ſenſu, quo eſt recta, nequit eſſe erronea; poteſt in alio, n.94.
Non omnis logicè vera, eſt ethicè recta; nec omnis logicè falſa, eſt ethicè non recta, ibid.
Oſtendo ſyllogiſmos reflexos paſſim neceſſarios, ib.

N. 68. OBjicies 4. Nulla volitio repugnans volitioni Divinæ eſt bona: ſed volitio mendacij putati invincibiliter præcepti eſt volitio repugnans Divinæ voluntati: ergo non poteſt eſſe bona. Minor probatur: quia talis volitio eſt difformis legi Dei vetanti mendacium; ergo eſt repugnans voluntati Dei. Confirmatur: quia nulla actio à Deo vetita, eſt à Deo permiſſa, aut imperata; aliàs darentur in Deo volitiones oppoſitæ de eodem: ſed actio, cujus malitia, aut prohibitio ignoratur, immò quæ per errorem ſupponitur bona, vel præcepta, eſt à Deo in re prohibita; ergo eadem, etſi ignorata ut mala, immò credita ut bona, non eſt moraliter bona, ſeu à Deo permiſſa, aut imperata.

N. 69. Reſpondeo 1. retorquendo; probat enim actionem in re honeſtam, conceptam ex errore, ut vetitam, non eſſe vetitam, quia implicat, ut quod eſt legi Dei conforme, ſit eidem difforme; & implicat, ut actio præcepta ſit vetita, & ut in Deo ſint leges oppoſitæ: deinde meminiſſe oportet doctrinæ S. Th. S. Th omæ ſuprà allatæ dicentis, *Quòd quamvis illud, quod ratio dictat, non ſit ſecundùm legem Dei, nec per ſe bonum, eſt tamen per accidens bonum, & ſecundùm legem Dei, quatenus ratio apprehendit illud ut bonum, & ut ſecundùm legem Dei.* Idem inſinuat S. Thom. in 2. *diſt.* 39. *art.* 3. *ad* 3. ait: *Conſcientia* (erronea) *obligat non virtute propriâ, ſed in virtute præcepti Divini, in quantum dictat hoc ut præceptum a Deo; & ideò dictamen conſcientiæ hujuſmodi, plus obligat, quàm præceptum Prælati, ſicut & præceptum Divinum, in cujus virtute obligat.* In

N. 70. formâ conceſſâ maiori, nego minorem: ad probationem nego antecedens; lex enim Dei directa vetans mendacium, non vetat mendacium cognitum ut bonum, aut ut præceptum, ſed cognitum ut malum: ſed in noſtro caſu, quando aliquis mentitur ſub errore invincibili, quòd mendacium ſit bonum, non cognoſcit illud ut malum: ergo in tali caſu non difformatur legi Dei, ut dixi *ſect.* 1. §. 3.

N. 71. Ad confirmationem, omiſſâ evidenti retorſione, revoco ad memoriam doctrinam ſæpe traditam *d.* 5. nempe vim *proximè* obligativam moralem legis prohibentis, aut præcipientis, pendere à noſtrâ cognitione, quæ ſi deſit, perinde eſt reſpectu non cognoſcentis, ac ſi lex non daretur. In formâ diſtinguo maiorem: Nulla actio à Deo vetita, & cognita ut à Deo vetita, eſt à Deo imperata, aut permiſſa, concedo maiorem; cognita per errorem, ut non vetita, immo ut à Deo imperata, eſt à Deo permiſſa, aut imperata, nego maiorem; tranſeat minor, & nego conſequentiam: eadem actio à Deo vetita quoad ſe, ſi cognoſcatur à me, ut à Deo imperata, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet vetita, ſed unicè imperata.

N. 72. Dices: Nulla actio legi Dei difformis eſt ei conformis, aliàs darentur in Deo leges oppoſitæ de eodem, eademque actio eſſet difformis ſimul, & conformis: ſed actio contra legem naturalem elicita, etſi ſub ignorantia invincibili malitiæ, eſt legi Dei difformis: ergo non poteſt ratione ignorantiæ invincibilis de malitiâ, & invincibilis erroris de honeſtate eſſe legi Dei conformis. Diſtinguo minorẽ: actio contra legem naturalem elicita, etſi ſub ignorantiâ malitiæ, eſt legi Dei materialiter difformis, tranſeat; eſt moraliter difformis, nego minorem, & conſequentiam.

N. 73. Dico itaque, quòd ea actio elicita contra legem naturalem, ſi ſubſtet ignorãtiæ invincibili malitiæ, eſt ad ſummũ *materialiter*, non autem *moraliter* difformis: eſt materialiter, quatenus eſſe poteſt objectivè, & in ſe mala; non autem eſt moraliter difformis, quia ut talis eſſet, deberet ejus malitia cognoſci. Quòd ſi invincibili ignorantiæ de malitiâ addatur invincibilis error honeſtatis, ſeu non tantùm non putetur mala, ſed invincibiliter putetur honeſta, aut præcepta, tunc eadem actio non tantùm non eſt moraliter difformis legi Dei directæ, aut reflexæ, ſed eſt moraliter conformis legi Dei reflexæ; eſt enim conformis ſapientiæ Dei, ut reflexè dictanti, & voluntati Dei, ut reflexè imperanti, ut me conformem ultimo dictamini conſcientiæ moraliter invincibili, & dictanti eam actionem eſſe præceptam, aut honeſtam.

N. 74. Nec in hoc quòd eadem actio ſit materialiter difformis legi Dei directæ, & ſit moraliter conformis legi Dei reflexæ, eſt ulla repugnantia; eo modo, quo nulla eſt repugnantia in hoc, quòd eadem actio ſit materialiter conformis legi Dei directæ, & ſit moraliter difformis legi Dei reflexæ, ut patet in eo, qui ex errore invincibili putat vetitam ſibi eſſe die feſto auditionem ſacri; eadem enim auditio eſt materialiter conformis legi directæ, & eſt moraliter difformis legi reflexæ. Similiter nulla eſt oppoſitio inter

N. 75. legem Dei directam vetantem pro omni caſu mendacium cognitum ut malum, &

legem

legem Dei reflexam imperâtem hìc,& nunc, ut ſervetur vita innocentis, mendacium putatum ex invincibili errore eſſe præceptum: nam directa vetat mendacium cognitum ut malum; reflexa imperat, aut permittit mendacium cognitum ut præceptum, aut ut bonum, atque adeò quantum diſtat objectum legis directæ ab objecto legis reflexę, tantum abeſt ab ijs legibus oppoſitio.

N. 76. Permiſi autem, quòd mendacium putatum invincibiliter ut bonum, ſit *materialiter* difforme legi Dei directæ, nam in diſtinctione minoris dixi *tranſeat*; adhuc enim negari poſſet, quod illud mendacium putatum invincibiliter bonum, ſit materialiter malum, ſeu difforme legi Dei directæ. Ratio eſt; quia lex Dei directa vetat mendacium cognitum ut vetitum: ſed in noſtro caſu cognoſcitur ut bonum, & ut præceptum: ergo in noſtro caſu mendacium nequidem eſt materialiter malum, & phyſicè difforme legi Dei directæ. Quia tamen recedere nolo à N. 77. communi loquendi modo, dixi, tranſeat, & ideò do mendacium eſſe phyſicè difforme legi Dei directæ, adhuc nulla eſt repugnantia, quod tunc ſit phyſicè, & moraliter conforme legi Dei reflexæ; nulla enim eſt repugnantia, quòd idem ſit phyſicè conforme uni legi, aut virtuti, & ſit phyſicè difforme alteri legi, & virtuti; nam materia temperantiæ eſt phyſicè difformis virtuti jejunij; materia liberalitatis paupertati; materia matrimonij virginitati; immo in caſu, quo quis invincibiliter putet auditionem ſacri eſſe die feſto ſibi vetitam, in hoc caſu eadem auditio eſt phyſicè conformis legi Dei directę imperanti auditionem die feſto; & eſt phyſicè, & moraliter difformis legi Dei reflexę vetanti eamdem auditionem ei, qui invincibiliter putat eſſe directè vetitam.

N. 78. Inſtabis, non videri credibile dari in Deo tales leges reflexas, mentire, furare, &c. adde, quòd etſi darentur, lex mentiendi non cognoſcitur à mentiente: ergo mendacium in caſu, quo quis putet invincibiliter eſſe præceptum, non erit moraliter conforme voluntati Dei reflexæ; nam noſtra volitio non poteſt eſſe conformis volitioni Dei reflexæ, niſi hęc cognoſcatur: ſed qui mentitur, non cognoſcit hanc reflexam Dei legẽ, *mentire*: ergo ea volitio mentiendi non eſt cõformis legi Dei reflexę. Concedo antecedẽs, nempe non dari *tales* leges reflexas in Deo, *mentire*, *furare*; & nego ſuppoſitum antecedentis; ſupponit enim arguens, ex eo quòd ego nego in Deo tales leges reflexas, mentire &c. me negare in Deo leges reflexas: concedo itaque in Deo leges reflexas, & ſimul nego tales, quales trahit arguens: illud enim *mentire* non eſt lex reflexa; lex enim reflexa verè exiſtens in Deo eſt hæc: *Obedi dictamini invincibiliter erroneo*: *Quoties invincibiliter putas mendacium eſſe præceptum, mentire*; non autem eſt nudum *mentire*, quia, ut dixi, lex Dei, aut noſtra reflexa ſupponit ignorantiam, & errorem invincibilem: ergo præceptum Dei, aut noſtrum reflexum debet eam ignorantiam, aut errorem exprimere, & eſſe de *mendacio invincibiliter putato ut honeſto*. Præterea monendi ſunt Adverſarij, ne indignum præceptis noſtris, aut Dei reflexis modum tribuant, nempe includentem objectum malum cognitũ ut tale; hoc enim fieri non debet; quomodo, dum quis ex invincibili errore putat rem ex ſe bonam eſſe vetitam, debet legi reflexæ eam rem vetanti talem modum tribuere, qui non exprimat rem illam in ſe præceptam. Vide quæ dixi *ſect.* 1. §. 2.

Ad additum dico verum eſſe, quòd volitio N. creata non poteſt eſſe conformis volitioni 79. Dei, aut dictamini conſcientiæ reflexis, niſi ea cognoſcat; nego tamen quod, dum homo errans operatur, non cognoſcat eas leges reflexas, cognoſcit enim ſaltem confuſè ſub his terminis, quòd debet ſe, & opus ſuum conformare primæ regulæ objectivæ, & proximæ regulæ formali ſibi hìc, & nunc inſitæ ut rectum ſit.

Objicies 5. Si homo invincibiliter putans N. mendacium eſſe honeſtũ, honeſtè operatur, 80. ſequitur, quòd Deus ſaltem imperando, aut illud conſiliando peccet: ergo non datur in Deo lex reflexa ex ſuppoſitione noſtri erroris. Nego ſequelam, quam contra P. Eliz. retorqueo; tum quia ſentit errorem ſaltem P. Eliz. excuſare à peccato: ergo Deus conſiliando illud mendacium putatum ex errore non malum peccat; tum quia P. Eliz. judicat peccare, qui opus bonum putans ex errore malum exequitur: ergo Deus conſiliando hoc opus putatum ex errore malum peccat: ergo argumentum ab eo ſolvendum.

Ratio cur Deus neque in caſu objectio- N. nis, neque in caſibus retortis non peccet, eſt; 81. quia cùm Deus quatenus ſumma Veritas nõ teneatur non permittere in hominibus ignorantiam, & errorem; quatenus autem ſupremus Legislator teneatur etiam, ſuppoſitâ noſtra ignorantiâ, & errore, nos dirigere, conſequenter tenetur etiam in hoc caſu dare regulam, cui homo benè operando conformetur, & malè operando difformetur; quare, ut dixi *ſect.* 1. §. 2. *ſciendo* 5. Deus primariò, & directè vult, ut nos ſuæ voluntati directæ, ſi nobis nota ſit, conformemur; ſi autem

tem ignota sit, vult per accidens, ut conformemur erroneo conscientiæ dictamini, & suæ Divinæ reflexæ voluntati cum errorem supponenti.

N. 82. Addo quòd omnia argumenta, quibus in Philosophiâ, & in Theologiâ probatur, & probavimus, Deum non peccare concurrendo ad nostra peccata, etiam dum scimus ea esse peccata, multò magis probare Deum non peccare imperando ex. gr. mendacium putatum bonum; non enim imperat mendacium cognitum à mentiente ut malum, sed imperat mendacium invincibiliter creditum à mentiente, non esse malum, immò esse à Deo præceptum: ergo Deus nullum malum consiliatur, & imperat. Vide P. Esparza de Act. Hum. *qu.*24. P. Teril. *qu.*28. P. Thyrsum *tom.*4. *d.* 5. *sect.*14. P. Oviedo, & alios passim. Addo hoc argumentum esse ex penu Baianorum, ut docte P. Ripald. *tom.*3. *d.*10. *n.* 13. *&* 14. qui plurimos Theologos citat sentientes nullum esse absurdum ejusmodi actiones ex ignorantiâ invincibili, etsi contra legem naturalem, in Deum referre.

P. Espar. P. Teril. P. Thyr. P. Ovie. P. Rip.

N. 83. Dices: Implicat aliquid fieri rectum per conformitatem ad non rectum: sed ratio invincibiliter errans non est recta: ergo volitio ei conformis non potest esse recta. Sed retorqueo contra P. Eliz. Ergo volitio sequens ad rationem errantem non potest esse non peccaminosa: ergo ratio invincibiliter errans non excusat à peccato. In formâ distinguo minorem: ratio invincibiliter errans non est recta speculativè, transeat; practicè, & ethicè, ut benè Teril. *qu.*3. de Reg. mor. à *n.*54. per conformitatem cum regulis morum, nego; est enim dictamen practicè infallibiliter verum, quòd tenear exequi quod invincibiliter judico præceptum: de quo uberiùs infrà, ubi an conscientia invincibiliter erronea possit esse regula morum.

P. Teril.

N. 84. Instabis: Electio honesta ut duo, non fit, ex errore de honestate ut centum, aut infinitè, honesta ut centum, nec honesta infinitè: ergo volitio ex se mala non fiet honesta ex errore, quòd fit honesta. Nego consequentiam, & ad disparitatem tenetur Adversarius. Ego illam dedi *sect.*1. §.2. *sciendo* 3. *&* 4. dixi enim aliquos esse effectus formales actuum humanorum, qui pendent ab objecto, sive per cognitionem veram, sive per falsam proposito; aliqui ab alijs circumstantijs. Honestas, & inhonestas actus pendet à qualibet cognitione honestatis, aut inhonestatis, sive verâ, sive falsâ; quantitas autem honestatis pendet ab alijs circumstantijs, quæ si reverà non dentur, etsi dari putentur, non ideo ea quantitas dabitur. Addo, quòd electio, de quâ est sermo in antecedenti, non conformatur volitioni Divinæ directę, aut reflexæ reverà existenti, sed tantùm putatę; electio autem posita in consequenti conformatur volitioni Dei reflexæ reverà à parte rei existenti. Recole dicta *l.c.*

Objicies 6. ex Eliz. *lib.* 3. *qu.* 4. §. 4. Dei bonitas moralis est prima regula omnis bonitatis moralis creatæ: ergo cùm omnis volitio furti, & homicidij repugnet Divinæ bonitati morali, omnis talis volitio est mala. Confirmat 1. quia sicut se habet veritas ad intellectũ, ita honestas ad voluntatem: ergo sicut repugnat, ut intellectus dissentiens objecto, cui Deus assentitur, sit verus; ita etiam ut voluntas amplectens objectũ, quod Deus prohibet, sit honesta. Confirmat 2. quia si falsa existimatio tribuit semper actui bonitatem, & malitiam, etiam falsa existimatio invincibilis, quòd quis sit in gratiâ, tribuet actui meritum de condigno; & invincibilis existimatio, quòd mortale sit malitię infinitę, tribuet actui malitiam infinitã; sed hæc falsa sunt; ergo etiã falsum est, quòd error invincibilis honestatis tribuat volitioni honestatem. Hæc, & alia P. Eliz. *pag.mihi* 147. qui mirabilia trahit, ut veram sententiâ evertat.

N. 85. P. Eliz.

Respondeo 1. omnia evidenter retorqueri, & ab eo solvenda, nisi sua principia deserat; nam docet conscientiam invincibiliter erroneam non esse malam, & excusare à peccato, licèt neget honestare actum, & esse bonam: quæro igitur, quomodo volitio furti invincibiliter putati boni non sit mala, cùm tamen repugnet voluntati Divinæ, quæ est prima regula bonitatis moralis? Rursus quęro, an illa volitio sit à Deo Authore? nam Deus est Author omnis actus positivi, qui nõ est malus. Demũ quæro, cur invincibile judicium de bonitate furti sit falsum, e contra volitio de eodem furto non sit mala, etsi juxta eum non sit bona? In formâ distinguo: Dei bonitas moralis est prima regula remota, & objectiva, concedo; proxima, nego antecedens, & nego suppositum consequentis; supponit enim, quòd volitio furti crediti invincibiliter boni repugnet Dei bonitati, quod est omnino falsum, imò oppositum est verũ; Deus enim vetat tantùm furtum cognitũ, ut malum, non autem cognitum, ut bonum.

N. 86.

N. 87.

Ad primã confirmationem fateor erroré, etsi invincibilis sit, semper esse malũ intellectus, atque adeò meus dissensus, etsi invincibilis, si cõtrarius sit assensui Divino, erit semper physicè malus meo intellectui, quia perfectio intellectus est sola veritas, ut est in se, & intellectus nõ nisi physicè perficitur: ecõtra perfectio actuum voluntatis est perfectio mora-

N. 88.

moralis, adeòque non est sola honestas, ut est in se, sed ut est in intellectu: imò, ut argumentum pateat esse nullum, quæro à P. Eliz. cur error semper sit malum intellectus; econtra volitio objecti mali putati invincibiliter boni, non sit malum voluntatis, nisi materiale, non autem morale, seu formale?

P. Eliz.

N. 89. Ad secundam patet ex paulo antè dictis, & eam retorqueo: cur volitio objecti mali putati invincibiliter boni non sit mala, ut docet P. Eliz. etsi juxta eumdem nec sit bona; econtra volitio committendi peccatum infinitæ malitiæ non sit infinitæ malitiæ? dein dico bonitatem, & malitiam pendere ab ipso actu intellectus, sive vero, sive falso, proponente bonitatem, aut malitiam; condignitas autem meriti non pendet ab actu intellectus vero, aut falso, proponente me esse in gratiâ, sed pendet à statu gratiæ. Lege P. Teril. *qu.* 3. de Reg. mor. *a n.* 64.

P. Eliz.

P. Teril.

N. 90. Dices: Deus non potest prohibere actum internum supernaturalem, ex. gr. fidei, vel amoris Dei: ergo neque præcipere actum ex se malum. Nego primò antecedens cum communi, quam sequitur P. Ripald. *d.* 50. de Ente *sect.* 8. & P. Oviedo 1.2. *tr.* 4. *contr.* 7. *n.* 46. potest enim Deus habere motivum prohibendi illum, ut prohibuit esum indifferentem. Secundò transeat antecedens, & consequentia, quæ non est ad rem, nisi suppositâ nostrâ ignorantiâ.

P. Rip. P. Ovie.

N. 91. Objicies 7. Omnis volitio honesta regulatur à prudentiâ: sed nulla volitio conformis rationi invincibiliter erràti regulatur à prudentiâ: ergo nulla talis potest esse honesta. Minor probatur; quia ratio errans non est actus prudentiæ, cùm enim prudêtia sit virtus intellectus, omnis ejus actus debet esse verus.

Respondeo, hoc alibi ex professo tractandum, nempe, an omnis actus prudentiæ debeat esse *speculative* verus: modò satis est dicere, quod omnis debet esse verus veritate propria prudentiæ, quæ est practica, & sumitur à conformitate cum regulis morũ, seu appetitu recto, ut docet M. Mercor. M. Baron. in Ethic. Christ. *d.* 1. P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. *n.* 43. veritas enim virtuti prudentiæ conveniens, non est necessariò semper speculativa, sed practica, consistens in hoc, quòd operatio, quam dirigit, evadat recta, seu conformis regulis morum. In formâ nego minorẽ; ad probationem distinguo: ratio errans speculative non est actus prudentiæ, nego; errans practicè, concedo. Vide, quæ dixi *sect.* 1. §. 3. *in ratione* 5. & plura paulò pòst.

M. Mer. M. Bar. P. Moy.

N. 92. Dices ex P. Elizal. *lib.* 5. *qu.* 18. §. 1. & 2. *à pag. mihi* 137. Si actiones, & volitiones ex se turpes evadunt ex errore honestæ, posset Deus eas suadere, imò sublato errore posset quis de illis complacere. Respondeo, supposito nostro invincibili errore, quod sint bonæ, Deum eas suadere; nego tamen, quòd postquam cognovi veritatẽ de earum malitiâ materiali, possim de illis, si sunt materialiter ex se malæ, complacere; eo modo, quo non possum complacere de homicidio involuntariè perpetrato, nec de involuntariâ pollutione, quia sunt objecta ex se materialiter mala; multiplicat autem verba P. Elizal. dum ait, quod actiones illæ ob ignoratam legis promulgationem non sint materialiter malæ; sunt enim ex se materialiter malæ, quatenus sunt vetitæ, quia malæ, & legis notitia non dat materialem, sed formalem malitiam respectu scientis, & eas perpetrantis.

P. Eliz.

Objicies 8. ex eodem *lib.* 3. *qu.* 5. *a pag. mihi* 150. Conscientia dividitur in rectam, & erroneam tamquam in membra opposita: ergo nulla conscientia erronea est recta: ex quo infert, quod cùm omnis conscientia probabilis sit vera, vel falsa, consequenter omnis vera erit recta, omnis falsa erit erronea. Deinde totus est in evertendo hoc syllogismo reflexo: Licet mihi, quod non apparet peccatum: sed quod proponitur per dictamen probabile directum, non apparet peccatum: ergo licet: ait enim esse inutilem, & nihil enuntiare de objecto directo, an sit, vel non sit peccatum, sed supponit enuntiatum.

N. 93. P. Eliz.

Respondeo, quòd quando conscientia dividitur in rectam, & erroneam, tunc pro recta venit conscientia logicè vera, huic enim opponitur conscientia erronea, seu logicè falsa; & nulla conscientia eo sensu, quo dicitur recta, est in eodem sensu erronea; & econtra nulla eo sensu, quo est erronea, est in eodem sensu recta: quòd si per conscientiam rectam veniat ea, quę est ethicè recta, tunc talis potest esse speculativè erronea, ut est omnis conscientia invincibiliter erronea.

N. 94.

Ad illationem dico conscientiam probabilem falsam esse posse ethicè veram, & rectã; & sic nego omnem conscientiam probabilem veram esse rectam, & omnem falsam esse erroneam. Ad aliud dico, ut constat etiam ex ejus *libro* 6. 7. & 8. in quibus totus est in impugnando hos syllogismos reflexos; dico, inquam, sæpe esse necessarios, ut patet in sexcentis: Adoranda est Hostia, quæ proponitur invincibiliter ut consecrata; sed hæc mihi ita proponitur; ergo est adoranda: Ecce certus sum me benè operari adorando, non tamen sum certus de consecratione: ita in casu nostro per conscientiam probabilem non sum certus, quòd tale objectum non sit

peccatum in se; sum tamen certus, me non peccare formaliter per syllogismum reflexum adductum.

N. 95. Palanc. Abstineo à ferendis Palanco argumentis; tùm quia coincidunt cum allatis, tùm quia *sect.* 4. ea afferemus, cùm perinde sit; ut enim conclusio sequens est ferè eadem, ac præterita, ita argumenta, quæ stant contra unam, stant contra aliam.

SECTIO III.

An conscientia invincibiliter erronea esse possit regula morum, contra P. Eliz. & Palanco?

SUMMARIUM.

Omnis conscientia invincibiliter erronea, si sit certò prudens, & certò saltem probabilis de honestate operis est morum regula. DD. n. 96.

Laudatur M. Mercor. qui docet, Deum pro regulâ dedisse conscientiæ dictamen: Cur? num. 99.

Tenemur sequi rationis ductum, etsi erroneum, n. 100.

Non omnis mensura, (ait S. Thom.) debet esse certa, n. 101.

Conscientia invincibiliter falsa est conformis primæ morum regulæ, n. 102.

Satis ut sit practice vera, ut sit morum regula, n. 103.

Satis ad scientiam moralem, ut ejus veritas sit practica, ibid.

Quid veritas speculativa, quid practica? n. 104.

Non repugnat, ut conscientia sit simul speculativè falsa, & practice vera, n. 106.

Conscientia temeraria est sæpe logicè vera, & practicè falsa; & econtra sæpe est logicè falsa, practicè vera, n. 107. 108.

Rejicio Celladei volentem, quòd sola conscientia vera sit recta, & sola recta sit vera, num. 109.

Regula formalis morum est illa, quæ proponit objectivam, n. 110.

N. 96. IDem est quærere, an conscientia erronea invincibiliter esse possit regula morum, ac quærere, an conscientia invincibiliter erronea esse possit moraliter recta, nam se mutuò inferunt.

N. 97. Mea conclusio est, quòd omnis conscientia invincibiliter erronea, si sit certò prudens, & de operis rectitudine certò saltem probabilis, est moraliter recta, atque adeò est regula morum. Hanc conclusionem sustinent quotquot *sect.* 2. in nostri favorem citavimus, nempe S. Thom. 1. 2. *qu.* 19. *art.* 5. & in secundum *dist.* 39. *art.* 3. *ad* 3. & *qu.* 17. de Veritate *art.* 4. P. Vasqu. *d.* 58. *cap.* 2. S. Th. P. Vasq.

Mercor. 1. *p. art.* 6. *pag.* 13. P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. Philalet. *qu.* 1. *pag.* 12. & *pag.* 90. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 2. *n.* 5. Hermx *tom.* 2. *d.* 4. *qu.* 2. *a.* n. 7. P. Teril. *qu.* 1. de Reg. mor. *n.* 10. & *qu.* 3. per totam, & *qu.* 35. *a.* n. 2. & ferè omnes contra Baium, Jansenium, Eliz. *lib.* 3. per totum, & Palanco *qu.* 6. M. Mer. P. Moy. Philal. P. Ovie. Herinx. P. Teril. Ba us, Jansen. P. Eliz. Palanc.

Dixi, *si sit certo prudens*; si enim sit ex levi fundamento, tunc non erit moraliter recta, immò nec erit invincibiliter, sed vincibiliter erronea.

Dixi etiam, *si sit certò probabilis de operis rectitudine*, quia, ut fusè probabo infrà, non satis est probabilitas probabilitatis, sed debet adesse certitudo probabilitatis in opinione, quam sequor.

Probatur priùs secunda pars, quę est evi- N. dens; nam omnis conscientia moraliter re- 98. ctа potest esse regula morum: ergo si invincibiliter erronea est moraliter recta, poterit esse regula morum. Confirmo: quia esse regulam morum non est, nisi esse regulam volitionum, in his enim residet moralitas, seu conformitas cum rectâ ratione, & lege Dei: sed regula volitionum proxima, & formalis est sola conscientia moraliter recta, ut dixi *disp.* 5. *in notandis*: ergo conscientia moraliter recta, est regula morum: ergo si conscientia invincibiliter erronea est moraliter recta, est regula morum.

Prima pars probatur; placet autem in N. medium trahere formalia verba M. Mercori, 99. ut tanto magis eluceat falsitas sententiæ, M. Mer. quam tradit P. Eliz. qui non tantùm recedit à nobis, sed à præcipuis Anti-Probabilistis, dum vult, *solam veritatem* esse regulam morum. Ait ergo M. Mercor. *pag.* 13. N. Licet bonitas nostrarum operationum pen- 100. deat ab objecto, ut est conforme legi æternæ; attamen, quia sæpe ignoramus, quid jubeat, & quid vetet lex æterna, quid ea admittat pro honesto, quidque ea repudiet, ideò Deus *pro secundâ regulâ dedit nobis dictamen rationis, cui teneremur conformari, esto aliquando sit erroneum*; quia cùm hoc sit per accidens, non ideò amittit rationem regulæ; ut enim melius est, ut milites obediant semper Tribuno præcipienti nomine Regis, esto aliquando possit præcipere, quod non præcepit Rex, & tunc adhuc longè melius est obedire, quia longè maius malum est, si numquam obedirent, quàm si semel obediant in eo, quod non præcepit Rex; & longè maius bonum est, quod resultat ex tali obedientiâ, quàm damnum, quod aliquando potest accidere ex eo, quòd aliquando obediant Tribuno, Rege non præcipiente, seu damnum, quod aliquando evenit ex errore acciden-

accidentali Tribuni: ita Dei providentia præcipit, *ut in omni re sequamur dictum rationis, etsi aliquando erraremus, & exequeremur id, quod est verè contra Deum*; quia maius bonum est, quod ex dicto præcepto universali resultat, quàm sit inconveniens, quod ex errore aliquando contingit; quia, ut ait S. Th. *qu. 91. de Leg. art. 3. Non oportet, quòd omnis mensura sit omnino infallibilis, & certa, sed secundùm quod est possibile, in genere suo*: ergo non obstat, ne dictamen rationis sit regula, quod aliquando sit erroneum, quia plerumque est verum. Hæc sapienter M. Mercor. qui dat rationem in verbis adductis, cur teneamur parêre dictamini erroneo, & esse per accidens si erremus, & dictamen erroneum esse regulam, ut diximus hic *sect. 2. §. 1.*

N. 101. D.Th. M.Mer

N. 102. Eadem prima pars probatur, & quidem evidenter ex his, quæ diximus contra Baiũ, Jansenium, & P. Eliz. quia conscientia invincibiliter erronea potest esse conformis primæ regulæ morum; ergo potest esse moraliter recta. Antecedens patet; quia excusat à peccato, immò reddit honestum opus sub ea positum; ergo potest esse moraliter recta.

N. 103. Confirmo enervando præcipuum sententiæ adversæ argumentum: Eatenus conscientia invincibiliter erronea non potest esse moraliter recta, seu regula morum, quatenus non est speculativè vera, sed non est necesse, ut talis sit, satis enim est, ut sit practicè vera; id est, non est necesse, ut actus conscientiæ sit conformis suo objecto, quod repræsentat, sed satis est, ut actus conscientiæ sit conformis regulis morum, juxta quas dirigit opus: ergo conscientia invincibiliter erronea potest esse moraliter recta. Minor probatur: quia cùm finis scientiæ moralis, sive naturalis, sive supernaturalis, sit dirigere mores, consequenter veritas scientiæ moralis debet esse practica, eademque veritas sumi debet ex consonantiâ, tum actus intellectualis conscientiæ dirigentis practicè ad opus, tum ipsius operis, quod dirigit, cum primis regulis morum. Econtra cùm finis Philosophiæ sit cognoscere res, ut sunt in se, consequenter ejus veritas est speculativa, & sumi debet à conformitate actus cum objecto speculato: ergo ut conscientia sit moraliter recta, satis est, ut sit practicè vera. Dixi autem supra fusè *d. 5. in notandis*, quòd ille actus est speculativè verus, qui suo objecto se conformat repręsentando illud, ut est in re; ille practicè verus, qui se, & objectum, seu opus, ad quod dirigit, conformat exercitè ipsis regulis morum, nempe conscientiæ, quatenus conscientia se conformat in dirigendo ipsum opus illis regulis directivis.

N. 104.

Confirmo totum hoc paritate ineluctabili: Ut enim Deus non jubet, ut verba rem à parte rei, ut est in se, æquent, dum jubet ne mentiamur, ne falsum testimonium dicamus; sed tantùm jubet, ut verba exprimant rem, qualis prudenter creditur esse; ita dum jubet, ut eum colamus, amemus, & homines diligamus &c. non jubet, ut actiones honestatem à parte rei æquent, sed tantùm ut honestatem exprimant, qualis prudenter per judicium certò probabile creditur esse.

N. 105.

Probatur 3. hæc prima pars: Licèt enim repugnet eamdem conscientiam esse simul speculativè veram, & speculativè falsam, aut simul esse practicè veram, & practicè falsam, non tamen repugnat simul esse speculativè falsam, & practicè veram, ut expressè fatetur M. Baron. in defensione Fagnani *p. Manuduct. ad Theol. Mor. d. 4. sect. 1. art. 3. §. 1. pag. mihi* 358. ait enim minùs probabilem, dummodo tutiorem, esse sæpe speculativè falsam, & semper practicè veram, quatenus verum est eam opinionem non esse contra legem, cùm stet pro eâ; sed conscientiam esse erroneâ non est, nisi esse speculativè falsam quoad objectum, quod repræsentat, repræsentando objectum aliter, ac est in re; & conscientiam simul esse ethicè, & practicè veram non est, nisi esse conformem primis regulis morum directis, vel reflexis Synderesis, aut ipsius Dei: ergo non repugnat conscientiam simul esse erroneam, & moraliter rectam. Maior probatur: Nulla est repugnantia, quòd ultimum conscientiæ dictamen sit in repręsentando naturam talis operationis speculativè falsum, & simul sit in dirigendo voluntatem ad illam operationem; sit, inquam, verum, seu conforme regulis directivis morum, ut accidit in hoc actu, *Hæc Hostia consecrata est adoranda*; qui actus est falsus quoad consecrationem, & est verus quoad adorationem; nam Hostia putata invincibiliter consecrata est adoranda: similiter in hoc, *Hæc uxor est mea, adeòque licet accessus ad illam*; ut accidit ipsi Jacob: qui actus est falsus quoad hoc, quòd talis mulier fuerit ejus uxor, & est verus quoad accessum, quatenus cuique licet accedere ad mulierem putatam invincibiliter propriam uxorem.

N. 106. M. Bar.

Ratio à priori est; quia omnis conscientia practicè in dirigendo voluntatem ad opus conformis primæ regulę morum est practicè vera: sed omnis conscientia speculativè falsa, si sit invincibiliter falsa, est practicè conformis primæ regulę morum objectivæ, & formali, quę sunt principia Synderesis, & Dei reflexa: ergo omnis conscientia invin-

N. 107.

cibiliter speculativè falsa est practicè vera. Ut enim paucis verbis rem totam concludit
P.Vasq. P. Vasqu. *l. c.* toties ratio est recta, quoties est conformis regulis morum, non autem necesse est, ut sit conformis rei, quam enuntiat: ergo volitio tali rationi conformis erit moraliter recta.

N. 108. Confirmo: quia non omnis conscientia speculativè vera est moraliter recta; nec omnis moraliter recta est speculativè vera; nam omnis conscientia temeraria, & improbabilis, etsi sit vera, non est moraliter recta; & omnis erronea invincibilis, etsi sit speculativè falsa, est moraliter recta: ergo aliqua speculativè vera non est moraliter recta, & aliqua moraliter recta non est speculativè vera: ergo aliqua moraliter recta potest esse speculativè falsa, seu invincibiliter erronea.
P.Teril. Nam, ut ait P. Teril. *qu.* 3. de Reg. mor. *n.* 74. Theologi potiùs in materiâ de Conscientiâ non respiciunt ad veritatem logicam, quia sæpe contingit homines æquè peccare sequendo conscientiam veram, ac falsam: ergo potiùs respiciunt veritatem ethicam.

N. 109. P.Eliz. Ex hâc doctrinâ infertur 1. errasse P. Eliz. non tantùm, dum docuit solam conscientiam veram esse rectam, sed etiam dum docuit solam conscientiam rectam esse veram: primum patet ex dictis, ubi distinximus veritatem à rectitudine, & quia si sola conscientia vera esset recta, error invincibilis non excusaret, immò qui sequeretur conscientiam temerariam speculativè veram, benè operaretur: secundum etiam patet; quia sæpe conscientia falsa est ethicè recta, nec tamen est vera; potest enim opinio probabilior, immò probabilissima, esse falsa, & tamen est ethicè recta.

N. 110. P.Eliz. Infertur 2. iterùm errasse dum in *Appendice de Naturâ opinionis qu.* 9. *initio* docuit, conscientiam erroneam non posse esse regulam morum; si enim loquatur de invincibiliter erroneâ, non tantùm excusat à peccato, sed etiam est per accidens regula formalis morum. Ratio est, præter allatas hìc *sect.* 1. quia illud judicium est regula formalis morum, per quod regula objectiva morum proponitur: ergo omne judicium conscientiæ, sive prudenter verum, sive invincibiliter falsum, proponens tale objectum esse honestum, est regula formalis morum. Confirmo: quia æquè repugnat operationem humanam elici sine regula formali, ac sine objectivâ: sed repugnat elici sine objectivâ, in quam operans respiciat; ergo repugnat elici sine regulâ formali proponente objectivam: sed judicium conscientiæ proponens objectivam est per omnes TT. regula formalis: ergo judicium conscientiæ, sive verum, sive invincibiliter falsum, est regula formalis.
Addit P.Teril. de Reg.mor. *qu.*35.*n.*3. omnes, excepto Celladei, supponere conscientiam invincibiliter erroneam esse regulam morum, tum quia excusat operationem ab omni malitiâ formali, ut ipsemet Eliz. docet; tum quia dat honestatem actui. Plura Teril. qui ita arguit contra Eliz. Per te ra- P.Eliz.
tio probabilis, si sit vera, est regula; peto modò de aliquâ ratione particulari, an sit regula: dicere debes, Fortè est, fortè non est; sicut fortè est vera, fortè non est vera: ergo ponis regulam non regulam; ponis enim pro regulâ id, quod discernere non possumus à non regulâ: ergo frustra negas rationem invincibiliter erroneam esse regulam, cùm & re ipsâ regulet, & frequenter certò cognoscere possumus reflexè, quòd operatio non fuerit mala, sed bona. P.Teril.

SECTIO IV.

Solvuntur objectiones.

§. I.

Quia nullum difforme potest esse conforme: & quia est oppositio inter conscientiam, & legem Dei.

SUMMARIUM.

Arguitur, quia nulla conscientia speculativè falsa potest esse conformis sapientiæ Dei, & principijs Syndereseos speculativè veris, n.111.
Ad ultimum conscientiæ dictamen, quod est quasi conclusio, non satis principia Syndereseos directa, & reflexa, sed necessaria alia propositio, à quâ resultet, n.112. 113.
Ostendo conscientiam non tantùm præsuppositivè, sed formaliter logicè falsam, esse conformem regulis morum, n.114.
Hoc S.Bonaventura valdè egregiè exponit, ibid.
Quale sit objectum conscientiæ proximum, quale remotum, n.115.
Idem judicium potest simul esse speculativum, & practicum; immò speculativè falsum, & practicè verum, n.117.
Unde sumatur veritas, & falsitas speculativa, unde veritas, & falsitas practica? n.118.
DD. tuentes posse actum supernaturalem esse intrinsecè honestum, & extrinsecè inhonestum, n.119.
Idem judicium potest esse simul falsum, & verum, diverso genere falsitatis a veritate, n.120.
Paritas horologij est apertè contra Celladei, n. 121.
Principia sapientiæ Divinæ, & Syndereseos humanæ

mana directa sunt regula objectiva, quoties objectum cognoscitur ut est in se; reflexa, quoties subest cognitioni falsæ, n. 122.
Repugnat, ut opus sub diversis circumstantijs reguletur ea regulâ, quâ antè, ibid.
Conscientia formaliter logicè falsa est conformis principijs reflexis, n. 123.
Principia, sive directa, sive reflexa, Dei, & Synderesis, sunt, tum logicè, tum practicè vera; non ita ultimum dictamen invincibiliter falsum, n. 124.
Est falsum juxta id quod repræsentat, & verum juxta id, quod dictat, n. 125.
Nulla oppositio, sive inter principia directa, & reflexa Dei, sive inter principia directa, & reflexa Synderesis, sive inter volitionem directam, & reflexam, Divinam, & humanam, n. 126. 127.
Nostra doctrina harmonia, n. 128.
Ostendo judicium logicè formaliter falsum esse practicè conforme principijs reflexis sapientiæ Divinæ, & humanæ, n. 129.
Cur principia directa, & reflexa sint semper logicè vera, ultimum autem dictamen sit sæpe logicè falsum? n. 130.
Palanco ait, quod falsitas speculativa non nisi judicio speculativo, non autem practico conveniat, adeoque vult repugnare, ut conscientia dictamen sit simul speculativè falsum, & practicè verum: Rejicio, n. 131. 132.

N. 111. OBjicies 1. Nullum erroneum, & difforme potest simul esse rectum, & conforme; ut patet in indice solari, qui non potest simul esse rectus, & errans: ergo nulla conscientia erronea potest simul esse moraliter recta. Confirmatur: Regula morum, cui conscientia, ut sit moraliter recta, debet esse in dirigendo conformis, non tantùm sunt prima principia Synderesis, & prudentiæ, sed etiam ipsa infallibilis sapientia Dei de objecto, circa quod versatur actus prudentiæ: sed nulla conscientia speculativè falsa, seu difformis suo objecto enuntiato potest esse conformis primis principijs necessariò veris, & infallibili sapientiæ Dei de tali objecto; alias judicium falsum, & judicium verum de eodem objecto essent inter se conformia, quod repugnat: ergo nulla conscientia speculativè falsa potest esse moraliter recta.

N. 112. Ut hoc argumentum evidenter solvam, notanda sunt diligenter, quæ dixi suprà *d.* 5. dixi enim quod cùm principia Synderesis tam directa, quam reflexa non sint satis ad ultimum conscientiæ dictamen de honestate, aut inhonestate operationis, ideò assumenda est alia propositio minor, quæ sit cognitio talis objecti, vel ut est in se, vel ut est in mente nostrâ, quæ cognitio modò est actus scientiæ, modò prudentiæ, modò fidei Divinæ, modò humanæ, modò opinionis veræ, aut falsæ: rursus, neque hæc cognitio satis est, sed intellectus ex hac cognitione, & illis principijs deducere debet ultimam conclusionem; quapropter conscientia stat in hâc quasi conclusione, & applicatione primorum principiorum ad actiones particulares: ex. gr. Omne malum est fugiendum, mendacium est malum, ergo est fugiendum; vel, omne præceptum est implendum, mendacium pro tuendâ vitâ innocentis est præceptum, ergo est implendum. Ecce utraque N. 113. consequentia primi, & secundi syllogismi est actus conscientiæ: non est autem necesse, quod conscientia sit semper conclusio formalis, satis ut virtualis, ut accidit, quoties intellectui evidens est honestas, aut inhonestas objecti, & actionis. Cùm ergo ultimum conscientię dictamen sit quasi conclusio, aut consequentia, cujus minor potest esse speculativè falsa, ut patet ex secundo syllogismo; ex alterâ autem parte certum sit axioma, *Ex falsò aliquando verum, aliquando falsum*; consequenter ipsa conscientia esse potest, vel præsuppositivè *tantum* falsa, quia supponit minorem, quæ est in se falsa, ut accidit in secundo syllogismo; & simul esse *formaliter* speculativè vera. Rursus potest conscientia esse *formaliter* speculativè falsa.

Hinc est, quod, ut argumentum solvatur, N. 114. ostendi debet non tantùm quomodo conscientia *præsuppositivè tantùm* falsa sit conformis primis principijs Synderesis, immò sapientię Dei; hoc autem facile est, quia licèt sit præsuppositivè tantùm falsa, est tamen formaliter speculativè vera, ut accidit in consequenti secundi syllogismi; sunt enim duo judicia realiter distincta, quorum precedens, nempe minor, est formaliter speculativè falsum; subsequens autem judicium, nempe consequentia, est tantùm præsuppositivè falsum, formaliter autem, & speculativè verum; nam verum est, *licere mendacium suppositum ut præceptum*; in quo secundo judicio stat conscientia: ergo talis conscientia, licèt præsuppositivè falsa, quia tamen est speculativè formaliter vera, est conformis illis primis principijs. Sed præterea ostendi debet, quomodo conscientia formaliter speculativè falsa, seu idem indivisibile judicium conscientiæ sit conforme primis principijs Synderesis, & sapientiæ Dei. Quare, etsi doctrina P. Suar. 1. 2. *d.* 12. *sect.* 1. rectè ostendat, ultimum conscientię judicium esse non tantùm practicè, sed etiam speculativè verum; est enim speculativè verum, *licere mendacium* P. Suar.

cium ſuppoſitum ut præceptum, per minorem, quæ eſt ſpeculativè falſa; non tamen oſtendit, quomodò, ſi unum ſit indiviſibile judicium conſcientiæ, & erroneum, ex. gr. *mentire*, poſſit eſſe ſpeculativè verum; imò non poteſt: conſcientia enim dictans *mentire, quia eſt præceptum*, vel ſupponit falſum, vel dicit falſum; nec ipſe P.Moya *tom. 2. qu. 9. n. 54. & 55.* aliquid ampliùs dicit, quàm dixerat P.Suar. ait enim P.Moya: Judicium ultimũ, quo voluntas noſtra applicatur ad operandum in caſu erroris invincibilis, aut opinionis probabilis falſæ, eſt ſecunda regula, & eſt regula formalis, & recta morum, & eſt ratio practicè, & ſpeculativè recta, quia non tantùm cauſat electionem honeſtam, ſed etiam eſt conformis rei, quam enuntiat, habet enim pro objecto non honeſtatem rei ſecundùm ſe, ſed ut propoſitã per actum prudẽter imperatum, nec legem Dei abſolutè, ſed legem Dei per accidens, (ſeu reflexam) & ex ſuppoſitione erroris invincibilis exiſtentem, & ita undequaque eſt ratio vera, conſcientiam rectam conſtituens. Hęc P.Moya. Verùm, ſi P. Moya per tò *ratio vera*, intelligit *veram practicè*, hoc concedo; eſt enim verum, mentiendum eſſe ſuppoſito præcepto: ſi *ſpeculativè veram*, eſt falſum; nam tale præceptum non datur, ſed ex errore ſupponitur: ergo ille actus vel ſupponit, vel formaliter includit errorem ſpeculativum. Quare, ut tota res meliùs penetretur,

P.Moy.

S. Bona. Notandum 1. ex S. Bonav. in 2. *diſt.* 39. *art. 2. qu. 3. ad 4.* qui exponens, qualiter conſcientia, cùm ſit naturale judicatorium, poſſit eſſe erronea, ait: Conſcientia non tantùm procedit modo ſimplici, ſed etiam collativo, & ideò conſcientia, licèt, prout ſtat in univerſali, & movetur aſpectu ſimplici, ſit ſemper recta, ut tamen deſcendit ad particularia, & confert, poteſt fieri erronea, propter quod intermiſcet ſe actibus rationis deliberativæ; & hoc patet ſic: Conſcientia enim Judæorum ex ipſo naturali dictamine dictabat, quòd Deo ſit obediendum; & ipſi poſtmodum aſſumunt, quod Deus præcipit nunc circumciſionem, & ciborum diſcretionem, & ex hoc formatur eorum conſcientia in particulari, ut ſe circumcidant. Error iſte non venit ex primo principio, quod verum eſt, ſed ex aſſumptione, quę non eſt conſcientiæ prout eſt naturale judicatorium, ſed potiùs rationis erroneæ, quæ ſpectat ad liberum arbitrium. Hęc S. D. quo nil clarius, & doctius.

N. 115. Notandum 2. objectum conſcientiæ aliud eſſe remotum, aliud proximum. Remotum non tantùm eſt illud objectum, circa quod verſatur voluntatis electio, aut omiſſio, cujus qualitatem moralem conſcientia repræſentat, ſed etiam eſſe poteſt ipſamet electio, aut omiſſio, quarum naturam moralem conſcientia contemplatur. Proximum eſt ipſa electio, aut omiſſio, quam practicè dictat licitam, aut illicitam. Porro ipſa electio, aut omiſſio, quatenus à conſcientiâ repræſentantur, ut licita, aut illicita, dicitur *objectum*; eadem autem quatenus à conſcientiâ dictatur ponenda, aut omittenda, dicitur *opus*; quia cùm illa electio ſit objectum conſcientiæ ſpeculantis rationem liciti, aut illiciti in eâ, benè dicitur objectum eadem electio; quia autem objectum conſcientiæ dictantis ponendam, aut non ponendam, eſt objectũ conſcientiæ practicæ, meliùs dicitur *opus*. Quòd autem idem indiviſibile judicium eſſe poſſit ſpeculativum, ut contemplatur naturam electionis, & practicum, ut dictat ponendam, nulla eſt difficultas. Similiter quòd idem indiviſibile judicium ſpeculativum, & practicum, eſſe poſſit ſpeculativè falſum, & practicè verum, nulla etiam eſt difficultas, ſi res acutè penetretur, ut patet tum ex ſect. antec. tum ex reſponſione immediatè addendâ, tum ex ratione. Primò, quia poteſt judicium practicè verum ſequi ad judicium ſpeculativè falſum realiter diſtinctum: ergo etiam in eodem judicio poteſt veritas practica ſequi per noſtram rationem ad falſitatem ſpeculativam. Secundò, quia nulla eſt repugnantia, quòd eidem rei competant duæ formalitates diverſæ: ſed falſitas ſpeculativa, & veritas practica ſunt tales; ergo poſſunt eidẽ judicio competere.

N. 116. N. 117.

Tertiò à priori; quia veritas ſpeculativa non eſt niſi conformitas cognitionis cum objecto, quod contemplatur; & falſitas ſpeculativa non eſt niſi difformitas cognitionis ab objecto, quod contemplatur, ex. gr. in noſtro caſu falſitas ſpeculativa de naturâ electionis eſt, quòd putetur licita, cùm licita non ſit, ut ſuppono: veritas practica cognitionis eſt conformitas cognitionis practicè dirigentis, aut dictantis tale opus cum regulis prudentiæ, vel morum, vel artis, juxta quas dictat tale opus; veritas autem practica operis eſt, quòd opus ſit tale, quale dictat talis cognitio practicè vera, ſeu eſt conformitas operis in ratione directi, vel artefacti cum cognitione illud juxta artis, vel morum præcepta dirigente: falſitas practica cognitionis eſt difformitas in ratione dirigentis à regulis directivis, & falſitas objectiva practica operis eſt difformitas à cognitione practicâ, & regulis dirigentibus: ſed non repugnat, ut idem indiviſibile conſcientiæ judicium

N. 118.

dicium de electione sit falsum, quatenus representat electionem, ut licitam; sit verum, quatenus, suppositâ electione ut licitâ, dictet eam ponendam, nam tale indivisibile judicium est conforme huic principio morum, *Omne conceptum ut licitum, ita aut non dubitetur de opposito, potest licite poni, aut est ponendum*: ergo tale indivisibile judicium potest esse speculative falsum quoad honestatem electionis; & practicè verum quoad positionem ejusdem; adeoque judicium speculativè falsum potest esse regula morum, quatenus in *dirigendo* est conforme ijsdem regulis morum directivis.

N. 119. Scotus, Ocham Aug. Medin. Suto, P Silas, P.Gran. P.Rip P.Ovie. Ricc. S Th. Navarr. M.Tap.

Confirmo: Ut enim juxta Scotum in 2. *dist.* 40. *qu. unicâ §.* 2. & in 4. *dist.* 26. *qu.* 2. Ochamum, Aragon. Medinam, Sotum, P. Salas 1. 2. *qu.* 18. P. Granado 1. 2. *contr.* 2. *tr.* 9. *d.* 3. *n.* 2. P. Ripald. *tom.* 1. *d.* 56. *a sect.* 2. &c. quos citat, & sequitur P. Ovied. 1. 2. *tr.* 4. *contr.* 7. *n.* 4. Riccius 1. 2. *lib.* 3. *cap.* 31. potest dari actus supernaturalis, honestus ex fine intrinseco, & inhonestus ex fine extrinseco, quatenus à pravo actu imperatus, qui actus supernaturalis erit simul meritorius, & demeritorius, ut vult P. Ovied. 1. 2. *tr.* 9. *contr.* 3. *n.* 86. P. Ripald. *l. c. sect.* 7. *n.* 4. qui allegat S. Thomam, Navarrum, Granado, & alios, cujus oppositum tradit M. Tapia *lib.* 1. *qu.* 6. *art.* 9. & *lib.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. ita multò magis idem actus esse poterit speculativè falsus, & practicè verus.

N. 120.

In formâ respondeo repugnare, ut idem indivisibile judicium sit verum, & falsum, conforme, & difforme, rectum, & erroneum sub eodem genere rectitudinis, non autem sub diverso: sed conscientia invincibiliter erronea est errans, & difformis errore speculativo, & difformitate speculativâ; & est recta, & conformis conformitate sui cum regulis morum; & est vera veritate practicâ, seu conformis regulis morum, juxta quas dirigit actum voluntatis: ergo conscientia invincibiliter erronea esse potest moraliter recta. Exemplum horologij non est ad rem, & si est, est contra P. Eliz. non est ad rem, quia nulla est paritas inter regulam physicam, & moralem: rectitudo enim indicis solaris consistit in conformitate physicâ horæ cum motu solis, quem signat; moralis autem, ut toties dixi, in conformitate actionis, non ut est in se, sed cum regulis morum: si enim tale judicium sit aliis conforme, erit practicè, & moraliter rectum. An verò duo horologia diverso tempore pulsantia se habeant ut duæ opiniones probabiles, legi potest P. Ovied. 1. 2. *tr.* 5. *contr.* 4. *n.* 46. & P. Mussioy. *d.* 30. de Incarn. a *n.* 37. imò nos alibi fusè; interim satis est P. Moya *tom.* 2. *qu.* 9. *n.* 57. qui plura addit contra horologium toties à P. Eliz. nobis objectum; hoc mihi certum, quòd paritas est contra Eliz. ut enim index, vel horologium solare potest esse rectum rectitudine conveniente horologio Hispanico, non autem Italico; rursus potest esse rectum rectitudine demonstrante horas antiquas, sive Judaicas inæquales, non autem rectitudine horarum æqualium, ut videri potest apud P. Cornæum in Curriculo Philosophiæ Peripateticæ *cap.* 9. *de Horologijs Sciothericis*, atque adeo potest esse Hispanicè rectum, non Italicè, Judaicè rectum, non autem Modernè rectum; ita eadè conscientia esse potest speculativè erronea, quatenus difformis suo objecto enuntiato; & practicè vera, quatenus conformis in dirigendo voluntatem primis regulis morum, juxta quas dirigit. Omitto alia exempla satis obvia: eadem enim linea, vel triangulus potest esse æqualis palmo, & inæqualis comparata cum bipalmo; idemque triangulus esse æqualis comparatus cum alio simili, & difformis comparatus cum dissimili; idemque angulus obtusus est similis alteri obtuso, & est dissimilis angulo acuto; & idem homo est similis equo quoad effectus sentiendi, & dissimilis quoad effectus ratiocinandi: ita in casu nostro. P. Cornæus.

N. 121. P. Eliz.

N. 122.

Ad confirmationem respondeo, quòd regula morum non sunt sola principia Synderesis, & sapientiæ Dei directa, nec sola reflexa, sed vel directa, vel reflexa; cum hoc discrimine, quòd principia Synderesis, & sapientiæ Dei directa sunt regula morum, quoties objectum cognoscitur ut est in se; reflexa autem sunt regula morum, quoties objectum subest cognitioni falsæ; atque adeò alia sunt principia morum regulantia conscientiâ speculativè veram, nempe directa, quæ per se, & primariò intenduntur à naturâ; alia sunt regulantia conscientiam speculativè falsam, nempe reflexa, quæ supponunt in nobis errorem, & per accidens intenduntur à naturâ, videlicet ex suppositione ignorantiæ humanæ. Velle autem, ut opus sub oppositis, aut diversis circumstantijs reguletur ijsdem principijs, est velle prudentiam esse imprudentiam, cùm prudentia pro diversitate circumstantiarum diversa habeat principia, ut planum est. In formâ distinguo minorem: nulla conscientia speculativè, & formaliter erronea est moraliter, & ethicè, seu in dirigendo ad opus conformis scientiæ Dei reflexæ, (idem dicito de principijs Synderesis reflexis) nego minorem; scientiæ Dei directæ, transeat minor,

minor, cui tamen non est difformis, licèt non sit conformis; & nego consequentiam.

N. 123. Dixi conscientiam speculativè, & formaliter erroneam esse in dirigendo conformem scientiæ Dei reflexæ; patet; quia sicut hoc judicium Dei reflexum verè dictat, & dicit, *Licet objectum, & actus putatus a creaturâ invincibiliter honestus, &, si sit præceptus, est ponendus*; similiter sicut meum judicium Synderesis reflexum hoc idem dicit, *ponendam, & licitam esse actionem putatam invincibiliter præceptam*; ita hoc ultimum judicium particulare, quod est quasi conclusio, & est ipse actus conscientiæ supponens dictum judicium universale, ex quo quasi infertur; hoc, inquam, ultimum judicium, *mentire, ut serves innocentem*, verè dictat ponendum mendacium, & est conforme practicè, imò inclusum in dicto judicio universali, *Pone actionem putatam invincibiliter præceptam*; cum hoc discrimine, quòd principia Synderesis nostræ, & sapientiæ Dei reflexa sunt, tum speculativè, tum practicè vera: speculativè, nam est speculativè verum, *licere actionem creditam invincibiliter præceptam*; practicè, nam opus positum sub illis judicijs reflexis est tale, quale esse dictat illud principium, & judicium; nempe, est opus honestum, atque adeò conforme practicè illis principijs practicis reflexis, seu dirigentibus.

N. 124. Econtra illud ultimum conscientiæ dictamen, *mentire, ut serves innocentem*, est formaliter speculativè falsum, ut dixi paulò antè, nam falsum est, esse mentiendum; attamen est practicè verum, quatenus est conforme in dirigendo principijs reflexis Synderesis, & sapientiæ Dei supponentibus nostrum errorem; & opus ab eo ultimo judicio regulatum est conforme, tum tali judicio practicè vero, tum illis principijs reflexis speculativè, & practicè veris.

N. 125. Breviter: potest ultimum conscientiæ dictamen esse formaliter falsum secundùm id, quod repræsentat, & esse verum secundùm quod dictat, ex. gr. esse falsum secundùm rationem honesti, quam repræsentat in objecto ex se inhonesto; & esse verum secundùm rationem honesti *formaliter*, seu liciti, quam dictat; omnis enim operatio voluntatis elicita sub judicio, sive vero, sive falso invincibili, quòd sit honesta, est licita, & conformis huic regulæ morum, *Omne invincibiliter honestum est licitum*.

N. 126. Neque verò ulla est inter judicium Dei directum, & Dei reflexum oppositio, quia non tendunt in idem omnino objectum, sed in idem objectum, ut vestitum diversis circumstantijs. Idem dico de judicio creato directo, & reflexo, inter quæ ob eamdem rationem nulla est oppositio. Similiter nulla est oppositio inter volitionem directam, & reflexam, increatam, & creatam: nam judicium directum, tam creatum, quàm increatum dicit, *non mentire*; reflexum, tam creatũ, quàm increatum dicit, *Licet mendacium putatum invincibiliter præceptum*; immò nulla inter judicium reflexum creatum, & regulam morum directam, sive Dei, sive Synderesis.

N. 127. Dices: Ultimum conscientiæ judicium reflexum est, *Licet mendacium*, judicium autem directum sapientiæ Dei, & Synderesis nostræ est, *Non licet mendacium*: ergo est oppositio. Nego antecedens; nam ad illud ultimum conscientiæ dictamen, *Licet mendaciũ*, præsupponitur, & subintelligitur, *quod puto invincibiliter præceptũ*: sed isti duo actus, *Non licet mendacium, Licet mendacium, quod puto invincibiliter præceptum*, non sunt de eodem sub ijsdem, sed sub diversis circumstantijs: ergo nulla est oppositio. Hallucinatur Adversarius, quia non attendit, quòd hoc ultimum dictamen conscientiæ, *Licet mendacium*, est judicium reflexum, & quasi conclusio, includens formaliter, vel supponens in præmissis errorem invincibilem, quem non includit judicium directum, *Non licet mendacium*; ut enim dixi, ipsa conscientia est quasi consequentia, & est judicium reflexum, & supponit præmissas, ex quibus infertur, quarum alterura potest esse falsa; si autem sit falsa, eo ipso subintelligitur error, in quo conscientia fundatur. Quare si res acutè penetretur, patet mira nostræ doctrinæ harmonia. Primò enim licèt conscientia speculativè difformis suo objecto (sive ex eo quia sit formaliter, sive ex eo quia sit tantùm præsuppositivè erronea) non sit conformis infallibili sapientiæ Dei *directæ*, & principijs Synderesis *directis*, nam conscientia dicit, *Licet mendacium*; sapientia autem increata, & creata directa dicit, *Non licet*; attamen eadem conscientia speculativè difformis suo objecto, non est *positivè* difformis ijsdem principijs directis sapientiæ Dei, & Synderesis. Ratio est evidens, tum quia tunc non repræsentatur lex directa, ut dixi hìc *sect.* 1. §. 3. tum quia ubi mutatur objectum, nulla est oppositio: sed objectum conscientiæ speculativè difformis suo objecto, seu formaliter erroneæ est, *Licet mendacium creditum invincibiliter præceptum*; objectum sapientiæ Dei, & Synderesis, utriusque directæ est, *Non licet mendacium cognitum ut vetitum, & ut est in se*: ergo nulla oppositio: ergo inter conscientiam speculativè formaliter

N. 128.

liter difformem suo objecto, & inter principia sapientiæ increatæ, & creatæ nulla est positiva difformitas.

N. 129. Patet 2. idem judicium conscientiæ formaliter speculativè erroneum, & invincibile esse positivè conforme practicè, seu in dirigendo ipsi sapientiæ increatæ, & creatæ reflexis, seu scientiæ, quam Deus, & creatura habent de objecto, ut subsistante invincibili ignorantiæ prohibitionis, & invincibili errori præcepti; sicut enim sequens hæc judicia reflexa sapientiæ increatæ, & Synderesis dirigitur practicè ad executionem operis liciti, nam *licet actio invincibiliter putata præcepta*; ita sequens illud judicium formaliter erroneum, *Licet mendacium invincibiliter præceptum*, exequitur actionem licitam, & ea voluntio mendacij est conformis principijs reflexis Dei, & Synderesis, & ultimo conscientiæ dictamini formaliter erroneo; & rursus hoc judicium est conforme in dirigendo, & dictando ijsdem principijs reflexis; sicut enim hæc in universali dictant licere actionem invincibiliter creditam præceptam, ita tale ultimum conscientiæ dictamen dictat licere hanc actionem cognitam invincibiliter ut præceptam.

N. 130. Patet 3. cur omnia principia sapientiæ creatæ, vel increatæ, tam directa, quàm reflexa sint etiam speculativè vera, & non tantùm practicè; econtra ultimum conscientiæ dictamen sit, sæpe practicè tantùm verum, & speculativè falsum, ut dixi *hoc* §. Ratio est; quia ultimum conscientiæ dictamen, cùm sit quasi conclusio deducta sæpe ex maiori, vel minori speculativè falsâ, consequenter tunc est speculativè falsum; hoc enim dictamen, *occide blasphemũ*, deducitur ex his præmissis, omne invincibiliter præceptum est exequendum; quæ maior est evidenter tam practicè, quàm speculativè vera: sed occisio blasphemi est invincibiliter præcepta; quæ minor est formaliter falsa: ergo blasphemus est occidendus; quæ consequentia est speculativè formaliter falsa, quia ex minori formaliter falsâ deducitur; & est practicè vera, quia est conformis *in dirigendo* huic principio, Occidendus est blasphemus, quoties ejus occisio creditur invincibiliter præcepta. Hæc etsi non adeò facilia, maiori, quâ potui, claritate explicui.

N. 131. Palanc. Instabis ex Palanco *qu.* 5. §. 10. *n.* 156. falsum à nobis supponi, dum supponimus judicio practico convenire posse falsitatem speculativam; ut enim judicio practico de agendis convenire non potest veritas speculativa, hæc enim propria est judicij speculativi; ita falsitas speculativa convenire non potest nisi judicio speculativo; & est crassissima æquivocatio asserere, quòd idem indivisibile judicium sit practicè verũ, & speculativè falsum; cùm enim idem indivisibile judicium de agendis non possit simul esse speculativum, & practicum, & nihil affirmet speculativè, inde est, quòd si dicit verum, necessariò dicit verum practicè; si errat, necessariò errat practicè; quomodò enim errare, aut verum dicere potest speculativè, cùm nihil affirmet speculativè, aut neget? Ergo est implicatoria nostra distinctio, nempe, quòd idem indivisibile judicium prudentiæ sit practicè verum, & sit speculativè falsum: ergo si judicium prudentiæ est erroneum, est practicè erroneum.

Sed contra 1. quia non implicat, ut eadem conscientia sit simpliciter practice falsa, & simul sit practicè vera secundùm quid, ut docuit idem Palanco *n.* 74. ergo multo minùs, ut sit practicè vera, & simul sit speculativè falsa, cùm diversitas illa sit oppositio, hæc autem sit pura diversitas sine oppositione. Contra 2. quia conscientia, ut dixi, est ipsa conclusio syllogismi practici: ergo cùm conclusio pendeat à præmissis, quarum una potest esse purè practica, alia purè speculativa, conclusio simul erit practica, & speculativa: ergo nulla repugnantia in hoc, quòd idem judicium sit speculativum simul, & practicum; nulla in hoc, quòd quatenus speculativum, sit, aut supponat falsum, quatenus practicum sit verum; hæc enim consequentia, ergo mihi licet retinere hanc rem, (quam consequentiam suppono esse dictamen prudens, & simul suppono hanc rem non esse meam) est simul practicè vera, quatenus est conformis huic principio morum, cuilibet licet retinere rem, quam putat invincibiliter suam: ergo est practicè vera; rursus est speculativè falsa, quia illa invincibilitas supponit errorem. Addo, quòd aliquid speculativè affirmat, & aliquid practicè affirmat: quod practicè affirmat, est, *Licet mihi retinere hanc rem*; quod speculativè affirmat, vel supponit explicitè affirmatum in aliquâ præmissâ, est, *Hæc res est mea.* Vide dicta à n. 104. N. 132. Palanc.

§. II.

Quia nulla conscientia erronea est prudens, & practicè vera.

SUMMARIUM.

Omnis actus prudentiæ est practicè verus, etsi aliquis sit sæpe speculativè falsus. DD. num. 133. ad 140.

Prudentia numquam potest errare practice, 137.

Non

Non debet actus, ut prudens sit, esse elicitivè à prudentiâ; satis si imperativè, n. 138.
Potest etiam defendi, quòd omnis actus prudentiæ sit speculativè verus; at mutandæ tunc præmissæ, & qualiter formandæ, n. 139.
Dictamen erroneum est conforme legi Dei reflexæ; nec ex hypothesi quòd malum judicetur bonum, absurdum est quòd Deus jubeat quod in se malum est, n. 140. ad 147.
Quale sit objectum proximum, quale remotum conscientiæ invincibiliter falsæ? n. 141.
Expono quid sit veritas logica, quid practica, & conformitatem utriusque cum suis objectis, ibid.
Do regulas, quibus conscientia conformatur, n. 142.
Ut conscientia sit practicè vera, debet tam dictamen dirigens, quam volitio ab hoc directa esse morum regulis conformis, n. 143.
S. Thom. ait, quòd voluntas discordans à ratione, sive erroneâ, sive rectâ, sit semper mala, n. 148.
Datur lex sequendi rationem invincibiliter errantem, ibid.
Ultimum dictamen est regula proxima operandi, cui parère tenemur, non judicium Dei de re, ut est in se, n. 149.

N. 133. OBjicies 2. Omnis conscientia moraliter recta debet esse certò prudens: sed nulla speculativè falsa est certò prudens: ergo nulla talis est moraliter recta. Minor probatur; quia nullus actus prudentiæ potest esse falsus.

N. 134. P. Eliz. Respondeo 1. retorquendo; nam idem P. Eliz. *lib. 2. qu. 8. §. 5. pag. 90.* ait: *Vir gravis, & fide dignus tibi aliquid refert, nil prudentius:* sed potest referre aliquid falsum: ergo dari potest assensus prudens falsus. Rurius retorquetur in eo, qui putat aliquid quod est de fide, non esse tale, & illi objecto dissentitur; ecce talis dissensus est prudens, & est falsus: ergo dari potest dissensus falsus prudens.

N. 135. Est igitur argumentum ab omnibus solvendum, tum ubi *de Virtutibus*, tum specialiter in tr. *de Fide*. In formâ nego minorem; ad probationem nego antecedens; dico enim quòd nullus actus prudentiæ potest esse *practicè* falsus, potest tamen esse speculativè falsus, ut dixi *sect. 4. in object. 7.* ex M. Mercoro, M. Baro. P. Moya, quibus addo S. Thom. 2. 2. *qu.* 47. P. Ripalda *d.* 6. de Fide *n.* 93. Herinx *tom.* 3. *d.* 1. de Virt. Cardin. *n.* 4. P. Teril. *qu.* 16. *n.* 40. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 3. *contr.* 2. *pun.* 5. *per totum*, P. Suar. 1. 2. *d.* 3. *sect.* 3. Ratio est; quia prudentia est recta ratio agibilium, recta, inquam, rectitudine convenientiæ sui cum primis regulis morum; non autem est recta rectitudine speculativâ logicæ conformitatis cum objecto, quod speculativè repræsentat; ut ergo operatio sit honesta, satis est, ut dictamen, & ratio dirigens ad illam sint practicè vera, veritate conformitatis sui cum primis regulis morum, non aliâ veritate conformitatis sui cum objecto, quod repræsentat. Patet hoc experientiâ; hic enim actus Jacob, *Hæc est Rachel, ergo ad eam mihi licet accedere*, est speculative falsus circa conditionem mulieris, nam erat Lia, non autem Rachel; & est practicè verus, quatenus conjunctus illi suppositioni falsæ erat conformis primis regulis morum.

M. Mer. M. Bar. P. Moy. S. T. P. Rip. Herin. P. Teril. P. Ovie. P. Suar.

Idem patet in artibus, quarum dictamen practicum potest simul esse speculaticè falsum circa naturam objecti, & practivè verum in dirigendo voluntatem ad opus juxta regulas artis, ex. gr. hoc corium est durius, ergo pro soleis ponendum; hic ensis flexibilior, & agilior, ergo pro duello utilior; hi, inquam, actus possunt esse speculativè falli, potest enim ille ensis non esse flexibilior, & corium illud non esse durius; hoc tamen errore supposito, adhuc sunt practicè veri, quia & ille est conformis in dirigendo ad duellum præceptis artis gladiatoriæ, & iste est conformis in dirigendo ad structuram calcei præceptis artis sutoriæ. Potest ergo prudentia errare speculativè circa opus, numquam tamen practicè, quia licèt circumstantiæ operis sint fallibiles, atque adeò in earum repræsentatione intellectus errare possit, attamen dictamen prudentiæ reflexum semper est evidens, nempe positis talibus circumstantijs honestum est operari: ergo prudentia numquam errat in dirigendo ad opus, etsi erret in repræsentando naturam talis operis. N. 136. N. 137.

Addo, quòd ut aliquis actus sit prudens, non est necesse, ut sit elicitivè à prudentiâ, satis est, ut sit imperativè ab illâ, & toties talis erit, quoties morum regulis, seu prudentiæ conformis erit, id est, quoties fuerit ex gravi fundamento; & ideò omnis opinio probabilis, quia est, ut suppono, ex gravi fundamento, dicitur prudens. De hoc argumento prolixus erit sermo, ubi de opinione probabili; & quæ modò dixi, satis sunt ad argumenti solutionem. N. 138.

Quòd si ad maiorem doctrinæ ubertatem amplius aliquid dicere placeat, dicere possum (etsi necessarium non sit ad argumenti solutionem) quòd omnis actus prudentiæ sit etiam speculativè verus, ut alibi insinuabo; hic enim actus prudentiæ, *honestum est accedere ad hanc mulierem*; vel hic actus, N. 139.

Tobias

Tobias non habuit canem, non deducitur ex his præmissis, accedere ad propriam est honestum, hæc mulier est propria, ergo honestum est ad eam accedere: nam hæc conclusio est speculativè falsa, quia minor est talis; sed ea conclusio prudentialis, & illud prudens dictamen conscientiæ deducitur ex his præmissis, accedere ad mulierem putatam invincibiliter propriam est honestum, hæc mulier invincibiliter putatur propria; ergo est honestum ad eam accedere: ecce utraque præmissa, quia est evidenter vera speculativè, conclusio etiam, quæ est ipsummet dictamen prudens conscientiæ, est etiam speculative vera; licèt enim sit ex se falsum præscindendo ab errore invincibili, quòd sit honestum accedere ad illam, attamen si ipse error supponatur non esse error, sed veritas, verum omnino etiam speculativè est, quod sit honestum accedere ad mulierem putatam ex errore invincibili propriam. Similiter ille actus, *Tobias non habuit canem*, non deducitur ex his præmissis, quidquid Deus dicit, est verum, Deus dicit Tobiam non habuisse canem, ergo verum est, Tobiam non habuisse canem; ea enim minor est hæretica, cùm Deus dicat, Tobiam habuisse canem; sed ex his: Quidquid mihi apparet invincibiliter ut dictum à Deo est verum, sed mihi invincibiliter apparet, ut dictum à Deo, quòd Tobias non habuerit canem, ergo mihi verum est, quòd Tobias non habuit canem: ecce utraque præmissa est evidens; ergo etiam cõclusio, licèt enim sit absolutè falsum, Tobiã non habuisse canem, (habuit enim) attamen respectu mei verum est, non habuisse. Hæc obiter. Moneo tamen primâ solutione utendum, dicendo satis esse ad actum prudentiæ, ut sit practicè verus, nec necesse esse, ut speculativè verus sit. Ratio est; quia cõmuniter syllogismi non solent ita formari, immò nec est facile cuilibet ita formare syllogismum, ut ejus conclusio, seu dictamen prudens conscientiæ sit etiam speculativè verum; quare prima solutio est facilior, & expeditior; altera difficilior, & fortè verior. Vide P. Oviedo *l.c.n.*54. & *in tr. de Fide*, P. Ripald. C. de Lugo, P. Bernal, P. Compton. utrumque Hurtado.

P. Ovied. P. Ripald. C. de Lugo, P. Bernal. P. Compt. P. Hurt.

N. 140. Objicies 3. Veritas in genere est conformitas cognitionis cum objecto: ergo etiam veritas practica: sed omnis formaliter erronea est difformis suo objecto: ergo nulla cõscientia formaliter erronea est practicè vera; ergo nulla talis est moraliter recta. Confirmatur: quia erroneum dictamen conscientiæ non est conforme legi æternæ, si enim esset conforme, Deus juberet indirectè actus intrinsecè malos, & homo mereretur peccando, ex. gr. mentiendo, & Deus speciali auxilio concurreret ad volitionem mendacij, furti, &c. si hæc objecta putentur invincibiliter præcepta, quo nil absurdius: ergo conscientia erronea non obligat.

Respondeo distinguendo antecedens: Veritas est conformitas cognitionis cum suo objecto proximo, concedo antecedens; remoto, nego antecedens, & consequentiam juxta eamdem distinctionem. Ad subsumptum distinguo minorem: omnis conscientia formaliter erronea est difformis suo objecto remoto, quod speculatur, concedo; proximo, quod dictat, & dirigit, nego. Adverte, quod hæc cognitio, *Dic mendacium putatum præceptum*, habet pro objecto remoto rationem liciti, & præcepti; speculans enim naturam electionis mendacij apprehendit illam invincibiliter ut licitam, aut præceptam; & quoad hoc ea cognitio practica, seu dictamen practicũ est falsum, nempe quoad electionem mendacij, aut cujusque alterius operationis; pro objecto autem proximo habet conformitatem talis electionis mendacij dictatæ ut licitæ, aut præceptæ cum regulis morum; & quoad hoc ea cognitio practica est vera practicè. Dixi enim quòd veritas *purè* speculativa (omnis autem cognitio practica præter speculationem importat modum tendendi practicum, seu dictantem, & dirigentem voluntatem ad talem electionẽ) sumitur ex conformitate actus cum suo objecto, cujus naturam in genere moris *purè* repræsentat; practica autem sumitur ex conformitate actus conscientiæ, & volitionis, ad quam conscientia dirigit, cum regulis morum; conscientiæ quidem, quatenus in dirigendo voluntatem ad electionem talis objecti, ipsa conscientia se ipsam illis regulis directivis conformat; ut enim regula dictat in genere eliciendum opus putatum invincibiliter præceptum, ita conscientia dictat in particulari eligendum mendacium putatum invincibiliter præceptum; electionis autem, quatenus ea volitio, seu electio directa à conscientiâ est conformis tum dictamini conscientiæ, quæ est prima regula formalis ipsius moralitatis, tum regulis morum, quæ sunt regula objectiva ejusdem moralitatis; quapropter veritas practica non consistit in conformitate actus cum objecto remoto, quod *purè* speculatur, sed cum objecto proximo, seu volitione, quam dirigit, & dictat juxta regulas morum; ut enim dixi §. *antecedenti initio*, immò hoc *ipso* §. passim, veritas practica est conformitas sui cum regulis morum, juxta quas dirigit volitionem; & volitionis N. 141.

cum se ipsâ, & ipsis regulis directivis.

N. 142. Porro regulæ moralitatis dirigentes ad opus, seu electionem, quarum comparatione conscientia est in dirigendo moraliter recta, seu practicè vera, sunt: *Nulla lex non cognita obligat: Honestum est sequi dictamen conscientiæ invincibiliter erroneum: Objectum, cujus malitia latet, & cujus honestas invincibiliter appareat, est licitum: Omne à Deo præceptum est exequendum*; & similes cuique obviæ.

N. 143. Cur autem dicimus, quòd tam actus conscientiæ dirigens, quàm opus voluntatis à conscientiâ directum, debeant esse conformia dictis regulis, ut conscientia sit moraliter recta, seu practicè vera: ratio est; quia in tantùm omne dictamen practicum de opere artificioso ponendo dicitur practicè verum, & rectum, in quantùm illud dictamen, & illud opus sunt conformia regulis artis dirigentibus: ergo etiam eatenus conscientiæ dictamen de opere ponendo erit practicè verum, & moraliter rectum, quatenus tale dictamen in dirigendo voluntatem ad opus, seu volitionem se primis regulis conformat.

N. 144. Hinc facilè constat, quomodò idem indivisibile conscientiæ dictamen de tali electione possit esse in repræsentando naturam talis electionis, & objecti voliti, esse, inquam, falsum circa honestatem, aut inhonestatem electionis, & objecti, quę repræsentat, quin tamen detur error oppositus regulis moralitatis; imò dirigit voluntatem ad volitionem objecti juxta regulas moralitatis; ut enim regula dictat ponendum opus honestum, ita ultimum conscientiæ dictamen de electione putatâ per errorem honestâ dictat eam ponendam.

N. 145. Ad confirmationē nego antecedens, quòd non sit conforme legi æternæ Dei reflexę; ad probationem dico nullum esse inconveniēs, quòd Deus indirectè, & per accidens jubeat aliquid intrinsecè malum apprehensum, ut bonum, immò tunc præcipit bonum: rursus nullum est inconveniens, quòd homo tunc mereatur mentiendo, nam meritum, & præmium attenditur juxta voluntatem operantis; voluntas enim eligens opus malum apprehensum ut bonū, benè operatur, & Deus ad talem mendacij electionem concurrit auxilio speciali, ut benè Mercor. 1. *p. pag.* 14. *art.* 6. Vide quæ dixi *sect.* 2. §. 1. M. Mer.

N. 146. Dices: Omnis conscientia speculativè *evidenter* vera est simul moraliter, seu practicè vera: ergo omnis speculativè falsa est practicè falsa. Concedo antecedens, & nego consequentiam: ratio est; quia si est *evidenter* vera, seu si est evidens quoad honestatē objecti, utique est practicè vera, seu apta facere voluntatem rectam, nempe conformem regulis morum; ut autem consequentia teneat, debet loqui de conscientiâ *evidenter* speculativè falsâ; hanc enim concedo esse etiam practicè fallam, non autem in genere, quia, ut constat ex dictis, potest conscientia speculativè falsa esse practicè vera, & speculativè vera esse practicè falsa.

N. 147. Objicies 4. ex M. Baro *d.* 2. Ethicæ Christianę *loco* 16. §. 9. S. Thom. sentit, quòd qui discedit à veritate est reus peccati: ergo non licet sequi conscientiæ dictamen erroneum. M. Bar. S. Tho.

Respondeo, à veritate certò cognitâ, non autem à veritate incerto cognitâ.

N. 148. Dices: Dictamen erroneum non potest ligare conscientiam: ergo &c. Nego antecedens; quia ut liget, satis est, ut proponat objectum, ut conforme legi Dei, & ut præceptum, ut dixi hic *sect.* 1. §. 3. Addo ex P. Thyrso *tom.* 4. *d.* 6. *sect.* 5. *n.* 39. omnes TT. cum S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. docere, quòd *voluntas discordans a ratione, sive rectâ, sive errante, semper est mala*; cur autem, nisi quia vetitum est voluntati discordare à ratione, etsi errante? nam nihil est malū, nisi quia vel in se est malum, vel saltem est vetitum: ergo datur obligatio sequendi rationem etsi errantem. P. Thyr. S. Th.

N. 149. Instabis: Operans contra conscientiam errantem operatur conformiter ad dictamen intellectus Divini aliter de re judicantis; ergo non operatur malè. Nego antecedens; quia, ut benè Herinx *tom.* 2. *d.* 4. *n.* 8. ipse Divinus intellectus judicat nos non posse operari contra dictamen conscientiæ; non enim judicium Dei de re, ut est in se, est regula proxima nostræ actionis, sed nostrum ultimum judicium est talis regula, & huic tenemur conformari. Herin.

SECTIO V.

Argumenta Palanci.

§. I.

Quia implicat, ut conscientia erronea sit recta, & ut volitio ab eâ regulata sit honesta.

SUMMARIUM.

S. Thom. an neget, quòd actus concordans rationi falsæ sit honestus, n. 151.

Argumenta Palanci, à n. 151. ad 160.

Quia conscientia erronea nequit esse recta, 152.

Quia nulla conscientia erronea est prudens, n. 153.

Quia volitio rei malæ non est conformis appetitui recto, n. 154.

Quia Deus non tantùm vetat cognita ut vetita, sed etiam non cognita ut vetita, num. 155.

Quia

Quia tristamur de opere malo, etsi putato invincibiliter bono, n.156.
Quia volitio operis in re mali à nullâ regulâ regulatur, n.157.
Quia opus malum, etsi ex errore bonum, eget excusari, n.158.
Quia Deus dicere posset, Veni ad regnum, quia mentitus es, ibid.
Quia nulla doctrina falsa est sana, n.159.
Quia doctrina erronea destruit virtutes, num. 160.
S.Thom. unicè negat, actum sub errore invincibili esse materialiter bonum, n.161.
Conscientia esse potest logicè falsa, ethicè recta, n.162.
Opus sub dictamine erroneo est conforme amori Dei, & appetitui recto, n.163.
Detecto errore tristamur de opere, quia deinde cognoscitur materialiter malum, & moraliter bonum, ibid.
Volitio sub conscientiâ erroneâ regulatur proximè, & formaliter ab eâ conscientiâ, num. 164.
Ignorantia allegatur, ut excuset opus materialiter malum a malo materiali, n.165.
Solvitur argumentum, Veni Benedicte, quia mentitus es, ibid.
Absurda sunt ex ipsâ hypothesi, ibid.
Doctrina falsa logicè, potest esse sana ethicè, n. 166.
Error augere potest virtutes, n.167.
Rejicitur Palanco volens, quòd actus malus invincibiliter bonus sit secundum quid honestus, n.168.
Conclusio nititur utrique præmissæ, non uni, n. 169.
Objectum virtutum moralium est tam bonum, quàm malum, cognitum ut in re bonum, n. 170.
Similiter objectum prudentiæ est tam verum, quam falsum, cognitum ut in re verum, ibid.

N. 150. Palanc. Miror, quòd Palancus, quem non semel Matriti strenuè arguentem audivi, acutissimi vir ingenij, tantùm deferat Celladeo, ut ejus ferè argumentis contra nos *qu. 5. à num.* 68. bellum intentet; ea fusissimè dilatata breviter propono, & quidem omnia simul, cùm eâdem solutione solvantur.

N. 151. S. Th. S.Dion. suppl. S.Bern. Palanc. Primum est ex S. Thom. 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. qui postquam sibi objecit hoc argumentum: *Voluntas a ratione discordans est mala, ergo ei concordans est bona*: respondet ex D. Dionysio *cap.* 4. de Divinis Nomin. *Quòd bonum causatur ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus; & ideò ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, quòd secundum suam naturam sit malum; sive quòd apprehendatur ut malum: sed ad hoc, ut sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum.* Idem insinuat S. Bernardus, ait Palanco *qu.5.n.4.*

Secundum, quod §. 2. vocat efficacissimum, est: quia implicat, ut conscientia erronea sit recta; sed esset, si actus ab eâ directus sit honestus: quid enim est reddere actum formaliter honestum, quàm facere illum moraliter rectum? Ergo. N. 152.

Tertium, ait §. 3. *à num.* 30. quia nulla volitio esse potest recta, seu formaliter honesta, nisi reguletur à prudentiâ: sed nulla conscientia erronea regulatur à prudentiâ; hæc enim nil falsum dictat: ergo nulla volitio posita sub conscientiâ invincibiliter falsâ est formaliter honesta. N. 153. Palanc.

Quartum, quia finis appetitus recti est amor Dei: sed volitio à Deo vetita non est conformis amori Dei; ergo nec appetitui recto; ergo non est formaliter honesta. N. 154.

Quintum, quia amor Dei non tantùm vetat cognita ut vetita, sed ea, quæ Deus revera vetuit; aliàs Deus de peccato materiali non offenderetur: ergo cùm conscientia invincibiliter falsa, proponat ut non vetitum à Deo, quod à Deo est vetitum, eò ipso volitio in tale objectum tendens non est formaliter recta, nec honesta. N. 155.

Sextum, quia nullum formaliter honestum causat tristitiam: sed opus positum sub dictamine invincibiliter erroneo, detecto errore, causat tristitiam; ergo non est formaliter honestum. N. 156.

Septimum, (ait à *n.* 48.) dici nequit, à quo reguletur volitio posita sub errore invincibili de non peccato: non à conscientiâ erroneâ, ut fatemur: non à judicio reflexo dictante ponendum opus, quod conscientia invincibiliter erronea proponit ut à Deo præceptum: ergo ea volitio non est formaliter honesta. N. 157.

Octavum, quia actus formaliter honestus non eget excusatione: sed mendacium positum sub errore invincibili, quod nunc sit à Deo præceptum, eget excusatione, ita ut ab errore excusetur; ergo non est formaliter honestum, atque adeo nec est dignum pœnâ, quia ob errorem invincibilem caret culpâ; nec est præmio dignum; aliàs Deus in die judicij dicere posset: *Venite Benedicti, accipite regnum, quia ex errore invincibili mentiti estis.* N. 158.

Nonum, quia nulla doctrina invincibiliter errans circa legem supernaturalem est sana in ordine supernaturali; ergo nequit N. 159.

volitionem sub eo errore positam, facere supernaturalem.

N. 160. Decimum, quia doctrina erronea circa mores destruit virtutes; qui enim ex invincibili errore mentiretur, furaretur &c. non esset verax, & justus: ergo volitio sub eo posita nequit esse formaliter honesta. En summa argumentorum, quæ vix differunt ab illis, quæ *sect.* 4. solvi; & meum lectorem, si solutiones à me exhibendæ sint ei breviores, illuc transmitto.

N. 161. S. Th. Ad 1. respond. Divum Thom. unicè velle, quòd opus sub errore invincibili non sit æquè honestum, ac positum sub conscientiâ logicè verâ: hoc enim non solùm est formaliter, sed etiam materialiter honestum; illud verò est tantùm formaliter, non materialiter honestum. Nec S. D. vult, quod ut sit formaliter honestum, debeat quoque esse materialiter honestum: hoc enim nego.

N. 162. Ad 2. distinguo: conscientia logicè erronea nequit esse logicè recta, concedo; nequit esse practicè recta, nego. Meminerit arguens conscientiam, aliam esse logicè rectam, aliam practicè rectam: illa sumitur à conformitate dictaminis cum objecto, ut est in re; hæc à conformitate dictaminis, & objecti cum regulis morum; tunc autem facilè intelligetur, quomodo conscientia logicè falsa possit esse ethicè recta, & ut ethicè recta regulare proximè ipsam volitionem, eique dare honestatem formalem, etsi non materialem: ut enim dictamen erroneum caret veritate materiali, ita volitio ab eo regulata caret honestate materiali.

N. 163. Ad 3. nego minorem, & probationem: sæpe dixi, quòd prudentiæ non sit necessaria, nisi veritas practica, & ethica; non logica, & speculativa: ergo cùm opus, ut positum sub errore invincibili, quòd sit à Deo præceptum, sit conforme dictamini proponenti ut à Deo præceptum, eo ipso est moraliter conforme ipsi appetitui recto, & amori Dei, ut per illud dictamen falsum propositi. Paritas venatoris occidentis pro ferâ filium, quem certum est non dirigi ab amore filij, retorquetur: ut enim si venator ex amore filij occideret feram, quę reverà est filius, poneret opus ei amori moraliter conforme, etsi materialiter difforme; ita in casu nostro. Addo non esse ad rem, quia Deus non offenditur ab ipso opere materialiter malo: etenim etsi Deus vetet opus materialiter malum, vetat, si à nobis cognoscatur ut materialiter malum; non verò si falsò invincibiliter cognoscatur ut moraliter bonum. Hinc nemo tristatur de eo opere, nisi dum cognoscit fuisse materialiter malum; quo errore deposito lætatur de eo ut moraliter bono, etsi cum aliquâ tristitiâ, quòd simul fuerit materialiter malum.

Ad 4. 5. & 6. patet ex nunc dictis.

N. 164. Ad 7. dico, quòd volitio operis propositi à conscientiâ ut præcepti reguletur immediate ab eâdem conscientiâ: in ordine autem ad volendum perinde est, quòd lex de tali opere, quæ dicitur reflexa, detur, vel non detur in Deo: dummodò enim à conscientiâ proponatur invincibiliter, ac si ea lex in Deo daretur, conscientia obligatur tale opus dictare, & voluntas velle; atque adeo ea lex putata per errorem dari in Deo est objectiva conscientiæ erroneæ regula; formalis autem regula volitionis est ipsa conscientia erronea eam legem proponens. Nec ulla inde oppositio, quòd Deus vetet pro omni casu mendacium, & quòd nunc præcipiat mendacium; vetat enim pro omni casu, quo mendacium à conscientia cognoscitur ut malum, & vetitum; præcipit pro eo casu, quo mendacium proponitur ut bonum, & à Deo præceptum: Deus enim non vetat mendacium, nisi dum ut malum cognoscitur.

N. 165. Ad 8. patet ex solutione ad tertium. Ignorantia allegatur, ut mendacium materiale excusetur, non ut formale, ut ipsemet arguens fateri debet; etenim per illum, & omnes Catholicos, mendacium positum sub errore invincibili non est peccatum formale. Ad absurdum dico, illud oriri ex ipsâ erroris hypothesi; quod ut pateat, supponamus aliquem ex Catholicis invincibiliter putare, cultum imaginum esse vetitum: ecce in hoc casu Christus D. dicere debebit, *Ito Maledicte &c. quia meam imaginē venerātus es.* Si ergo Palanco ex hypothesi talis erroris hoc admittere debet, nam cū omnibus docet, illū peccare formaliter, qui illi conscientiæ invincibiliter erroneæ non obedit; ita quoque nullum absurdū, quòd Christus D. dicat, *Veni Benedicte &c. quia mentitus es, invincibiliter putans, me in tali casu præcepisse mendacium*: quæ, & similia verba addi semper debent, ut horror à propositione tollatur. Ratio est; quia præmium, & pœna resultant ex inhonestate, & honestate formali actus, non ex materiali, si invincibiliter ignoretur: ergo si actio in se mala fiat ex errore invincibili formaliter honestâ; aut actio in se bona fiat ex dicto errore formaliter inhonesta, ea præmium, hæc pœnam merebitur.

N. 166. Palanc. Ad 9. dico, quòd doctrina in re non sana, quia logicè falsa, possit esse ethicè sana, & salutaris; & opus sub eâ doctrinâ invincibili logicè

logicè non sanâ propositum, esse meritorium. Quare ignoro cur Palanco *n.* 63. dixerit, omnes docere, quòd actus formaliter supernaturaliter honestus regulari nequeat à doctrinâ erroneâ, cùm oppositum plerique TT. & nos cum illis, doceant. Immo, si juxta illum doctrina erronea potest regulare actum, ne sit peccatum formale contra legem supernaturalem; cur non poterit regulare actum, ut sit supernaturaliter formaliter honestus? Vid. *sect.* 4. §. 2.

N. 167. Ad 10. dico, quòd error æquè possit augere, ac minuere virtutes; puta, dum quis invincibiliter putat dari leges, quæ in re non dantur, ex. gr. quòd hodie jejunandum, pauperi succurrendum, animum prolixâ meditatione colendum.

N. 168. Dices ex eodem *à n.* 68. satis esse, ut dicatur, quòd actus regulatus ab errore invincibili sit secundùm quid honestus: hic enim actus, *Licet mihi hunc diem non sanctificare*, (suppono esse falsum, quia est dies festivus) quatenus nititur huic principio vero, *Licet non sanctificare diem ferialem*, est honestus secundùm quid, etsi talis non sit, quatenus nititur huic præmissæ falsæ, *Hodie est dies ferialis.*

N. 169. Sed contra 1. quia hoc est peccare in logicam, adeoque in ethicam: nam conclusio nititur utrique præmissæ, & sequitur debiliorem partem, atque adeo si una ex præmissis sit falsa, conclusio ab omnibus dicitur absolutè falsa, non verò secundùm quid vera: ergo cùm dictamen conscientiæ sit conclusio sola, non præmissæ; eaque sola regulet volitionem, & sit falsa, eò ipso volitio est absolutè non honesta, (si error invincibilis non honestat formaliter actum, sed sola logica veritas) nullatenus autem secundùm quid honesta. Contra 2. quia ex hâc doctrinâ sequitur, quòd omne peccatum erit secundùm quid honestum, si dictamen conscientiæ, contra quod operatur, nitatur uni præmissæ veræ, alteri falsæ: atque adeò hic actus, *Nolo restituere alienum*, erit secundùm quid honestus, quia est contra hoc dictamen conscientiæ, *Restituendum est mihi*, quod nititur uni præmissæ veræ, nempe, *Restituendum est alienum*; alteri falsæ, ut suppono, sed *hoc est alienum.* Similiter, quòd omnes Hæreticorum conclusiones erunt secundùm quid veræ, quia deducuntur sæpe ex unâ præmissâ verâ; quod nemo dicere audebit. Contra 3. quia per dictam doctrinam, quòd actus sequens ad errorem invincibilem sit secundùm quid honestus, infringuntur omnia, quæ in nos adduxit. Primum, quia S. Thom. absolutè negat, actum sub erroneâ invincibili conscientiâ positum, esse honestum; nec dicit esse secundum quid honestum. Secundum, quòd conscientia erronea erit secundùm quid recta; vel si non est, nec volitio erit secundùm quid honesta. Quòd si dixerit, erroneam esse secundùm quid rectam; cur non poterit conscientia esse logicè erronea, & ethicè recta; ipsaque volitio esse materialiter inhonesta, & moraliter honesta? Sanè magis repugnat, ut aliquid sit eodem genere veritatis absolutè verum, & secundùm quid falsum, quàm ut aliquid sit logicè falsum, & practicè verum; & sic de alijs.

Supersedeo à disparitatibus, quas *n.* 83. adducit. Similiter ab alijs argumentis, quæ *n.* 125. trahit; cùm solverim hic *sect.* 4. §. 2. ostendendo Doctorum contradicentiũ inductione, veritates particulares sæpe invĕtu impossibiles. Ostendi quoque, omnem Dei legem, *si sciatur*, esse observatu possibilem, ut fides Catholica docet, non verò si nesciatur. Ostendi etiam, quòd objectum prudentiæ sit verum practicum in re, non minùs ac justitiæ justum in re. Etenim præter contradictionem, ait enim *num.* 141. quòd justitia nil facit, nisi proponatur invincibiliter justum in re; hoc autem planè contradicit ei, quod trahit *n.* 142. dicendo, quòd medium virtutum sit medium in re conforme, & non tantùm in existimatione invincibili operantis: præter hanc contradictionem ludit in æquivoco; putat enim *n.* 140. Probabilistas docere, quod objectum prudentiæ non sit verum in re, sed tantùm in invincibili judicio prudentis; hoc autem est falsum: quando enim negamus, verum in re esse objectum prudentiæ, non negamus esse verum in re, ut subest judicio vero, aut falso; nam omne judicium, etsi falsum, proponitur ut in re verum: sed negamus, quòd verum in re, ut divisum à judicio, sit objectum prudentiæ; quare si objectum in re falsum proponatur ut in re verum, erit objectum prudentiæ; eo modo, quo objectum virtutum moralium est bonum in re, etsi quod proponitur ut bonum in re, possit esse in re malum. Ut ergo virtus moralis habet pro objecto bonum in re à cognitione propositum, quæ si vera sit, habet pro objecto bonum in re, ut in re est; si falsa, habet pro objecto malum in re, ut propositum in re bonum; ita prudentia habet pro objecto verum à cognitione propositum, quę si vera sit, erit verum in re, ut in re est; si invincibiliter falsa, erit falsum in re, propositum ut in re verum.

N. 170. Palanc.

§. II.

Objectiones Palanci contra leges reflexas.

SUMMARIUM.

Quia dici nequit, vi cujus conscientia invincibiliter falsa obliget, n. 172.
Quia nulla datur lex reflexa obligans sequi, vel rectam, vel erroneam, n. 173.
Quia dabitur lex reflexa obligans ad culpabiliter erroneam, n. 174.
Quia implicat, ut obligemur ad falsum, cùm obligemur ad verum, n. 175.
Quia dici nequit, legem reflexam esse in Deo per accidens, n. 176.
Quia Dei lex subordinaretur nostro dictamini, n. 177.
Quia Deus præciperet peccatum formale, num. 178.
Quia satis est ponere in Deo legem, ut sequamur conscientiam rectam, n. 179.
Quia nulla est necessaria cognitio de lege reflexâ, n. 180.
Ut argumenta solvantur, non est necesse ponere in Deo leges reflexas, n. 181.
Omnis conscientia ab aliquâ Dei lege objectivè obligatur, n. 182.
In ordine ad mores perinde est, sive una, sive duplex lex in Deo admittatur, ibid.
Cur à plerisque TT. dividatur Dei lex in directam, & reflexam, n. 183.
Admissâ lege reflexâ argumenta facilius solvuntur, n. 184.
Egregius textus D. Thom. quòd conscientia falsa obliget, quatenus videtur vera, n. 185.
Conscientia est regula formalis, & per se proximè obligat; lex Dei est regula objectiva, n. 186.
Conscientia non obligat, nisi aliquam legem proponat, n. 187.
Perinde est ad hoc ut obliget, quòd lex in re detur, aut non detur, dummodo dari in re proponatur, ibid.
Datur lex de sequendâ erroneâ propositâ ut vera, n. 188.
Nullus Probabilista docet dari in Deo legem sequendi conscientiam, vel veram, vel falsam, ibid.
Conscientia culpabiliter erronea deponenda; si non deponatur, ei parendum, n. 189.
Sequens erroneam, non sequitur ut erroneam, sed ut veram, ibid.
Quid sit legem Dei existere per se, quid per accidens? n. 190.
Non omne quod præsupponit aliud, ei subordinatur, n. 191.
Deus præcipit peccatum materiale, negatum à conscientiâ falsâ, esse tale, n. 192.
Congruentiæ cur à TT. admittantur leges reflexæ, etsi non necessariæ, n. 193.
Datur lex in Deo obligans sequi culpabiliter erroneam, si non deponatur, n. 194.
Nulla inter TT. in hâc re datur contradictio de re, sed tota de nomine, n. 195.

PRofusissimus est hic Doctor *qu. 6. à n. 9.* in impugnandâ lege Dei reflexâ; nec mirum, cùm enim inter sensum specificativum, & reduplicativum versemur, quàm facile est ab uno ad alium transire, tam facile est arguere. Placuit autem ejus argumenta uno intuitu proponere, præsertim cùm eâdem solutione solvantur. N. 171. Palanc.

Objicit primò: Conscientia invincibiliter falsa, vel obligat ratione sui; & hoc non, quia est regula secundaria; vel ratione alterius legis? hæc autem, vel est lex Dei directa; & hoc non, quia lex Dei directa vetat mendacium, erronea verò præcipit: vel est lex reflexa Dei? & hoc non, quia adhuc hâc negatâ tenetur homo sequi dictamen erroneum: ergo independenter ab omni lege obligatur. N. 172.

Secundò, quia tantùm abest, ut detur lex reflexa obligans sequi, quin datur lex obligans non sequi conscientiam erroneam; aliàs nulla foret diligentia necessaria pro veritate habendâ: ergo nulla datur lex obligans sequi, vel rectum, vel erroneum. N. 173.

Tertiò, quia daretur quoque lex obligans sequi culpabiliter erroneam; hæc non datur: ergo non datur lex obligans sequi inculpabiliter erroneam. N. 174.

Quarto, quia implicat, ut in Deo detur duplex lex, una obligans quærere veritatem, alia obligans sequi falsitatem; daretur enim lex vetans mendacium, & lex præcipiens mendacium. N. 175.

Quintò, quia dicere, quòd lex Dei directa existat per se in Deo, reflexa per accidens, est supponere, quòd in Deo possit aliquid existere per accidens. N. 176.

Sextò, quia si daretur in Deo lex reflexa obligans sequi conscientiam rectam, & falsam, lex Dei non esset prima moralitatis regula, quin subordinaretur nostro dictamini, quod foret prima regula; hoc autem damnatur ab *Innoc. II.* damnante, quòd *omnipotentia Dei subdatur nostro arbitrio.* N. 177. Innoc. II.

Septimò, quia Deus præciperet mendacium, si datur lex reflexa obligans sequi conscientiam falsam. N. 178.

Octavò, quia satis est dicere, dari in Deo hanc solam legem, *Sequere semper conscientiam rectam*: per hoc enim obligabimur sequi erroneâ, dummodò recta videatur: quâ solâ lege positâ, nullum sequitur absurdum ex N. 179.

recen-

recensitis, nempe, quòd nulla foret necessaria diligentia pro inventione veri, quòd Deus præciperet oppositа; quòd lex Dei nostro arbitrio subderetur, &c.

N. 180. Nono, quia teneor absque ullâ reflexâ Dei lege sequi culpabiliter erroneam; ergo etiam sine ullâ reflexâ Dei lege sequi teneor invincibiliter erroneam. Antecedens probat *num.* 111. quia si daretur lex reflexa obligans ad culpabiliter erroneam, Deus juberet peccatũ, & in peccato complaceret, ait *n.* 120. & quòd, qui Gentilibus, ut facilius reducerentur ad Christi D. legem, prædicaret ex culpabili aut inculpabili errore doctrinam falsam, Deus suâ lege præciperet, ut prędicaretur doctrina falsa; & quòd Deus gratiam suam ad eam falsam doctrinam prędicandam conferret; & esset Author illius, & posset eam veris miraculis confirmare; præcipuè cùm ait Palanco *num.* 123. Palanc. quòd P. Moya *qu.* 9. §. 7. *n.* 47. & plures alij P. Moy. TT. negent hoc esse absurdum, ut legi potest in P. Ripalda *d.* 4. de Fide *sect.* 4. *n.* 37. P. Rip.

N. 181. Sed hæc facillimè solvuntur, si sequentia advertantur. Certum quippe apud omnes est, aut esse debet, quòd ut argumenta contra errorem invincibilem, honestantem formaliter actum, solvantur, necessarium non esse tueri in Deo duas leges, unam directam, aliam reflexam. Etenim, si dicatur, hanc solam dari in Deo legem, *Sequere conscientiam, quam putas invincibiliter veram*, planum erit, quòd si invincibiliter erronea appareat vera, tenebor eam sequi; & tenebor ponere opus in re malum, putatum invincibiliter præceptum. Hoc posito, ruunt argumenta allata, excepto nono, & decimo, quę sunt contra errorem vincibilem, non invincibilem.

N. 182. Certum 2. quòd tam conscientia logicè vera, quàm logicè falsa, putata invincibiliter vera logicè, ratione alicujus legis objectivæ Divinæ obligat ad sui sequelam. Quærere autem, an hæc lex objectiva Divina sit una, aut duplex, nempe directa, & reflexa, perinde est in ordine ad mores quodcumque tucaris, cùm certum sit te æquè obligari à Deo, ut sequaris invincibiliter logicè falsam, putatam logicè veram, quàm conscientiam logicè veram. Similiter perinde est, sive affirmes, sive neges dari in Deo reflexam; dummodò enim per errorem invincibilem putes eam dari, teneris eam sequi, etsi in re non detur; & in hoc errat conscientia, quòd putet invincibiliter dari in Deo legem, quæ non datur. Ratio est; quia lex non obligat moraliter, nisi per cognitionem existat; ergo sive existat in mente per judicium logicè verum, sive per logicè falsum, putatum invincibiliter logicè verum, obligat.

Certum 3. quòd eam legem, *Sequere conscientiam, quam putas invincibiliter logicè veram*, (quamque dixi satis esse, ut quis obligetur sequi logicè falsam) Theologi plerique non spernendâ ratione in duas leges dividunt, ut facilius quæstiones de conscientiâ enucleent. Eo modo passim TT. idem realiter Dei Decretum, virtualiter, aut formaliter per rationem, aut ex naturâ rei in plura distinguunt, etsi Moderni ingeniosiores negent omnem, etiam per rationem, in eodem reali Decreto Dei, distinctionem: similiter passim ordinem prioritatis, & posterioritatis in eodem indiviso realiter Dei Decreto admittunt, quam alij negant; hoc autem non nisi, quia ut res difficillimæ faciliùs explicentur; nam omnes conveniunt nullam in eodem Dei Decreto distinctionem, aut ordinem realem. Cùm ergo hoc alibi sit ferè omnibus TT. familiare, & approbetur; cur à Palanco, & paucis Neotericis reprobabitur divisio hujus legis, *Sequere conscientiam, quam putas invincibili errore logicè veram*, in duas leges, quarum una sit circa conscientiam logicè veram; eaque lex dicitur directa, alia circa conscientiam logicè falsam, putatam tamen ex invincibili errore logicè veram? quæ dicitur reflexa, quia reflectit supra objectum, ut est sub cognitione falsâ, non, ut est in re divisum ab illâ. N. 183.

Confirmo 1. quia sicut TT. idem indivisibile realiter Decretum Dei, quia æquivalet pluribus, solent in plura per rationem saltem distinguere; ita etiam eadem lex, *Sequere conscientiam, quam invincibiliter putas logicè veram*, quia æquivalet his, *Sequere conscientiam logicè veram*: *Sequere invincibiliter erroneam*, dividi per nostram rationem poterit in duas Dei leges, unam circa objectum cognitum ut est in re, quæ dicitur directa; aliam circa objectũ falsò cognitum ut in re verum, quæ dicitur reflexa. Sanè conscientia ipsa dividitur à TT. in logicè veram, & in logicè falsam; similiter ab illis examinatur, an una tantùm, an utraque obliget; etsi sine ullâ divisione satis foret quærere, an sola conscientia vera obliget; ipsa enim falsa obligat, ut putata logicè vera: sicut ergo hæc, & alia in plures quæstiones dividunt, ut faciliùs explanentur; ita quoque, etsi Dei lex sit una tantùm, ad faciliorem tamen captum, à quâ lege oriatur obligatio sequendi veram, à quâ invincibiliter falsam, divisere eam plerique TT. in duas æquivalenter Dei leges; unam directam circa objecta N. 184.

cognita

cognita per judicium logicè verum; aliam reflexam circa objecta cognita per judicium logicè falsum, putatum invincibiliter logicè verum; etsi, reverà loquendo, non detur in Deo nisi lex obligans ad veram, sive illud sit in re verum, sive invincibiliter repræsentetur ut verum in re; erronea enim obligat, ut putatur vera in re.

N. 185. S. Tho. Confirmo 2. ex S. Thom. qui *qu.* 17. de Veritate *art.* 4. ait: *Ille qui habet conscientiam erroneam, credit esse veram, alias non erraret, & inhæret conscientiæ erroneæ propter rectitudinem, quam in eâ credit esse: inhæret quidem, per se loquendo, conscientiæ rectæ, sed erroneæ, quasi per accidens, in quantum hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse erroneam: & exinde est, quod, per se loquendo, ligatur à conscientiâ rectâ; per accidens verò ab erroneâ.* Nil magis ad rem. Ecce 1. quòd nemo sequatur erroneam, nisi quatenus putatur vera, & recta logicè. Ecce 2. quòd ad veram obligamur per se loquendo, ad erroneam per accidens, nempe sub ratione veri per errorem assixi. Ecce 3. quid sit legem, sive Divinam, sive humanam obligare per se, quid per accidens.

N. 186. Modò solvo argumenta, etiam suppositâ duplicis in Deo legis directæ, & reflexæ divisione. Ad primam objectionem dico, quòd sicut conscientia vera est per se ipsam formalis, & proxima regula volitionis; objectiva autem est ipsa lex Dei, quam conscientia vera repræsentat: ita conscientia falsa logicè obligat formaliter ratione sui, est enim regula immediata operis ponendi; objectiva verò est lex Dei, quam invincibiliter repræsentat. Quare nego, quòd conscientia sit regula formalis secundaria, quin est formalis primaria; lex autem Dei per conscientiam, sive veram, sive falsam, proposita, non est regula formalis, sed est regula objectiva primaria, sive à conscientiâ verâ, sive à falsâ proponatur. Secernat ergo arguens objectum *quod* ab objecto *quo*; & omnia plana. Id *quod* obligat, est ipsa lex Dei proposita à conscientiæ dictamine, etsi invincibiliter falso, suppositio ut logicè vero; & ideò ipsa lex Dei dicitur prima regula objectiva. Id *quo* obligat, est ipsamet conscientia, quæ est regula formalis: etenim lex Dei non obligat, nisi ut applicata per cognitionem, sive logicè veram, sive falsam logicè, putatam tamen logicè veram: ergo dummodo lex Dei, sive reverà in Deo existat, sive putetur reverà in Deo existere, à dictamine conscientiæ proponatur esse reverà in Deo, homo ab eo dictamine tamquam à regulâ formali ut *quo*; & ab ipsâ lege ab eo dictamine propositâ, ut verè in Deo existente, obligatur ut *quod* ponere tale opus. Qui scit, quòd lex etsi verè existens, non tamen cognita, perinde est quoad non obligandum, ac si non existeret; & econtra lex in re non existens, existens tamen in cognitione, perinde est quoad obligandum, ac si existeret, nil horum metuit. Hinc constat, quòd sive lex reflexa, *mentire, si invincibiliter judicas mentiendum*, sit in Deo, sive non sit, satis est, ut in mente existat per errorem invincibilem, quòd ea lex sit reverà in Deo, ut quis obligetur ab eâ lege mentiri.

Dices cum Palanco: Potest quis sine ullâ advertentiâ ad legem Dei reflexam de *mentiendo*, obligari ad conscientiam erroneam: ergo ea lex reflexa non datur in Deo. Imbellis objectio; si quid enim probat, probat quoque nos non obligari à lege Dei directâ, quia possum ab eâ præscindere; ergo non dabitur in Deo lex directa. Dico igitur, quòd ut conscientia liget, debet aliquam legem proponere, à quâ obligetur objectivè; nam à se non obligatur objectivè, sed tantùm formaliter dirigendo ad opus propositum a lege. Quare si conscientia sit logicè vera, proponit legem reverà existentem; si falsa, eo ipso non proponit legem in Deo revera existentem; quin circa hanc errat logicè, sed proponit legem, quæ in re non existit, attamen per errorem putat in Deo existere. Distinguatur ergo error circa legem Dei directam à non errore circa reflexam, & omnia patebunt. Conscientia invincibiliter falsa non errat circa legem Dei reflexam, sed circa legem Dei directam dictantem mendacium; quæ lex directa non datur in Deo: non errat autem circa reflexam, quia errore supposito, ut veritate, datur reverà in Deo lex reflexa obligans ad mendacium. N. 187. Palanc.

Ad secundum dico, nullam dari legem obligantem sequi erroneam cognitam ut erroneam; datur tamen lex obligans sequi erroneam propositam invincibiliter ut veram. Obligat ergo erronea putata ut vera, eaque habet pro objecto legem, quæ sive detur in re, sive tantùm in mente, perinde est ad hoc, ut quis obligetur eam sequi. Porrò certum per omnes est, quòd si error cognoscatur, tunc teneor eum deponere; si verò error putetur invincibiliter veritas, teneor eum sequi, tantò magis, quòd tunc deponi non potest, quia non cognoscitur ut error, sed ut veritas. Nego autem ullum dari Probabilistam, quin nec ullum Catholicum, qui somniaverit in Deo hanc legem, *Sequere* N. 188.

consci-

conſcientiam, vel veram, vel falſam; ſed hanc, *Sequere conſcientiam, vel logicè rectam, vel à te putatam ex invincibili errore rectam.* Rogo autem Palaneum, ne à ſenſu ſpecificativo, quem admittimus, tranſeat ad reduplicativum, quem negamus. Tuemur nos obligari ſequi invincibiliter erroneam putatam ex errore ut veram; negamus erroneam cognitam ut erroneam.

N. 189. Ad tertium dico, loquendo de culpabiliter erroneâ, quòd primò, & per ſe tenemur eam deponere; quod ſi deponere nolimus, tunc tenemur, ut omnes docent, eam ſequi.

Ad quartum dico, nullam in hoc repugnantiam, tenemur ſequi verum, immo & falſum propoſitum invincibiliter ut verum: qui autem ſequitur conſcientiam invincibiliter falſam, non ſequitur reduplicativè ut falſam, quin ſpecificativè falſam ſequitur ut reduplicativè veram. Quare audiendus non non eſt Palanco *qu. 6. n. 9.* dicens, quòd P. Moya, P. Carden. & P. Terillus *qu. 11. aſſert. 6.* docent, dari in Deo legem de ſequendâ conſcientiâ verâ, vel falſâ: etenim etſi eo modo loquerentur, de quo valdè dubito, nil aliud volunt, quàm ſequendam erroneam cognitam ut logicè veram; non verò cognitam ut erroneam.

Palanc. P. Moy. P. Card. P. Terl.

N. 190. Ad quintum, quid ſit obligare per ſe, & per accidens, adeò acutè, & clarè exponit S. Thom. ſuprà *n.* 185. ut omnis alia explicatio ſit ſuperflua: etenim hi ſunt loquendi modi, quibus TT. utuntur; non verò ſenſus eſt, quòd aliquod accidens in Deo exiſtat: etenim lex reflexa, quæ à nobis dicitur exiſtere in Deo per accidens, exiſtit per ſe in Deo; ſed dicitur exiſtere per accidens, quatenus præſupponit noſtrum errorem.

S. Th.

N. 191. Ad ſextum nego, quòd omne, quod aliud præſupponit, huic ſubordinetur; aliàs omnia Decreta Dei condonativa, punitiva, & alia, quia præſupponunt noſtra peccata, vel condonanda, vel punienda, ſubordinarentur noſtris peccatis. Vt ergo plures Dei leges, & Decreta poſſunt præſupponere aliquid ex parte hominis, quin Deus non ſit prima lex; ita in caſu noſtro, lex Dei, etſi præſupponat noſtrum dictamen, non tamen huic ſubordinatur, nec mirum, ſi mutato noſtro dictamine, mutetur noſtro loquendi modo ipſa Dei lex. Nec damnata eſt ad rem; tum quia dicit, ſubordinari, & donari creaturæ omnipotentiam, quaſi villam, & librum, qui eſt turpis, & falſus explicandi modus: tum quia dicam, Dei legem ſubordinari noſtris judicijs; ſi enim judicem dari, obligat; ſi non dari, non obligat.

In XI.

N. 192. Ad ſeptimum nego Deum præcipere peccatum formale; nam eſt de fide non dari peccatum formale ſub errore invincibili; ad ſummum præcipit peccatum materiale, cognitum tamen ut in re bonum: qui enim mentitur ſub errore invincibili, quòd ſit mentiendum, ponit mendacium, quod in re eſt peccatum materiale; ponit tamen ſub judicio, quòd non ſit opus in re malum, immò ſit in re bonum, & præceptum.

Ad octavum, fateor ſatis eſſe tueri in Deo ſolam legem ſequendi ſemper, quod homo judicat invincibiliter verum logicè. At quis non videat, quòd contra hanc legem militent ipſamet Palanci argumenta? En aliquę illationes. Ergo ſi opus in re malum proponatur ut præceptum, tenebor illud ponere: ergo Deus præcipit in re malum, & ſequi conſcientiam logicè falſam. Deinde ideo à pleriſque TT. quin à nobis admittitur in Deo duplex lex, una directa, alia reflexa, ut ſciatur, quid Deus directè, quid reflexè, & per accidens præcipiat; & ut faciliùs reſpondeamus duplici quæſtioni diſtinctę, nempe an Deus obliget tantùm ad conſcientiam in re veram, an etiam ad logicè falſam, putatam ex errore invincibili veram; & quia cùm duo ſint objecta, unum cognitum ut in re eſt, aliud cognitum, non ut in re eſt, ſed ex errore judicatum ita eſſe in re, ſeu objectum ut eſt in mente; ita pro objectorum diviſione, & pro methodo clariori, duas quoque leges in Deo per noſtram rationem diſtinguimus; ita ut lex Dei de objecto à nobis cognito per cognitionem veram, dicatur directa; de objecto cognito aliter, ac eſt in re, putato tamen ita eſſe in re, cùm non ſit, dicatur reflexa. Vt enim ſecunda dicitur reflexa, quia cadit ſupra errorem proponentem objectum ut eſt in ſe, non ut eſt ſub cognitione: ita quoque lex Dei de objecto ut eſt in re, dicitur directa; lex Dei de objecto, ut ſubſtante noſtro judicio logicè falſo, putato tamen vero, dicitur reflexa.

N. 193.

Ad nonum nego antecedens; datur enim lex reflexa obligans ſequi vincibiliter erroneam, ſi non deponatur, ut omnes docent: ergo ipſa culpabilis conſcientia proponit ſibi legem Dei, à quâ obligatur, quæ lex perinde eſt, ut vocetur directa, aut reflexa, dummodò conſcientiam obliget. Nec per hoc Deus præcipit peccatum formale, quin primariò præcipit, ut ea deponatur; quòd ſi non deponatur, præcipit, ut ponam opus dictatum ab eâ conſcientiâ culpabiliter falſâ; hoc autem opus non eſt peccatum formale, niſi in cauſâ, ſeu in ipſâ culpabili ignorantiâ, ut latè *Diſp. ſequenti* dicam. An autem

N. 194.

autem Deo placeat opus sub culpabili ignorantiâ positum? Ad hoc ipsum Palanco respondere debet: nam *qu.6.§.6.* apertè docet, obligari nos sequi culpabiliter erroneam. Dein dico non esse novum, quòd opus illud, ut conforme legi Dei obliganti nos ad culpabiliter erroneam, nisi deponatur, Deo non displiceat, imò placeat: ut verò idem opus est in re, Deo displiceat, quia est peccatum formale in causâ: ita dicimus, furtum liberè commissum, ut est in se, Deo displicere; ut autem est à Deo concurrente, & participatio libertatis Divinæ, (nam libertas humana dicitur participatio Divinæ) Deo non displicere. Ad paritatem, quòd juxta nos prædicans ex invincibili errore falsum eliciet actû formaliter honestum; dico nullum in hoc absurdum, & totum quod adest, est in ipsâ absurdâ suppositione, quâ admissâ ut verâ, & non absurdâ, illud quoque non erit absurdum.

Concludo, nullam inter DD. esse posse litem, nisi de voce. Qui tuentur in Deo legem reflexam obligantem sequi conscientiam erroneam, sumunt eam materialiter, ut est in se, & præcisam à mente operantis. Qui negant dari eam legem reflexam, sumunt conscientiam erroneam reduplicativè ut est in mente, non ut in re. Cùm ergo objecta sint inter se longè diversa, implicat, ut DD. sibi contradicant, nam contradictio est oppositio de eodem objecto. Quomodo, qui tuentur intellectum posse tendere in falsum, & voluntatem in malum, sumunt falsum, & malum specificativè; qui negant, sumunt reduplicativè; nec opponuntur, immò conveniunt inter se ijdem DD. in hoc, quòd intellectus tendens in falsum, tendat in illud sub ratione veri; & voluntas in malum sub ratione boni. N. 159.

DISPUTATIO VII.

De ignorantiâ, & errore vincibili.

N. 1. SATIS hactenus disputatum de ignorantiâ, & errore invincibili excusante actum sub eâ sequentem ab omni malitiâ formali, imò honestante formaliter eumdem actum; modò de ignorantiâ, & errore vincibili tractandum; & quidem rem omnem brevissimè confecissem, nisi P. Elizal. 2. *p. lib. 5. quæst.* 4. & post eum P. Thyrsus Gonzalez *tom.*4.*d.*6. & M. Palanco *qu.*8. per totam aliqua docuissent, quæ uberiori calamo expendenda sunt; placet autem sub primum intuitum adducere, quæ trahit P. Thyrsus, ut propositâ difficultate planior sit nostra sententia; deinde, quæ alij adducunt, reservamus pro argumentis nostræ doctrinæ oppositis.

P. Eliz. P. Thyr. Palanc.

SECTIO I.

Doctrina Patris Thyrsi Gonzalez.

§. I.

Prima ejus doctrina, & hujus fundamenta.

SUMMARIUM.

Docet peccari verè, & propriè errore culpabili, absque eo quòd quis advertat se peccare eo instanti, quin etsi certò putet se honestè operari, 2. *Quia tò* occurrit, *stat pro præterito: & sola ignorantia antecedens omne exercitium voluntatis est invincibilis,* n. 3.4.

S. Thomas dicit ignorantiam triplici modo se habere ad voluntatem, n.5.

Quid affectata, quid crassa ignorantia? ibid.

Et quia Doctores utuntur præterito, dum ignorantiam vincibilem exponunt, n. 7.

Quia qui cognoscit se peccare, non peccat ex ignorantiâ: dari autem ignorantiæ peccata, est certum, n.9.10.

Omne peccatum ignorantiæ supponit aliud, ibid.

Quia ut quis peccet, opus non est, ut toto quo peccat tempore, advertat se peccare, n.11.

Quia tantùm abest, ut hæc propositio, sæpe peccatur, quin sciatur, sit Jansenistica, quin est S. Aug. Synodi Palæstinæ, & Doctorum, qui Jansenium impugnant, n.12.

Quia non advertens agit liberè contra legem, num.13.

DOcet 1. insignis iste Doctor Salmanticensis, posse peccari verè, & propriè ignorantiâ, aut errore culpabili, quin eo instanti, quo quis contra legem operatur, seu peccat, advertat se peccare: & quod plus est, (ait *l. c. n.* 127. & 128.) quin ullam tunc suspicionem habeat de malitiâ; & subdit hanc esse constantem Patrum, & Theologorum N.2. P.Thyr.

gorum ſententiam; immò quod longè ma-
jus eſt, (ait *n.* 150. & 152.) etſi firmiſſimè
ſibi ſuadeat tale opus eſſe honeſtum, & Deo
obſequioſum.

N. 3. P. Val. q. Suadet 1. quia ea legis ignorantia eſt ex communi Theologorum invincibilis, cujus nulla ratio dubitandi *occurrit*, ita ut to *occurrit* ſtet pro præterito, non pro præſenti, ut colligitur ex P. Vaſqu. 1. 2. *d.* 123. *n.* 6. & *d.* 107. *cap.* 3. ergo ſi nunc agam contra legem, etſi nunc non occurrat dubitatio, quòd contra legem agam, dummodò ea occurrerit pro præterito, ea ignorantia eſt vincibilis; & nunc peccabo propriè contra legem, etſi nunc non cognoſcam me peccare, dummodo ea actio contra legem ſequatur ad ignorantiam culpabilem præteritam non retractatam. Confirmat: quia quotquot contra Lutherum, Calvinum, Baium, Janſenium, docent ignorantiam invincibilem juris naturalis excuſare à peccato, per ignorantiam *invincibilem* intelligunt ignorantiam antecedentem omne liberum voluntatis exercitium; id eſt, quæ nec vinci poteſt, dum peccatur, nec vinci *potuit*, antequam peccaretur, ſeu antequam quis ageret contra legem: ergo ignorantia, quæ in ſui cauſa, ſeu in negligentia ſciendi vinci potuit, licèt, dum quis peccat, vinci non poſſit, eſt vincibilis: ſed vincibilis non excuſat à peccato: ergo ignorantia, quam quis, dum peccat contra legem, vincere non poteſt, non excuſat à peccato: ergo peccari nunc poteſt, quin eo inſtanti, quo quis peccat, advertat ſe peccare, dummodo potuerit. Antecedens eſt certum inductione; nam S. Thom. 1. 2. *qu.* 6. *art.* 8. ait, ignorantiam triplici modo ſe habere ad voluntatem, concomitâter, quando ignorantia eſt de eo, quod agitur, attamen ſi ſciretur, adhuc ageretur; conſequenter, quatenus ipſa ignorantia eſt voluntaria, ſive directè, ut eſt affectata, quâ quis *vult non ſcire*; ſive indirectè, ut eſt craſſa, quâ quis *non vult ſcire* id, cujus ſciendi cognoſcit obligationem: antecedenter, quando non eſt voluntaria; & antecedentem vult excuſare à peccato, non autem conſequentem, hæc enim non *totaliter* excuſat, ait *qu.* 76. *art.* 3. ergo cùm ignorantia vincibilis ſit voluntaria, non excuſat à peccato opus hodie poſitum contra legem, eſto hodie non cognoſcam me operari contra legem. P. Val. *tom.* 2. *d.* 2. *qu.* 1. *pun.* 6. *colum.* 149. ex communi TT. ait, ignorantiam aliam eſſe voluntariam, quam quis *potuit*, & *debuit* repellere comparatâ cognitione, & dicitur vincibilis, & conſequens; vincibilis, quatenus vinci *potuit*; conſequens, quatenus, licèt conveniat cum invincibili, & antecedenti in hoc, quòd antecedit actum, qui fit ex ignorantiâ, eſt enim cauſa talis actus; adhuc tamen dicitur conſequens, quia ſequitur ad liberum voluntatis exercitium, quatenus fuit directè, vel indirectè, volita; directè, cùm quis de induſtriâ renuit ſcire; indirectè, cum quis *potuit*, ac *debuit* ſcire, & *neglexit*: aliam eſſe involuntariam, quæ etiam dicitur antecedens, non quidem ipſum actum poſitum ſub eâ ignorantiâ, hoc enim pacto omnis ignorantia, etiam vincibilis, & conſequens, eſſet antecedens; ſed dicitur antecedens, quatenus antecedit liberum exercitium voluntatis, nec *potuit*, nec *debuit* depelli. Idem tradit Illuſtr. Epiſc. Abelli in ſuâ Medullâ Theologicâ, exponens enim ignorantiam invincibilem utitur præterito, ait enim: Invincibilis eſt, quæ pro nullâ diligentiâ vinci *potuit*; non autem dicit, *poteſt*. Idem P. Amicus *tom.* 3. *d.* 3. *n.* 153. & P. Arsdekim *tom.* 2. *p.* 3. *tr.* 1. *pag.* 4. citans Malderum, & Wigers, qui ait, Ignorantia vincibilis eſt, quæ depelli *potuit*, ac *debuit*; invincibilis, quæ pro hominis arbitrio vinci non *potuit*: ergo, ut quis hodie peccet, non eſt neceſſe, ut hodie cognoſcat ſe peccare, ſed ſatis eſt, ut heri potuerit, & noluerit, & hodie non retractaverit eam voluntariam ignorantiam. Accedit P. Teril. quem P. Thyrſus *n.* 128. vocat acerrimum P. Elizaldæ Antagoniſtam, qui licèt *qu.* 63. *aſſert.* 4. contendat voluntatem non peccare in opere particulari peccato propriè, & ratione ſui imputabili, quando nulla actualis advertentia, nec ſpecialis, nec confuſa malitiæ moralis præceſſit, aut ſaltem dubitatio, aut ſcrupulus; attamen idem P. Teril. *qu.* 60. fatetur, ſæpe peccari, quando non advertitur peccari, nempe quando ignorantia, aut inadvertentia eſt culpabilis, ſeu poterat, & debebat vitari, addens, *Hoc probavimus nos, hoc omnes admittunt*; & concludit P. Teril. dicendo, Siquis de præſenti non cogitet, ſed ex culpâ præteritâ non retractatâ in hanc incogitantiam venerit, peccat quidem, ſed non novâ malitiâ, & imputabilitate: ergo, inquit P. Thyrſ. ex confeſſione P. Terilli, qui per errorem, aut ignorantiam culpabilem præteritam non retractatam agit hodie contra legem, peccat propriè, licèt hodie nihil cogitet de malitiâ actionis, ejuſque periculo.

N. 4. N. 5. S. Tho. N. 6. N. 7. Abelli. P. Ami. P. Arsdekin. Malder. Wigers. P. Teril. P. Thyr.

Suadet 2. P. Thyrſus *n.* 132. ex P. Elizal. *lib.* 1. *qu.* 4. *& 5. & lib.* 5. *qu.* 3. 4. 5. Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantiâ: ſed qui ſcit, & advertit ſe peccare, non peccat per ignorantiam, & ex ignorantiâ: ergo peccatur, quin ſciatur, & advertatur peccari. N. 8. P. Thyr. P. Eliz.

Maior

Maior est omnium. Minor est evidens, ait P. Eliz. cujus est argumentum, quodque à P. Thyrso laudatur: quia peccare per ignorantiam, & ex ignorantiâ, est ignoranter, & nesciendo peccare: sed qui scit se peccare, non peccat ignoranter, & nesciendo; immò in terminis repugnat, ut sciens se peccare peccet ignoranter, & nesciendo; & vice versa: ergo qui scit, & advertit se peccare, non peccat per ignorantiam, & ex ignorantiâ: ergo si peccatur per ignorantiam, & ex ignorantiâ, peccatur, quin sciatur, & advertatur peccari. Confirmat P. Thyrs. *n.* 144. quia certum est, quod præter peccata ex malitiâ, & ex passione, seu fragilitate, dantur etiam peccata contracta ex ignorantiâ: sed si opera facta ex errore sine ullo contra legem scrupulo sunt tantùm mala denominativè à negligentiâ, sequitur non dari peccata ex ignorantiâ, nam ipsa ignorantia denominatur peccatum à negligentiâ sciendi; & ipsum opus contra legem factum sub ignorantiâ denominatur peccatum ab ipsâ ignorantiâ, adeoque à primo ad ultimum tota malitia moralis est in solâ negligentiâ: ergo non dantur peccata ignorantiæ, seu malitia moralis contracta ex ignorantiâ. Confirmat 2. quia ipsa negligentia sciendi veritatem non est peccatum ignorantiæ, nam scienter admittitur; qui enim scienter negligit scire legem Dei, scit se peccare peccato negligentiæ: ergo ipsa negligentia non est peccatum ignorantiæ; & ideo acutè advertit Emin. Pallavicinus, quòd omne peccatum ignorantiæ præsupponit semper aliud peccatum ex malitiâ, seu scienter commissum, adeoque numquam est primum: qui enim ex ignorantiâ peccat, negligit ex malitiâ scire, quæ debet: ergo si tota malitia peccatorum, quæ fiunt ex ignorantiâ, stat in negligentiâ sciendi, nulla datur malitia, quæ ratione ignorantiæ incurritur: ergo tolluntur omnia peccata ignorantiæ, & nomine tenus unicè conceduntur.

N. 9. Pallav.

N. 10.

Suadet 3. *n.* 147. Peccat quis contra legem, ut vult etiam P. Teril. toto tempore, quo liberè exercet opus contra legem, etsi toto tempore non advertat ad malitiam operis: ergo etiam potest quis peccare toto tempore, quo opus externum contra legem liberè facit, etsi nullo ejus instanti ad malitiam advertat; dummodò non advertentia, quæ est causa operis, oriatur ex negligentiâ antecedenti non retractatâ per pœnitentiam.

N. 11. P. Thyr. P. Teril.

Suadet 4. quia tantùm abest, ut hæc propositio, *Sæpe peccatur, quin sciatur peccari: sæpe peccatur, quin eo instanti, quo agitur contra legem, nulla detur dubitatio, aut scrupulus de malitiâ operis, aut ejus periculo*, sit Jansenistica, quin est Synodi Palæstinæ, & Doctorum impugnantium ex professo Jansenium. Est Synodi Palæstinæ, quatenus, dum damnat hanc propositionem universalem negativam Pelagij, *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato*, id est, numquam sunt peccatum, *quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, reddit veram affirmativam particularem contradictoriam; *Oblivio, & ignorantia aliquando subjacent peccato*, id est, sunt peccatum, *etsi non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem eveniant*: ergo peccatur aliquando contra legem sine advertentiâ ad malitiam, quoties ea inadvertentia oritur ex negligentiâ culpabili antecedenti; tunc enim est necessitas consequens ad libertatem negligentiæ volitæ. Est Doctorum impugnantium ex professo Jansenium; nam P. de Champs inter Jansenij impugnatores nemini secundus *d. 5. cap. 6.* ait, quòd ignorantia oriens ex negligentiâ sciendi imputatur ad culpam, & opera, quæ ex hâc ignorantiâ contra præceptum contingunt, culpâ non vacant, nam per hoc præcisè, quòd ignorantia, & oblivio eorum, quæ quis scire tenebatur, sint indirectè volita, imputantur ad culpam. Idem ait P. Annatus in suo Augustino à Baianis vindicato *lib. 6.* loquens enim de eo, quod fit contra legem ex ignorantiâ culpabili, hæc scribit: Formalis voluntarij, ac peccati ratio per se negligentiæ competit, dein ex eâ refluit in ignorantiam, postremò derivatur in id, quod fit ex ignorantiâ: ergo tantùm abest, ait P. Thyrsus, ut sit Jansenismus dicere, dari potest peccatum sine ullâ actuali advertentiâ malitiæ eo instanti, quo peccatur; quin omnes impugnantes Jansenium, & exponentes mentem Synodi Palæstinæ contra Pelagium docent dari peccata sine ullâ advertentiâ actuali malitiæ, quoties illud peccatum oritur ex ignorantiâ antea culpabili. Confirmat ex eo, quòd Synodus Palæstina, ut rejiceret dogma Pelagij, & Cælestij negantis peccata ignorantiæ, quia eveniunt secundùm necessitatem, usa est Scripturæ locis; David enim petit sibi ignosci suas ignorantias, & in lege antiquâ præcipiebatur sacrificium pro peccatis ignorantiæ: ergo licèt ignorantia fiat secundùm necessitatem, adhuc potest esse peccatum, dummodò ea necessitas oriatur à negligentiâ culpabili veritatis: quod enim tunc non detur advertentia peccati, oritur ex libertate hominis nolentis scire: ergo potest quis contra legem peccare, quin eo instanti, quo contra legem operatur, suspicetur eam actionem esse malam: & tantùm abest, ut hoc sit Jansenismus, quin

Syn. Palæst. N. 13. P. de Cham. P. Annat. Syn. Palæst.

hoc

hoc negari non potest, salvâ Scripturâ, & Patrum doctrinâ, ait P. Thyrsus *sect.* 13. *circa finem.*

N. 13. Suadet 5. quia qui per ignorantiam sibi liberam agit contra legem, verè peccat: sed non advertens nunc se peccare, dummodò nunc agat contra legem errore orto ex negligentiâ culpabili, agit nunc liberè contra legem, non quidem libertate directâ, sed liberè indirectè, & in causâ, nempe in negligentiâ causante ignorantiam, & in ignorantiâ causante peccatum: ergo verè peccat.

§. II.

Altera P. Thyrsi doctrina, & ejus fundamenta.

SUMMARIUM.

Docet, quòd opus factum sine advertentiâ sit novum peccatum a peccato ignorantiæ, n. 14.
Citat Doctores, n. 15.
Quia mentiens ex errore culpabili peccat in legem vetantem mendacium, n. 16.
Quia culpabilis ignorantia non excusat, num. 18.
Quia ad novum peccatum satis nova libertas facti, n. 19.
Suadet paritate actus externi, n. 20.
Quatuor ejus corollaria, n. 22. ad 25.
Dicit se differre a Jansenistis, quòd isti negant necessariam libertatem peccati personalem, quam ille tuetur, n. 27.

N. 14. P. Thyr. SUppositò à P. Thyrso, & probato, quòd agens nunc contra legem ex errore culpabili, etsi nunc non advertat eam actionem esse contra legem, adhuc nunc verè peccet, ait deinde *num.* 134. totam inter Catholicos controversiam unicè reduci, an opus factum contra legem ex ignorantiâ culpabili, non tantùm sit propriè peccatum, ut priùs docuit, sed insuper sit peccatum distinctum ab ipso peccato ignorantiæ, & peccato negligentiæ, à quâ causatur ea ignorantia; an verò unum tantùm sit peccatum cum ipsa ignorantiâ, & negligentiâ, & tantùm denominativè à tali ignorantiâ sit peccatum. Quapropter

N. 15. P. Thyr. Cordob. Bilbar. S. Antonin. Ar. min. M. Con ventu. P. Eliz. Docet 2. P. Thyrsus à *n.* 134. & pro se citat Cordubam, Richardum, S. Antoninum, Ariminensem, M. Contenson, P. Elizal. docet, inquam, quòd homo peccans ignoranter contra legem, præter malitiam negligentiæ causantis ignorantiam, & præter malitiam ignorantiæ contrahere novam culpam per actum, quem contra legem naturalem ponit, ita tamen ut hæc nova malitia non sit adæquatè distincta à malitiâ negligentiæ antecedentis, sed inadæquate, nam ipsam malitiam negligentiæ supponit. Econtra P. Teril. *qu.* 40. *n.* 7. & *qu.* 60. *n.* 3. & 6. & *qu.* 63. *n.* 5. vult opus factum cõtra legem ex culpabili ignorantiâ, ab hâc ipsâ negligentiâ sciendi denominari, & esse verè peccatum, & nullam aliam malitiam peculiarem, aut pœnæ reatú afferre, quàm quæ dictę culpabili negligentiæ debetur; quapropter siquis nunc non cogitet, sed ex culpâ antecedenti non retractatâ in hanc incogitantiam venerit, ex. gr. mentiatur non cogitans, quòd mendacium etiam prolatum in tutelam innocentis sit peccatum, peccat quidem, non tamen novâ malitiâ, & imputabilitate, sed eâdem, quâ ipsa negligentia imputabilis est. P. Teril.

Porro rationes, quibus P. Thyrsus hanc suam doctrinam probare conatur, non tantùm hanc, sed etiam doctrinam *meo §. priori* traditam, quòd peccari possit, quin advertatur peccari, suadere videntur, & ideò eas in medium profero; cùm mihi plus displiceat prior, quàm præsens doctrina. P. Thyr.

N. 16. P. Sanc. Probat 1. quia est communis TT. cum P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 3. *n.* 12. quòd judicans per errorem culpabilem se teneri ad mentiendum, si mentiatur, peccabit contra præceptum non mentiendi: ergo sententia communis supponit ipsum mendacium esse propriè, & in se peccatum distinctum à conscientiâ erroneâ culpabili dictante esse mentiendum; sed dum mentitur, non advertit, ut suppono, se peccare; ergo peccatur nesciendo peccari. Confirmat 1. ex S. Thom. *Quodlib.* 8. *art.* 13. dicente, *Quod est contra legem Dei, semper est malũ, nec excusari per hoc, quòd sit secundum conscientiam*: ergo S. Thom. supponit, tum quòd culpabiliter judicans licere mendacium peccet mentiendo, etsi nullo scrupulo tangatur; tùm quòd præter malitiâ negligentiæ in discendâ lege, contrahat novam malitiam mendacij, quæ licèt non imputaretur, nisi præcessisset negligentia, eâ tamen suppositâ imputatur, & meretur novam pœnam propter malitiam mendacij, distinctam à pœnâ debitâ peccato negligẽtiæ. Cõfirmat 2. quia est communis sententia, quòd conscientia culpabiliter erronea non excuset à peccato actum, qui sub eâ fit contra legem: ergo supponit, quòd conscientiæ dictamen culpabiliter erroneum, etsi sine omni ratione in oppositum occurrẽtę contractum non excuset a culpâ actum contra legem sub eo errore positum: ergo supponit, quod præter malitiam negligentiæ nova addatur malitia in ipso actu, qui est contra legem, & ea de novo imputetur, ita ut negligentia antecedens

N. 17. S. Th.

N. 18.

cedens sit tota ratio libertatis, & imputabilitatis, non tamen tota malitia.

N. 19. P. Thyr. Probat 2. à priori; quia, ut actus contra legem Dei sub culpabili errore patratus habeat novam malitiam, non est necesse, ut habeat novam libertatem, & imputabilitatem, sed satis est libertas antiqua: ergo potest quis nunc peccare, etsi non advertat se peccare, dummodo adverterit, dum eam negligêtiam culpabilem voluit. Antecedens probatur paritate actus externi, quam tuetur Eliz. *lib.5. qu.3. §.3. mihi pag.13.* qui addit novam malitiam interno, licèt non addat novam libertatem; furans enim plus peccat, quàm volens furari, immò ideò volitio furti est mala, quia furtum externum est malum in se: ergo ut actus furandi sub errore vincibili, quòd bonus sit, commissus habeat novam malitiam, non est necesse, ut habeat novam libertatem, & imputabilitatem, sed satis est, ut supponat libertatem erroris, & sub tali libero errore ponat furtum. Addit P. Thyrs. *n.142.* quòd esto negaretur actionem externam addere novum demeritum, & malitiam supra internam, quatenus volitio efficax habetur pro facto, hoc tamen non tenet in actibus contrarijs legi naturali ortis ex ignorantiâ propter negligentiam culpabili; hi enim addunt novam malitiam inadæquatè distinctam à malitiâ negligentiæ: Sint enim, inquit, duo mercatores æquè negligentes in sciendo, an tales contractus sint liciti; unus autem ex illis unum tantùm contractum exerceat, alter centum, non potest, ait, tutò dici æquè peccare, qui centum, ac qui unum tantùm inivit. Idem patet in duobus æquè nolentibus scire legem Christi D. quorum unus sub errore culpabili furetur, lucrum ex mutuo recipiat, Sacramenta indignè tractet, beneficia ob pecuniam conferat; alter autem præcisè furetur; certè plùs puniendus est ille, quàm iste, & plus peccat ille, quàm iste: ergo falsa est, ait, sententia P. Terilli dicentis, totam malitiam peccatorûm, quæ fiunt per ignorantiam, consistere in culpabili negligentiâ, nam negligentia discendi legem Christi D. est peccatum, quod non est furtum, non est usura, non est sacrilegium, non est simonia; ea autem opera posita sub errore culpabili sunt usura, furtum, sacrilegium, simonia; ergo hæc opera novam malitiam addunt; ergo negligentia non est tota eorum malitia, sed præter malitiam negligentiæ additur nova alia malitia contracta ad speciem furti, sacrilegij, usuræ, simoniæ; quæ, licèt nova malitia non imputaretur, nisi præcessisset peccatum negligentiæ, in quo est libera, dato tamen, quòd hoc præcesserit, satis est, ut alia opera ex ipsâ negligentiâ orta novam habeant malitiam, quia potest crescere malitia, quin crescat libertas: ergo ut quis nunc peccet, satis est, ut habuerit libertatem.

P. Eliz. N. 20. P. Thyr. P. Teril.

Hinc infert P. Thyrsus quatuor corollaria. Primum *n.150.* falsam omnino esse sententiam docentem, quòd *nemo peccat, dum facit id, quod sine ullo conscientiæ remorsu, & scrupulo firmiter judicat esse honestum.* Ratio est; quia alioquin peccata Hæreticorum pertinacium firmiter arbitrantium suos errores esse veritates, non essent peccata. N. 22. P. Thyr.

Secundum *n.151.* falsam etiam esse hanc propositionem, *Omnis putans se in aliquo actu non peccare, non peccat;* ut enim vera sit, addi debet, *si taliter putans nil omisit eorum, quæ debuit.* Ratio est; quia aliàs Apostolorum persecutores, arbitrantes se obsequium præstare Deo eos persequendo, non peccassent. N. 23.

Tertium *n.152.* non posse nisi per ignorantiam accusari de Jansenismo sententiam docentem, quòd *quis potest propriè peccare agendo contra legem Dei, etsi dum contra eam agit, sine ullo conscientiæ remorsu, immò firmissimè sibi suadeat se obsequium præstare Deo ita operando.* Ratio est; quia esset Jansenismus sententia Concilij Palæstini, S. Augustini, S. Bernardi, S. Thomæ dicentis, illud, quod est contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quòd est juxta conscientiam: ergo juxta S. Thomam est malum, etsi fiat sine ullâ advertentiâ malitiæ, & cum conscientiâ firmissimè judicante esse honestum. N. 24.

Quartum *n.152.* neque esse Jansenismum dicere, quòd *error ortus ex negligentiâ culpabili antecedenti non excusat à novo peccato distincto à peccato negligentiæ actum, qui contra legem naturalem fit sine ullâ advertentiâ ad ejus malitiam, aut ejus periculum*; novo non novitate totali, sed partiali, seu non novitate libertatis ad peccandum, sed novitate malitiæ, quæ imputatur ratione libertatis præcedentis, quæ causavit negligentiam. Ratio est; quia juxta communem TT. cum S. Thomâ, omnis, qui per conscientiam culpabiliter erroneam firmiter sibi suadet licere fornicationem, quin aliquo scrupulo tangatur, peccat fornicando, peccato inadæquatè distincto à peccato negligentiæ antecedentis, & meretur pœnam distinctam à pœnâ respondête peccato negligentiæ sciendi Dei legem; quia, ut detur novum peccatũ, non est necessaria nova libertas, sed satis est, ut detur nova actio cum pleno judicio rationis deliberatè contra legem cõmissa, quæ N. 25. N. 26. S. Th.

ratione

ratione libertatis antecedentis imputetur, & sit voluntaria indirectè in causâ liberè posi-
P.Thyr. tâ, & non retractatâ. Hoc iterum repetit *n.* 155. concludens, quòd ad peccandum de novo novitate partiali satis sit, ut quis de novo deliberatè, seu cum pleno rationis judicio ponat actum contrarium legi naturali; etsi dum ponit nullam habeat advertentiam ad malitiam ratione suæ culpæ antecedentis; satis enim est, ut eam antecedenter habuerit formaliter, vel virtualiter, adeòque ad peccandum per ignorantiâ satis est, ut *libertas facti præsens, & libertas peccati præterita*, moraliter perseveret. Ratio est; quia, qui suâ culpâ nunc caret advertentiâ malitiæ, perinde se habet, ut imputetur ei actio contraria legi deliberatè posita, ac si de præsenti eam advertentiam haberet; etsi absolutè minùs pec-
N. 27. cet. Demum tradit disparitatem suę à sententiâ Jansenistarũ, nam Jansenistæ docent,
Jan'en. P.Thyr. non esse necessariam libertatem personalem præteritam, ut nunc peccem: econtra P. Thyrsus vult, satis quidem esse nunc libertatem facti, attamen cum libertate personali præteritâ moraliter perseverante, perseverat autem quousque peccatum negligentiæ non retractatur. Quare ille esset Jansenista, qui diceret, ad peccandum nec requiri, quòd quis nunc cognoscat opus esse moraliter malum, nec requiri, quòd habeat, vel habuerit in se potentiam liberam ad id cognoscendũ, sed satis esse, quòd eam in Adamo habuerit; cùm sit de fide, quòd ad peccandum peccato personali requiratur voluntarium personale, quod non stat sine cognitione malitię distinctâ, aut confusâ, formali, aut virtuali; im-
S. Tho. mediatâ erga malitiam in se, vel mediatâ erga malitiam in alio; est enim certum ex S. Thom. in 2. *dist.* 30. *qu.* 1. *art.* 2. ad culpam personæ requiri voluntatem personæ. Hæc P. Thyrsus *n.* 156.

SECTIO II.

Vera sententia pluribus conclusionibus exponitur.

§. I.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Quid advertentia actualis, & expressa; quid virtualis, & interpretativa? n. 28. ad 36.

An ut actus sit meritorius, sit à charitate in Deũ ordinandus? Doctores, n. 30.

Omnis advertentia interpretativa fundatur in actuali, n. 32.

Intentio virtualis diversimodè exponitur, n. 33. ad 36.

Per me intentio, aut advertentia virtualis, est ipsamet actualis, sed insensibilis, n. 36.

Quid intentio habitualis? non est satis ad Sacramentum conficiendum, ibid.

Omnes conveniunt, quòd ut quis peccet, opus non sit, ut toto tempore, quo peccat, advertat, n. 37.

An ad peccatum formale requiratur expressa, an satis virtualis advertentia? Doctores, n. 38.

Tota difficultas est, quomodò, si advertentia est necessaria, dentur peccata ignorantiæ? n. 40.

P. Vasquez ait, hoc non egere longâ disputatione, nisi quia Moderni manifestæ veritati contradicunt, ibid.

ADverte 1. quòd sicut in plerisque nostris actionibus duplex distingui solet intentio, alia actualis, alia virtualis, seu interpretativa; ita in præsenti duplex distingui solet deliberatio, & advertentia malitiæ, alia actualis, & expressa, alia virtualis, seu interpretativa; cujus divisionis mentionem faciũt Theologi infrà citandi, & citati à P. Ovied. 1. 2. *tr.* 4. *contr.* 1. *pu.* 4. P. Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 1. *pu.* 4. Actualis, & expressa cognitio, seu advertentia malitiæ est, quâ quis actu clarè cognoscit, sive verè, sive falsò, tale objectum, aut actum esse malũ, vel saltem dubitat, an tale sit. Virtualis, seu interpretativa diversimodè exponitur ad modum, quo intentio, & ordinatio virtualis exponi solet. Ut enim in Tractatu de Merito, Sacramentis, & Charitate, ubi quęritur, an, ut actus aliarum virtutum sint de condigno meritorij vitæ æternæ, debeant ordinari à charitate in Deum: Doctores, & Thomistę, qui talem charitatis ordinationem tamquam necessariam admittunt, dicunt, satis esse ordinationem virtualem; si autem quæratur, quid ea sit, explicant aliqui esse actum charitatis non retractatum, quo quis reliquos aliarum virtutum actus in Deũ ordinavit: ita Gonetus *tom.* 4. *d.* 2. *a n.* 135. & Gonet. Mastrius *in* 2. *d.* 7. *q.* 9. alij dicunt esse actum Mastr. charitatis existẽtem in sui virtute, & effectu, quo charitatis actu alij virtutum actus diriguntur in Deum: ita Pontius *d.* 36. *n.* 90. alij Pontius dicunt esse actum charitatis insensibilem, & remissum, quo pacto per intentionem remissam explicant intentionem virtualem: ita C. de Lugo *d.* 8. de Sacramentis, P. Muniessa *d.* C. de Lugo, P.Mun. 33. de Incarn. *n.* 88. P. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p.* ita P. Suar. virtualis, seu interpretativa advertentia malitiæ erit, vel advertentia peccati non retractata, ut innuit P. Thyrsus, vel advertentia malitiæ perseverans in effectu ad eam advertentiam secuto; vel remissa, & insensibilis advertentia malitiæ; immò interpretativa, & virtualis advertentia malitiæ est juxta ali-

N. 28. N. 29. N. 30. N. 31.

quos cognitio actus, aut objecti præscindens, an sit bonum, vel malum, cum potentiâ, & debito advertendi, an sit malum, ut sentire videtur P. Suar *d.* 4. de Volunt. *sect.* 3. Lorca *d.* 28. de Peccatis, Montesinos *tom.* 1. *d.* 7. *qu.* 1. Medina 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. & alij apud P. Oviedo *l.c.* quibus adhærere videtur M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 3. *qu.* 7. *art.* 4. *n.* 3.

Lorca, P. Suar. M. Med M. Tap.

N. 32. P. Ovie.

Sed hæc expositio merito rejicitur à P. Ovied. volente omnem interpretativam malitiæ cognitionem fundari necessariò in cognitione actuali expressâ apprehensivâ saltem, vel dubitativâ malitiæ, adeò ut repugnet advertentia interpretativa malitiæ sine præcedenti expressâ cognitione malitiæ, apprehensivâ saltem, vel dubitativâ. Ratio est; quia implicat, ut quis habeat potestatem ad cognoscendam malitiam, & velit se applicare ad eam cognoscendam, quin apprehendat priùs malitiam; nam nihil volitum, quin prœcognitum: ergo si cognitio interpretativa malitiæ est cognitio objecti præscindens à bonitate, & malitiâ illius cum potestate cognoscendi malitiam, eo ipso hæc potestas libera cognoscendi malitiam præsupponit actualem apprehensionem, aut dubitationem malitiæ; quomodo enim dicat, Volo cognoscere malitiam, quin antea eam apprehendat, cùm nihil volitio attingat, quod priùs intellectus non attingat, & omne objectum volitionis est prius objectum saltem apprehensionis.

N. 33.

Quapropter, ne longiùs abeam, dico, quòd sicut intêtio virtualis consecrandi, aut absolvendi est juxta magis solidam expositionem ipsa intentio præsens remissa, non autem est sola intentio actualis prœterita non retractata; qui enim dormit, non retractat eam intentionem, nec tamen tunc habet intentionem virtualem; atque adeò intentio virtualis præter non retractationem intentionis actualis prœteritæ dicit aliquid aliud, nempe virtutem, in quâ durat ea intentio actualis; quæ virtus meliùs explicatur dicendo esse ipsam intentionem actualem, sed remissam, & insensibilem in suo esse physico perseverantem; vel esse effectum liberum ex eâ derivatum, & sub eâ imperatum, ex. gr. esse accessum ad templum, sacrarum vestium indumentum, & religiosos actus, qui

N. 34.

ex intentione actuali prœteritâ imperati sunt: ita in casu nostro, interpretativa, vel virtualis deliberatio, & advertentia malitiæ, præter actualem expressam malitiæ advertentiam, & ejus non retractationem, dicit volitionem, seu advertentiam actualem liberam remissam, & insensibilem malitiæ, aut effectus liberos ex eâ actuali expressâ malitiæ deliberatione prœteritâ imperatos, in quibus dicitur moraliter perseverare. Rursus sicut intentio actualis consecrandi, præter volitionem, dicit cognitionem expressam objecti voliti, seu consecrationis volitæ; nihil enim volitum, quin prœcognitum: & sicut intentio virtualis consecrandi, præter actum voluntatis remissum, dicit cognitionem remissam consecrationis volitæ; ita volitio, seu deliberatio expressa malitiæ dicit cognitionem expressam malitiæ volitæ; & volitio interpretativa malitiæ dicit cognitionem virtualem, seu remissam malitiæ; nil enim volitum, quin prœcognitum.

Dixi itaque intentionem virtualem non esse nisi ipsam intentionem actualem remissam; vel, si placet, dic cum Caram. *lib.* 1. *Theol. Mor. Fund. n.* 157. *pag. mihi* 72. quod intentio virtualis est intentio actualis directa, seu non cognita signatè, & reflexè, sed tantùm exercitè; intentio autem actualis est ipsa intentio directa, ut reflexè cognita: ex. gr. si cognosco signatè me habere intentionem actualem directam, erit intentio actualis; si autem non cognosco, sed purè exercitè habeo eam intentionem actualem, erit intentio virtualis; quapropter dixi intentionem virtualem non esse, nisi ipsam intentionem actualem insensibilem, seu remissam: sicut autem certum per omnes est, quòd intentio habitualis, quæ non est nisi intentio non retractata, prœterita tamen, quæque in se non manet, non satis est ad Sacramentorum confectionem, sed necessaria est, vel actualis, vel virtualis; ita dico ad peccandum non satis esse cognitionem habitualem, sed necessariam esse virtualem, vel actualem malitiæ cognitionem.

N. 35. Caram.

N. 36.

Adverte 2. omnes Doctores convenire in hoc, quòd ad peccatum non est necesse, ut toto tempore, quo quis peccat, cogitet actu se peccare; quapropter P. Teril. *qu.* 63. *num.* 33. meritò conqueritur, quòd P. Eliz. nullo citato dicat, Theologos velle neminem contra legem peccare, quin eo tempore, quo peccat, advertat malitiam, ejusque periculum; nam rectè subdit P. Teril. Ego certè nullum vidi, nec existimo ullum esse, qui ita crudè sentiat de omnibus etiam illis, qui scientes, & volentes in scelera consentiunt; quis enim eos à peccato immunes faciat, eò quòd pro aliquo instanti actionis pravæ de illius malitiâ actu non cogitent? Et *num.* 2. ait, eum, qui legem, cujus actualiter est conscius, mox vehementi passione violat, & liberè prosequitur opus inchoatum, toto tempore peccare imputabiliter, quamvis singulis instantibus

N. 37. P. Teril. P. Eliz.

actu

actu non advertat se peccare : ergo certum apud omnes est, quod, ut quis peccet, non est necesse, ut toto tempore, quo quis peccat, cogitet actu se peccare, sed satis est, ut ex libertate peccati antecedenti continuet idem opus, ob quam erit imputabile in ratione peccati; eo modo, quo in alijs operibus liberis, ut quis dicatur libere studere, non est necesse, ut quolibet instanti cogitet se studere; immo quo magis quis studet, minùs advertit se studere, sed satis est, ut continuet idem studium, ex eâ intentione libera, quâ studio se applicuit; ex hâc enim studiũ toto tempore denominatur liberum.

N. 38. Adverte 3. certum quoque apud DD. Catholicos esse, quòd ad formale peccatum (sive Theologicum, sive purè Philosophicum, si possibile est) requiritur necessario advertentia peccati, sive expressa, ut apertè docet S. Thom. *qu.* 15. de Veritate *art.* 1. D. Bonav. *in* 2. *dist.* 29. P. Vasq. 1. 2. *d.* 60. *cap.* 3. *ad finem*, & *d.* 107. *cap.* 3. adducens plures Antiquos, P. Granado 1. 2. *tr.* 3. *d.* 3. P. G. Hurt. *d.* 4. de Peccatis, *diffic.* 4. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 11. *n.* 7. P. Salas 1. 2. *tr.* 8. *d. unicâ sect.* 3. *n.* 29. P. Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *d.* 1. *pu.* 4. *n.* 3. Joan. Sanch. in Selectis *d.* 19. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 4. *contr.* 1. *pu.* 4. & alij, quos dabo §. 3. sive interpretativa, seu virtualis, ut sufficere docent P. Suar. *d.* 4. de Volunt. *sect.* 3. Lorca *d.* 28. de Peccatis, Montesin. *tom.* 1. *d.* 7. *qu.* 1. *n.* 17. M. Medina 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. Caram. *lib.* 2. Theol. Fund. *pag. mihi* 479. *num.* 1361. qui tamen videtur deinde docere oppositum, M. Mart. de Prado in *Theol. Mor. cap.* 2. de Peccat. *qu.* 5. M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 3. *qu.* 7. *art.* 4. *n.* 3. Ratio est evidens; quia implicat, ut voluntas sit potens velle peccatum, nisi cognoscat peccatum, nam nihil voluntas velle potest, nisi hoc ipsum ab intellectu proponatur : ergo implicat peccatum sine prævia advertentia peccati, seu malitiæ; ut etiam tradidit P. Thyrsus *tom.* 4. *d.* 6. *n.* 42. agens contra Jansenium; ait enim, non minùs esse de ratione peccati cognitionem malitiæ formalem, aut interpretativam, præsentem, vel præteritam physicè, & moraliter præsentem, quàm libertatem indifferentiæ: ergo juxta fidem, immò juxta rationem naturalem, ut latè ostendimus *d.* 5. & 6. ad formale peccatum requiritur necessariò cognitio peccati; quia verò *advertendo* 1. dixi, quòd omnis virtualis, & interpretativa advertentia malitię, seu peccati præsupponit expressam advertentiam malitiæ saltem apprehensivam, vel dubitativam, ideò saltem hęc requiritur. Modò tota difficultas est N. 40. combinare peccata ignorantiæ cum necessitate advertentiæ; si enim dantur peccata ignorantiæ : ergo sine cognitione peccati, seu cum ignorantiâ peccati, peccatur; ergo ad peccatum non est necessaria advertẽtia peccati; ergo peccatur, quin advertatur peccari. Hæc est summa quæstionis, & difficultatis, quæ quidem, ut loquar cum P. Vasqu. *l. c.* ab Antiquis adeò egregiè agitata fuit, ut nisi Moderni aliqui veritati manifestè contradixissent, longâ non egeret disputatione. Hæc P. Vasqu. suo tempore; quod tamen potiori jure modò dici potest post doctrinam P. Elizal. & P. Thyrsi, qui quoad hoc punctum, *peccatur verè, & propriè, quin eo instanti, quo peccatur, advertatur peccari*, doctrinam Elizaldæ defendendam suscipit; & multò magis hoc dici potest post Dissertationem Theologicam de advertentiâ requisitâ ad peccandum formaliter, editam Leodij anno 1695. à F. Norberto de Elbecque Ordin. Prædicatorum, quem Authorem seorsim impugnabimus.

P. Vasq. P. Eliz. P. Thyrs. M. de Elbec.

S. Th. S. Bona. P. Vasq. P. Gran. P. G. Hurt. P. Sanc. P. Silas, P. Pala. Joann. Sanch. P. Ovie. N. 39. P. Suar. Lorca, Mõref. Caram, M. Mar. M. Tap. P. Thyr.

§. II.

Conclusiones faciliores.

SUMMARIUM.

Est de fide dari peccata ignorantiæ, n. 41.

Opus contra legem ex errore vincibili est peccatum ignorantiæ, n. 42.

Idem opus præter malitiam ignorantiæ vincibilis contrahit aliam malitiæ speciem contra virtutes præceptas, n. 43.

Si ignorantia olim vincibilis fiat nunc prorsus invincibilis, opus contra legem non est peccatum formale, sed materiale, n. 45.

Expono conclusionem, n. 46.

PRima conclusio : Dantur peccata ignorantiæ verè, & propriè talia. Est omniũ Catholicorum. Patet ex pluribus Scripturæ locis, in quibus petitur, ut Deus remittat peccata occulta, & in lege antiquâ offerebatur sacrificium pro peccatis ignorantiæ; & David petit sibi suas ignorantias ignosci; nemo autem petit sibi propriè ignosci, nisi quod ignoscitur, sit propriè culpa. Patet quoque ex omnibus TT. in 1. 2. & hoc fusè tractat P. Eliz. 2. *p. lib.* 5. *qu.* 3. §. 2. *mihi pag.* 12. nec est, quòd in hoc immorer; satis est S. Thom. qui in 2. *dist.* 22. *qu.* 2. *art.* 1. ait: *Nec mirum est, si hoc ipsum, quod est scientiâ carere, est peccatum ei, qui potest, & tenetur habere, cum etiam carere aliquo corporali ad officium pertinente peccatum sit, ut tonsura . . . quod autem ista in se peccata sint, pœna ostendit.* Idem ait 1. 2. *qu.* 6. *art.* 7. N. 41.

P. Eliz. S. Th.

Secunda conclusio : Quæcumque fiunt 42.

contra legem ex ignorantiâ vincibili sunt verè, & propriè peccata ignorantiæ. Est omnium Catholicorum. Patet; quia omnia ea opera sunt libera in ipsâ ignorantiâ vincibili; ergo nihil deest, quò minùs sint verè peccata. Confirmo: quia peccans cum ignorantiâ vincibili perinde se habet, ac si cognosceret malum esse id, quod facit: ergo sicut, si cognosceret, peccaret tali modo operando, ita etiam peccat, etsi non cognoscat, vel quia cognoscere non vult, & hæc dicitur ignorantia supina; vel quia vult non cognoscere, & dicitur affectata.

N. 43. Tertia conclusio: Eadem opera præter malitiam ignorantiæ vincibilis, à quâ procedunt, induunt præterea eam malitiæ speciem, quam habent ex oppositione cum lege, vel virtute, cui opponuntur. Patet; quia nihil deest tali operi facto contra legem ex ignorantiâ vincibili quo minùs contrahat eam malitiæ speciem, ex.gr. homicidij, si fiat contra vitam proximi, simoniæ, si contra religionem, injustitiæ, si contra justitiam; cùm enim opus illud sit liberum in ipsa ignorantiâ hìc, & nunc vincibili, & simul ut contra hanc, aut illam virtutem, non est, cur non contrahat illam speciem malitiæ; atque adeò, qui negligens scire, an hodie sit jejunium, an tale objectum sit fera, & ille comedat, iste jaculetur; ille esus erit contra abstinentiam cibi vetitam; & illa jaculatio erit homicidium, si objectum occisum sit homo: quare ille dupliciter peccabit, primò contra virtutem studiositatis, negligendo inquirere veritatem, ex quâ negligentiâ oritur ignorantia veritatis; secundo contra charitatem, injustè occidendo; jaculans enim in tale objectum, quod, an necne sit homo, scire noluit, cùm posset, perinde se habet, ac si sciviſſet esse hominem. Scio M. Tapiam

N. 44. M. Tap. *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 8. *art.* 5. & *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 3. velle, quòd si ignorantia vincibilis non prohibeatur propter se, non esse speciale peccatum: ex. gr. qui negligit scire, an hodie sit jejunandum, peccat tantùm peccato intemperantiæ non jejunando; non autem peccato speciali ignorantiæ, quia in hoc casu non prohibetur ignorantia propter se, sed propter intemperantiam: si autem ea ignorantia sit speciali præcepto prohibita, erit speciale peccatum; quia sicut, ubi non est speciale præceptum vetans aliquid per se, non est speciale peccatũ, etsi vetetur propter aliud; ita, ubi est speciale præceptum, est speciale peccatum.

N. 45. Quatta conclusio: Si ignorantia olim vincibilis fiat postea omnino invincibilis, opus factum contra legem sub hâc ignorantiâ invincibili est tantùm materialiter, non formaliter peccatum. Patet; quia implicat formale peccatum sine cognitione peccati: sed stante ignorantiâ omnino invincibili peccati, implicat cognitio peccati: ergo stante eâ ignorantiâ omnino invincibili, implicat, ut opus factum contra legem sit formale peccatum. Confirmo ijs omnibus, quæ adduxi *d.* 5. & 6. & conclusionis explicatione. Demus N. itaque me summo mane dubitare, an hodie 46. esus carnium sit vetitus, nec usum sufficienti diligentiâ ad sciendum; deinde accedente meridie sine ullâ advertentiâ, aut dubio præcepti edam carnes; tunc dico, quòd si hic esus carnium processit à volitione positâ, dum summo mane dubitavi de præcepto; dico, inquam, me peccare, tum contra studiositatem, quatenus nolui scire præceptum, tum contra præceptum Ecclesiæ, quod suppono dari, quòd violo carnes edendo; eaque incogitâtia non tollit peccatum contra temperantiam præceptam, quia volitio talis esus carnis non ponitur sub illâ, sed sub scrupulo matutino de existentiâ præcepti Ecclesiastici, & sub ignorantiâ vincibili matutinâ præcepti, sub quâ ille esus, & in qua est liber, & voluntarius. Similiter dico, quòd si prævidem me accedente meridie fortasse ex toto me non animadversurum, nec ullo modo dubitaturum, sed omnino non cogitaturum de præcepto, & sub tali incogitantiâ carnes edam, adhuc peccabo contra abstinentiam præceptam, quia illa ignorantia licèt hìc, & nunc invincibilis sit, quatenus nullo modo dubito de præcepto vetante carnis esum, an necne detur, absolutè tamen non est invincibilis, sed vincibilis, quatenus fuit prævisa, & volita saltem indirectè, nolens tollere impedimenta ejus ignorantiæ invincibilis; imò fortè ex professo distrahens me, & volens illam ignorantiam, adeòque esus carnium positus sub eâ ignorantiâ, licèt hìc, & nunc invincibili, est peccatum contra abstinentiam, & est liber in ipsâ ignorantiâ nunc invincibili; & hæc est libera in ipsâ ignorantiâ vincibili, & ratione volitionis nolentis eam ignorantiam invincibilem impedire, cùm tamen deberem. Quando ergo dico, quòd opus factum contra legem sub ignorantiâ invincibili non est peccatum, intelligi debet de ignorantiâ *omnino* invincibili, quatenus nec nunc vinci potest, nec pendet à volitione liberâ antecedenti; id est, non N. fuit quæsita, aut volita, sive directè, sive 47. indirectè; & hoc est, quod tradit P. Teril. *qu.* P. Teril. 40. *n.* 37. & *qu.* 60. *n.* 3. & *qu.* 63. *n.* 5. & *n.* 60. dicens, quòd si ignorantia olim vincibilis fiat postea invincibilis, quia non est, à

quo

quo ignorans instrui possit, tunc opus ex eâ ignorantiâ ortum est malum, & imputabile tantùm ratione ignorantiæ; ab hâc enim sciendi negligentia denominatur, & est verè peccatum, nec aliam malitiam peculiarem, aut pœnæ reatum affert, quàm quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur; quare siquis nunc non cogitet, sed ex culpâ priori non retractatâ in hanc incogitantiam venerit, peccat quidem, non tamen novâ malitiâ, & imputabilitate, sed eadem malitia, & imputabilitas culpæ prioris applicatur huic operi, & illud constituit imputabile. Ratio est; quia cùm ignorantia nunc sit invincibilis, opus sub eâ factum non potest magis imputari, quàm ipsa ignorantia; sed hæc secundùm se non potest imputari nunc, sed tantùm ratione causæ, seu negligentiæ, à quâ processit; ergo nec opus potest aliter imputari. Hæc P. Teril. cujus ratio ejus mentem declarat.

§. III.

Quando ignorantia vincibilis fiat omnino invincibilis?

SUMMARIUM.

Fit, quoties retractatur, aut quoties nec directè, nec indirectè est volita: manet autem vincibilis, quoties durat moraliter scrupulus inquirendi veritatem, n. 47.

Regula M. Tapiæ, n. 48.

An ad peccati mortalis, aut venialis moralitatem necessaria sit actualis, & expressa malitiæ advertentia, aut evidens judicium malitiæ? n. 49.

Doctores discrepant potiùs in explicatione advertentiæ virtualis, quam in puncto principali, n. 49. 50.

Omnis cognitio interpretativa supponit expressam, n. 51.

Per expressam non venit judicium evidens: satis dubium, scrupulus, & apprehensio non deposita, n. 52.

Quando vincibilis fiat omnino invincibilis? num. 53.

Regula de quantitate diligentiæ ex M. Tapia, num. 54.

Negat quod teneamur regulariter orare, & ad Deum converti, ut expellamus ignorantiam, num. 55.

N. 47. QUinta conclusio: Toties ignorâtia vincibilis fit omnino invincibilis, quoties ea retractatur, aut quoties hæc eadem invincibilis ignorantia, nec directè, nec indirectè est volita: directè, quatenus volui me distrahere ad alia eo fine, ut tollerem omnem advertentiam, vel scrupulum de obligatione inquirêdæ veritatis; indirectè, quatenus libere non impedivi ea, quæ parere poterant hâc omnimodam præcepti incogitantiam: toties autem ignorantia invincibilis non est omnino invincibilis, sed perseverat in ratione vincibilis, quoties durat moraliter scrupulus inquirendæ veritatis, seu existentiæ præcepti, vel durat in ratione liberi effectus, aut impedimentum prævisum occasionem daturum omnimodæ incogitantiæ.

Totam hanc doctrinam exactè, & breviter exponit egregiè pius, & doctus Archiep. Tapia *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 5. ubi hanc regulam tradit: Quando circa rem ignoratam nulla adest cogitatio, sive distincta, sive confusa in communi, vel in particulari, aut saltem dubium, aut scrupulus, talis ignorantia est omnino involuntaria, & invincibilis; quia, quod nullo modo est cognitum, non est voluntarium. Hæc M. Tapia. N. 48. M. Tap.

Ego puto hanc conclusionem apud omnes Catholicos esse sine controversiâ certam, & mentem omnium adamussim explicare, & celebrem inter TT. controversiam dirimere, an ad moralitatem peccati mortalis, & venialis, necessaria sit expressa malitiæ advertentia, ut plurimi affirmant, quos dedi §. 1. *advert.* 3. quibus addo Herinx *tom.* 2. *d.* 3. *qu.* 1. *n.* 7. qui ait: Ut actus sint moraliter mali, debet ista difformitas adverti, (non dicit, *debuit*) sive judicari per rationem operantis, & ipse operans debet illos liberè ponere, alioquin si exerceantur indeliberatè, aut aliàs *non liberè*, (nota hoc, quòd, dum exercentur, debet dari libertas, seu advertentia ad difformitatem) non erunt moraliter mali, nec imputabiles in peccatum: ita Herinx. Addo Caramuelem *lib.* 2. Theol. Mor. Fund. *pag.* 479. qui ait: Ut actio quædam sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui *noscit*, & *percipit* quid boni, malivè in eâ sit; & antequam id videat, aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala. Hæc Caram. Immò cur omnes TT. passim excusant à mortali actus indeliberatos, quibus cùm non possint negare omnem deliberationem, dant illis semiplenam, nisi quia semiplena præsens non est satis ad mortale? Ergo multò minùs libertas præterita, quæ nunc nec semiplena est. Sed quid laboro in re ferè certa? nam sola libertatis definitio allata à S. Thomâ de Animâ *qu.* 12. *art.* 3. *circa finem*, quam omnes amplectuntur, evincit, non satis esse ad actum nunc liberum, libertatem præteritam; definitur enim, *est Potentia, quæ, positis omnibus ad operandum prærequisitis, potest operari, & non operari;* N. 49. Herin. Caram. S. Tho.

P.Rhod *rari*; non dicit *potuit*. Addo P. Rhodes *tom.* 1. *Theol. d.* 3. *qu.* 2. *sect.* 1. qui ait: In materiâ conscientiæ prima, & indubitata regula est, quòd nullus umquam actus potest esse bonus, aut malus, nisi conscientia, & ratio superior cognoscat, & dictet illum esse bonũ, aut malum, aut certò periculosum. Ita unanimiter docent ethnici omnes Philosophi cum Arist. 2. Ethic. *cap.* 4. post lumen naturæ docet, ita Catholici omnes TT. cum S. Thom. quos ratio, & authoritas Patrum convincit nihil esse honestum, aut turpe, sine cognitione honestatis, aut turpitudinis, ut meritò novos Dogmatistas (Jansenistas intelligit) rideas. Hęc P. Rhodes. Puto, inquam, dirimere litem, an ad moralitatem peccati necessaria sit expressa advertentia malitię, ut plerosque docuisse dixi; an satis sit interpretativa, ut P. Suar. cum alijs suprà relatis; qui si convenirent in explicatione advertentiæ interpretativæ, convenirent cum Doctoribus affirmantibus ad peccatũ, sive mortale, sive veniale, necessariam esse advertentiam actualem malitiæ; quia, ut dixi

Aristot.

N. 50. *Advert.* 1. omnis advertentia interpretativa præsupponit necessariò advertẽtiam expressam malitię: quapropter discrimen inter Doctores citatos potius est in explicatione advertentiæ interpretativæ, quàm in puncto principali: nam omnes, tam affirmantes necessariam ad peccatum esse advertentiam expressam malitiæ, quàm negantes necessariam esse expressam, sed satis esse interpretativam, conveniunt in hoc, quòd quando ignorantia malitiæ, seu inadvertentia est vincibilis, non excusat; quando non est vincibilis, excusat: si autem in hoc conveniunt, consequenter omnes dicunt, ad peccandum satis esse cognitionem virtualem, seu interpretativam malitiæ; cum hoc discrimine, quòd aliqui cum P. Suar. & Lorca dicunt, tunc dari cognitionem interpretativam malitiæ, quoties tale objectum, aut actus cognoscitur, ut commodus, aut incommodus, & potest cognosci ut bonus, aut malus; adeòque dicunt, quòd licèt tunc non detur expressa cognitio malitiæ, datur tamen (inquiunt) virtualis, & interpretativa, quatenus ex cognitione commodi posset homo ille procedere ad malitiam cognoscendam.

N. 51. S. Th. P. Vasq. Econtra S. Thom. P. Vasqu. & alij, quos dedi, volunt, & merito, omnem cognitionem interpretativam malitiæ supponere necessariò cognitionem expressam, apprehensivam saltem, vel dubitativam, malitię; ita ut implicet cognitio interpretativa malitiæ sine prævia apprehensione, aut dubitatione malitiæ. Ratio est; quia ille dicitur velle interpretativè malitiam, qui dubitans de malitia actus, aut objecti, adhuc vult illud objectum, vel actum, & expressè reflexè cognoscit esse malum velle id, de quo dubitat, aut apprehendit, an sit directè malum: ergo omnis cognitio interpretativa malitiæ præsupponit necessario expressam malitię cognitionem: ergo si ad omne peccatum requiritur saltem cognitio interpretativa malitiæ, eo ipso necessariò requiritur cognitio expressa malitiæ, ut rectè P. Ovied. Si enim (inquit) sine expressâ malitiæ advertentiâ dari potest peccatum formale, maximè quia satis est advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ, quatenus homo cognoscens tale objectum potest liberè procedere ad expressam advertentiam; hoc enim modo P. Suar. Lorca, & alij exponunt advertentiam virtualem, & interpretativam: sed homo non potest liberè procedere ad talem advertentiam expressam, nisi medio actu voluntatis, quo dicat, *Volo inquirere, an hoc objectum, quod cognosco ut commodum, sit moraliter malum*; hæc autem volitio implicat sine prævia apprehensione, seu advertentiâ malitiæ, cùm nihil volitum, quin prægnitum: ergo non potest procedere ad inquisitionem malitię, nisi prius apprehendat, aut dubitet, an detur malitia: ergo à primo ad ultimum, ad ignorantiam vincibilem malitiæ præsupponitur necessariò aliqua expressa advertentia malitiæ. Dico, expressa advertentia; cujus nomine non venit evidentia, aut judicium clarum de malitiâ, cùm sola apprehensio actu existens, aut dubium, aut scrupulus satis sint; & hoc ipso benè intellecto, terguntur lacrymæ, & exclamationes, quas plenâ manu, orc, & oculis fundit M. Norber. Elbecque *art.* 2. confundens, aut intelligens per advertentiam actualem, plenam, perfectam, & expressam; intelligens, inquam, evidens, clarum, & expressum judicium malitiæ, cùm tamen sola apprehensio satis sit. Quare plerique TT. quibus præter citatos à Neuss. C. de *d.* 2. *qu.* 2. *n.* 5. & *d.* 21. *n.* 1. nempe C. de Lugo *d.* 16. de Pœnit. *n.* 460. P. Arriagam 1. 2. *d.* 13. *sect.* 2. *n.* 6. alioque passim, ferè omnes docent, quòd ad peccatum mortale formale satis, & necessaria sit actualis advertentia, dubium, aut suspicio quòd tale sit, non verò est necessaria reflexio, quòd tale sit. Lege inter Moralistas Potestatis *tom.* 1. *n.* 3728. qui expeditè tradit signa, undenam discernere possimus actualem plenam advertentiam.

P. Ovie. P. Suar. Lorca. N. 52. M. Elbecq. C. de Lugo, P. Arri. Neuss. Potestas.

Cùm ergo tota quæstio, an ad peccandum formaliter prærequiratur necessariò expressa malitię advertentia, an satis sit interpretativa, N. 53.

tativa, pendeat ab istâ, quòd ignorantia vincibilis non excusèt, invincibilis excusèt, si bene exponatur, quandonam vincibilis fiat omnino invincibilis, quandonam non fiat omnino invincibilis, eo ipso patebit, quando quis peccabit, quando non. Porro puto me clarè exposuisse hoc ipsum per meam conclusionem. Si enim vincibilis retractetur, eo ipso fiet invincibilis omnino, & actus sequêtes non erunt peccatum; adeòque siquis mane noluerit inquirere, an sit jejunium, dein ante meridiem eam ignorantiam retractet, & quærat, si ad manus habeat, respondentem, vel si nullum habeat, formet judicium reflexum, quòd legi certò non constanti non tenetur obedire, tunc non peccabit edendo carnes, quia ea ignorantia mane vincibilis, reddita est per ejusdem retractationem, aut veritatis inquisitionem, aut inquirendi impossibilitatem, facta, inquam, est omnino invincibilis, cùm nemo sit, qui instruat. Similiter dixi ignorâtiam vincibilem fieri posteà omnino invincibilem, si hæc ignorantia invincibilis, nec directè, nec indirectè sit volita, si enim accedente meridie penitus obliviscar jejunij, & nullam habeam advertentiam, aut dubium de jejunio, & ea inadvertentiâ nec directè, nec indirectè pendeat ab ignorantiâ antea summo mane vincibili, nec procedat ab ullâ volitione positâ sub eâ matutinâ ignorantiâ vincibili, tunc talis non jejunans, non peccabit, esto eam ignorantiam vincibilem non retractarit; & quoad hoc me oppono P. Thyrso censenti ignorâtiam vincibilem perseverare usque dum retractetur. Ratio est; quia implicat peccatum formale sine aliquâ advertentiâ: sed ignorans præceptum, ignorantiâ nec directè, nec indirectè volitâ caret tunc omni advertentiâ; ergo implicat, ut peccet.

N. 54. M. Tap. Quare M. Tapia *tom. 1. lib. 3. q. 9.* de ignorantiâ *art. 7.* quærens quæ, & quanta debeat esse diligentia, ut eâ adhibitâ ignorantia maneat invincibilis, ait, nec adhibendam summam, quæ à diligentissimis solet; nec satis infimam, seu diligentiam minorem diligentiâ communi, quæ communiter adhiberi solet. Rursus ait, generalem regulam non posse taxari, cùm hoc potiùs à circumstantijs, & personarum diversitate, & negotij difficultate pendeat, & ideò non tenêtur omnes ad eamdem diligentiam, sed quisque pro suâ possibilitate morali: doctus enim tenetur legere libros, recogitare negotium ignoratum, & aliquando consulere alios; indoctus autem nec tenetur legere, nec disputare, sed satis, ut viros doctos interroget; & ideò ignorantia, quæ respectu indocti est invincibilis, respectu docti erit vincibilis. Demum *n. 9.* ait, aliquam regulam generalem dari posse, nempe hanc: Unusquisque ignorans quod tenetur scire, debet adhibere eam diligentiam, quam in gravibus negotijs adhibere solent prudentes, & timorati, unusquisque pro captu suo. Rursus *n. 10.* hanc tradit: Ignorans non tenetur adhibere diligentiam, quæ per se non ordinatur moraliter, & humano modo ad acquirendam scientiam, & pellendam ignorantiam; sed eam tantùm, quæ per se est ad hoc ordinata, ut discere, legere libros, consulere doctos, studendo, & discurrendo; & ideò ignorantia, quando est speciale peccatum, est contra specialem virtutem Studiositatis, quæ est media inter vitiosam curiositatem, & negligentiam discendi.

N. 55. Hinc infer *n. 11.* neminem teneri (regulariter loquendo) orare, aut converti ad Deum, ut pellat ignorantiam, quia hæc media non sunt diligentiæ per se ordinatæ ad pellendam ignorantiam, etsi sint bona, & consulenda: cæterum nemo tenetur ex præcepto ad hoc, regulariter loquendo, propter dictam rationem. Subdit se dixisse, *regulariter loquendo*, quia in aliquo casu, ex. gr. si dubito, quid facere debeam circa rem ignotam, nec inveniam Doctorem, vel aliud medium per se ordinatum ad pellendam ignorantiam, tunc probabiliter videtur necessarium orationis subsidium, & si tunc ego ignorans timerem me ob mea peccata non exaudiendum à Deo, sed deserendum in ignorantiâ, tenebor ad Deum converti, ut videtur contigisse S. Augustino. Hæc M. Tapia, qui diverso omnino modo procedit, ac P. Eliz. licèt esset prudentissimus, religiosissimus, & sapiêtissimus Archiepiscopus. Combina, quæ ex M. Tapia adduxi, cum illis, quæ adduxi ex Eliz. *d. 5. sect. 4.*

M. Tap. P. Eliz.

§. IV.

Præcipua conclusio.

SUMMARIUM.

Implicat, ut quis peccet, absque eo quòd cognoscat se peccare, n. 56.

Doctores latissimè exponuntur, n. 57. ad 76.

Ut ignorantia sit nunc vincibilis, necesse, ut nunc cognoscatur, & vinci possit, non satis ut potuerit, n. 60.

S. Thomas ait, peccatum semper esse involuntarium, quantum ad id quod est ignoratum, ib.

Idem ait Cajetanus, n. 62.

Idem docte M. Tapia, n. 63.

Ad mortale semper necessaria actualis aliqua cognitio. Doctores, ibid.

S. Au-

S. Augustinus ait, nullum esse peccatum, nisi sit voluntarium, n. 65.
Unde sumenda gravitas peccati ignorantiæ? ibid.
Ferè omnes DD. utuntur præsenti, n. 67. ad 72.
Numquam ignorantia est peccatum, nisi aliquo modo cognoscatur, n. 73.
Confundunt Adversarij ignorantiam vincibilem, & invincibilem, n. 74.

N. 56. SExta conclusio: Licèt, ut quis peccet, non sit necesse, ut toto tempore, quo peccat, actu cognoscat se peccare; necesse tamen est, ut aliquo instanti ejus temporis, quo peccatum cómittit, peccans cognoscat actu se peccare: atque adeo hac ætate, quâ Jansenij cineres adhuc calent, non videtur dicendum, quod potest quis novo, & formali, & denuo imputabili peccato peccare, absque eo quod aliquo ejus, quo peccat, temporis instanti cognoscat se peccare; quasi ad novum peccatum necessaria non sit cognitio peccati *nunc*, sumpto pro aliquo instanti temporis, quo de novo peccatur; sed satis sit libertas facti nunc cum libertate peccati antiquâ.

N. 57. P. Eliz. P. Thyr. Palanc. M. Elbec. P. de Cham. P. Annat. P. Ovie. P. Teril. Caram. Hæc conclusio ex diametro opponitur P. Elizaldæ, P. Thyrso, Palanco, & M. de Elbecque; sed est P. de Champs, P. Annati, P. Terilli, P. Oviedo, & aliorum, quos citavi §. 1. & quos citabo in rationibus conclusionis. Puto tamen ante probationes necessariũ producere, quæ tradit Caram. *tom. 4. Theol. Mor. Fund. in Dialexi* de non certitudine, à *num.* 861. *pag. mihi* 283. ait enim: Vt aliquis peccet ex ignorantiâ vincibili, necessarium est, ut actu ipsam ignorantiam cognoscat, aut saltem dubitandi rationem habeat, & ut actu possit opus omittere, aut illam vincere; ecce (est ipsissimum, quod nos tradidimus) patet, (ait) quia nil volitum, quin præcognitum, volitio autem non habitualem, non virtualem, sed actualem cognitionem requirit; & ponit casum, in quo tam Petrus, quàm Paulus comederunt heri carnem, cùm esset dies jejunij; ita tamen ut Petrus nesciret; Paulus autem, etsi sciret, non fuit recordatus: quærit, an peccarint. Cornelius Jansenius, si consequentiam amat, asserit, quoniam *tom. 2. lib. 2.* de Naturâ lapsâ *cap. 24. colum.* 416. hanc rationem adducit: *Quamvis enim ignoretur esse peccatum, factum tamen quod concupiscitur, non ignoratur*: sunt verba Jansenij, per quæ concedit ad novum peccatum satis esse libertatem facti, ut concedunt DD. contra quos certamus. Prosequitur Caram. Sic etiam Lutherani, sic etiam Calvinistæ loquuntur; & dant rationem, quia ad peccatum sufficit, quòd non ignorent illi se edere carnes; quòd autem eas esse interdictas, ignorẽt, an sciant, perinde est. Quis non rideat? Subdit Caram. Si enim ignorantia in Petro fuit invincibilis, & inadvertentia in Paulo fuit invincibilis, non peccarunt; fuit autem, quia tam ignorantia Petri, quàm inadvertentia Pauli, ut essent peccaminosæ, oportet ut fuerit actu gravis ratio dubitandi cognita, & illâ neglecta carnes ederint.

Jansen.

Hæc doctrina est hodie in scholâ communis, & illam ex S. Thomâ *qu. 15. de Veritate art. 4. ad 10.* se didicisse fatetur P. Vasq. *1. 2. d. 107. cap. 3. à n. 6.* & *d. 124. cap. 2. n. 5.* & Diana *p. 4. tr. 5. res. 36.* P. Laym. *lib. 1. tr. 2.* P. Koning de Act. supernat. *d. 14. dub. 11. n. 129.* P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 16. n. 21.* P. Suar. *d. 4.* de Censuris *sect. 8. n. 18.* P. Palao *tom. 1. tr. 2. d. 1. pu. 15. n. 5.* M. Sylvest. verbo, *delectatio*, Corduba *lib. 1. qu. 23.* quos omnes Leander de Censuris *tr. 1. d. 9. qu. 1. pag. 63.* à §. *ignorantia*, hoc doctissimo scholio dilucidat. Multò probabilius (addit Caram. certissimè dixissem ego) alij dicunt, quòd ut ignorantia sit vincibilis, & peccaminosa, præter advertentiæ obligationem requiratur ante consensum aliqua cogitatio, & consideratio actualis malitiæ, aut periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio, vel scrupulus malitiæ operis; aliàs opus in quantum malum non est voluntarium, cùm fieri nequeat, ut voluntas velit malum, quod intellectus non præcognoverit. Hæc Leander. Idem expressè docet S. Bonav. *in 2. dist. 40. art. 2. qu. 1.* dicens: *Omne peccatum actuale, si sit mortale, debeat esse simpliciter voluntarium*; ergo ex cognitione. Subdit Caram. tam claram esse hanc doctrinam, ut putet posse certissimè demonstrari; & trahit hoc argumentũ, quod antequam apud eum legerem, mihi occurrerat. In his, quæ benè scimus, experimur nos facere aliquos actus ob mentis distractionem, qui essent mali, si adverteremus nos habere illam notitiam, quæ in nobis habitualiter est; & tamen excusantur, quia distractio mentis impedit, ne scientia habitualis in eos influat; non enim influere potest actualiter, nisi sit actu cognita: ergo à fortiori in his, quæ ignoramus, poterimus ob mentis distractionem facere aliquos actus, qui essent mali, si adverteremus nos habuisse eam ignorantiam; & tamen excusantur, quia distractio mentis impedit, ut ignorantia habitualis in eos influat; non enim ea ignorantia potest actualiter influere, nisi sit actu cognita: ergo etsi heri, aut olim ea ignorantia fuerit vincibilis, attamen si hìc, & nunc nescio, aut non adverto me eam ignorantiam habere, dicenda est invincibilis. Demum

N. 58. S. Tho. P. Valq. Diana, P. Laym. P. Konin. P. Sanch. P. Suar. M. Syl. Corduba, Leand. Caram. S. Bon. vent.

citat

N. 59. Bordon. P. Val. Zumel, Gerson Azor, Adrian. Navar.

citat Bordon. P. Valen. Zumel, Gersonem, P. Azor, Adrian. Navar. sentientes me peccare hodie peccato ignorātiæ, licèt actu non cognoscam me eam habere; & dicit eos DD. sibi contradicere; dum enim dicunt, Petrum edentem carnes peccare, quia potest, & debet advertere malitiam peccati, quærit Caramuel, an Petrus, dum edit, cognoscat illud debitum, vel non? si cognoscit, dicunt, quod nos, nempe quòd ut peccet, cognoscere debeat debitum interrogandi, & dubium de die jejunij: si non cognoscit, contra est; quia debitum nascitur ex obligatione certâ, & cognitâ: ergo implicat dari debitum, quod obliget, & non cognoscatur. Tandem concludit meritò: Habe patientiam lector candide, nam ego illam habere nescio, quando audio esse, qui tam claræ contradicunt sententiæ; ut enim ventus, qui heri spirabat, non potest hodie movere meam navim, ita nec cognitio, quâ heri sciebam me habere obligationem examinandi tale dubium, vi cujus non potuissem licitè exequi opus ante examen; immò si executus fuissem, peccavissem, si superveniente oblivione, aut inadvertentiâ, nunc in me non existat, non habebo nunc obligationem examinandi tale dubium; & si hic, & nunc procedam ad opus, non peccabo. Hæc pro rei veritate Caram. quæ si legisset M. Elbecque, non ægrè tulisset *art.* 2. quòd nostra sententia dicatur cō-

Neusse. P. Haunol. P. Perez C. de Lugo, P. Arri. M. Elbec.

munis. Addo Neusser *d.* 21. *num.* 1. *pag.* 104. docentem, quòd ad peccatum necessariū sit semper judicium de licentiâ, aut non licentiâ actus; vel quòd dubitet, vel advertat, se non satis examinasse naturam operis; & citat P. Haunol. *lib.* 2. *tr.* 1. *n.* 129. P. Perez *tr.* 1. de Peccatis *d.* 2. *cap.* 5. *n.* 14. C. de Lugo *d.* 10. de Fide *num.* 28. P. Arriagam, qui contra P. Suarez ait, non esse absurdum sic homines excusari à multis peccatis, quin hoc optandum, & alios plures.

N. 60. P. Eliz. P. Thyr.

Probatur 1. evertendo præcipuum P. Eliz. & P. Thyrsi argumentum; ideo enim dicunt, quem peccare eo instanti, quo non cognoscit peccare, quatenus supponunt ignorantiam peccati esse voluntariam, & vincibilem; nam ignorantia vincibilis est, quæ vinci *potuit*, licèt hìc, & nunc vinci non possit: sed hoc est omnino falsum; ignorantiâ enim, quæ hìc, & nunc nullo modo vinci potest, non est vincibilis hìc, & nunc, sed est hìc, & nunc invincibilis: ergo falsum est, quòd quis peccare possit peccato de novo imputabili, si eo, quo peccat, instanti advertere non possit, nec advertat se peccare. Mi-

S. Th.

nor probatur 1. ex S. Thomâ *qu.* 3. de Malo *art.* 8. dicente, *Tollitur peccatum, quantum ad id, quod est ignoratum*, (dicit *est*, non dicit, *fuit* ignoratum) *unde si in eodem actu aliquid ignoratum sit*, (non dicit, *fuerit*) *& aliquid scitum potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum*, (non dicit, *fuit*) *semper tamen* (nota to *semper*) *est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum*: (non dicit, *fuit*,) quo quid clarius pro meâ sententiâ? ita enim arguo: Quod est ignoratū, semper est involuntarium juxta S. Thomam: sed quod nunc non advertitur esse peccatum, est nunc ignoratum; ergo est nunc involuntarium; ergo nunc non est peccatum, non tantùm novum, quia non advertitur esse peccatum, sed ne quidem est nunc peccatum ignorantiæ, si nunc non advertitur, quia de ratione peccati ignorantiæ est, ut advertatur esse peccatum.

N. 61.

Hinc nescio quomodò Adversarij inferāt ex S. Thomâ, quod fit contra legem, esse malum, licèt fiat sine advertentiâ malitiæ, & cum conscientiâ firmissimè judicante esse honestum; ex his enim verbis, (quæ si crudè sumantur, suadent ignorantiam invincibilem non excusare) nihil velimus S. Thomam sibi evidenter contradicere, infertur tantùm esse malum materialiter, non autem formaliter; nam ad peccatum formale necessaria est advertentia malitiæ, ait S. Thom. *qu.* 3. de Malo *art.* 8. & constat ex definitione libertatis traditâ ex S. Thomâ §. 3. suprà. Quòd si S. Thom. loquatur de malo formali, tunc loquitur de non advertentiâ culpabili malitiæ, quatenus noluit cognoscere malitiâ directam actus, aut objecti, cognoscit tamen malitiam reflexam, quatenus reflexè scit se peccare, dum non advertit liberè ad directā malitiam operis contra legem, quam debet, & potest hic, & nunc advertere.

S. Th.

N. 62. Caiet.

Addo celebrem S. Thomę commentatorem Caietanum 1. 2. *qu.* 6. *art.* 3. dicentem: Siquis certâ intentione perseverans nullo modo peccandi mortaliter, & *sciens* (*N.B.*) talem contractū redolere usuram, & nihilominus non recolens *actualiter* ejus, quod habitualiter scit, facit talem contractum, non peccat mortaliter. Hæc Caiet. qui non tantùm ignorantiam, quę est nescientia, sed puram inconsiderantiam ejus, quod quis scit, vult excusare à mortali; & post pauca subdit: & hæc pro consolatione bonārum mentium, ibi culpam timentium ubi non reperitur, notanda, & applicanda occurrentibus casibus. Ecce quàm uniformis est doctrina Caietani nostræ sententiæ. Addo 2. alium ex eâdem sacrâ Familiâ celebrem infulis, doctrinâ, & pietate, nempe M. Tapiam, qui

M. Tap.

tom. 1. *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 5. pro discernendâ ignorantiâ invincibili à vincibili, hanc regu-

lam

lam tradit: Quando circa rem ignoratam nulla *adeſt* (*N.B.*) cogitatio, ſive diſtincta, ſive confuſa, in communi, vel in particulari, aut ſaltem dubium, aut ſcrupulus, talis ignorantia eſt omnino involuntaria invincibilis; quia quod nullo modo eſt cognitum, non eſt voluntarium. Hæc Tapia.

Rurſus *art.* 11. examinans quando actualis ignorantia, quæ dicitur inconſideratio, & inadvertentia actualis, poſſit eſſe invincibilis, aut vincibilis, ait *num.* 2. Ut ignorantia actualis, ſeu inconſideratio ſit vincibilis, & culpabilis, *requiritur alia actualis* (*N.B.*) advertentia, ſeu conſideratio malitiæ moralis, vel dubitatio, aut ſcrupulus; quòd ſi nihil horum præceſſerit, ea ignorantia, inconſideratio, aut oblivio, etiam eorum, quæ pertinent ad ſtatum, vel miniſterium ignorantis, erit invincibilis. Hæc regula colligitur ex D.Thom. *qu.* 15. de Veritate *art.* 4. *ad* 10. quia abſque conſideratione malitiæ non poteſt voluntas liberè conſentire malitiæ. Addit: Nec ſufficit conſideratio prima omnino antecedens voluntatem, quia prima conſideratio malitiæ non eſt in noſtra libertate, ſed eſt omnino naturalis, & indeliberata; alias daretur proceſſus in infinitum, & numquam initium haberet libera conſultatio, niſi deveniatur ad aliquam primam cogitationem indeliberatam, quæ non cadit ſub deliberatione, ut rectè notat D.Thom. 1.2. *qu.* 14. *art.* 6. ergo, ſublatâ hâc conſideratione, & advertentiâ mali, quam diximus in aſſignatâ regulâ, inconſideratio, ignorantia, & oblivio eſt invincibilis. Demum *n.* 5. ait: Ratio autem radicalis excuſationis peccati, deficiente omnino tali cogitatione, eſt, quòd, ſublatâ omnino cogitatione, *non poteſt homo poteſtate proximâ* (*N.B.*) vincere ignorantiam, ſeu inadvertentiam, ut colligitur ex diſcurſu allegato: ut autem ignorantia, aut inconſideratio ſit vincibilis, aut culpabilis, neceſſe eſt *adeſſe* (ecce utitur præſenti) poteſtatem vincendi illam, non qualemcumque, ſed *poteſtatem proximam*; ſi autem hæc non adſit, cenſenda eſt invincibilis, *juxta communem Doctorum regulam, id eſt, invincibile, quod vincere non eſt in noſtrâ poteſtate morali.* Hæc ferè ad verbum tantus Præſul, qui ijſdem ferè verbis noſtram tradit doctrinam.

N. 63. M.Tap. S. Th. M.Med Lorca, Caiet. Mõteſ.

Dices M. Tapiam ſtare pro oppoſitâ ſententiâ, nam *lib.* 3. *qu.* 7. *art.* 4. quærens, quæ advertentia rationis, & quis conſenſus voluntatis ad mortale ſatis ſint, ait ſatis eſſe advertentiam indirectam, ſeu interpretativam, & virtualem; & citat pro ſe 1.2. *qu.* 6. *art.* 3. *ad* 3. D.Thomam, & Medin. 1.2. *qu.* 6. *art.* 8. Lorcam *d.* 28. Caiet. 2.2. *qu.* 88. *art.* 1. Monteſ. *d.* 7. *art.* 1. Adrianum *quodlib.* 7. Navar. qui ſæpe in Manuali dicit, eum peccare mortaliter, qui advertit, vel poterat, & debebat advertere. Porro explicans idem Tapia advertentiam virtualem, & interpretativam ait, nihil aliud eſſe, quàm poſſe, & teneri advertere, quando expreſsè non advertit; deinde hâc ratione ſuadet ad mortale ſatis eſſe advertentiam interpretativam, quia ſi requireretur explicita, & directa, numquam daretur peccatum mortale cum aliquâ ignorantiâ, & advertentiâ, quod eſt contra omnes Theologos. Hæc M. Tapia. Adrian. Navarr. M.Tap.

Sed contra; quia tantùm abeſt, ut doctiſſimus vir ſit contra nos, quin ſtat evidenter pro nobis, ut patet ex *ll.cc.* quando igitur negat, quòd ad mortale neceſſaria ſit advertentia expreſſa, ſeu explicita, non negat requiri aliquam advertentiam, immò vult aliquam requiri; tum quia hìc ait aliquam advertentiam requiri ad mortale; tum quia *l. c. qu.* 9. ait requiri ſaltem ſcrupulum, & dubitationem; quod igitur negat, eſt, requiri expreſſam, ſeu explicitam, quod & nos negamus: ergo non eſt contra nos; nam nos affirmamus quod ipſe, requiri aliquam actualem advertentiam; & negamus quod ipſe, requiri expreſſam, ſeu explicitam. Immo cùm idem M.Tapia *eâ qu.* 7. *art.* 4. *n.* 1. *& qu.* 17. *art.* 4. cum Monteſ. *d.* 7. *qu.* 1. Lorca *d.* 28. *memb.* 1. M. Alvar. *d.* 144. Curiel *dub.* 1. & communi DD. apertè doceat ex S. Thomâ 1. 2. *qu.* 74. *art.* 3. *ad* 3. *& qu.* 88. *art.* 2. *& qu.* 15. de Verit. *art.* 4. *ad* 2. doceat, inquam, ad mortale requiri advertentiam perfectam, (notet hoc M.Elbecque, quid doceat inſignis Tapia, & non dolebit, quòd hoc doceat P. Oviedo) quia non eſt præſumendum de Dei bonitate, & ſapientiâ ſe graviter offenſam judicare, levi, & imperfecta advertentiâ, quod iterum repetit *qu.* 17. *art.* 4. conſequenter quomodò dici poteſt, quòd dum *eodem articulo* dicit ſatis eſſe advertentiam interpretativam, eumdem per hanc intelligere, nullam omnino actualem advertentiam? ſibi enim contradiceret; ſi enim imperfecta advertentia juxta illum non eſt ſatis ad mortale, quomodo ſatis erit nulla advertentia actualis? Mõteſ. Lorca. M. Alvar. Curiel, S. Th. M. Elbecq. P.Ovie. M.Tap.

Addo, quòd dum interpretativam advertentiam explicat dicendo, Quando quis poteſt, & tenetur advertere; per tò *poteſt*, intelligit poteſtatem proximam, ut docet *qu.* 9. *art.* 11. *n.* 5. quę conſtituitur, ut *ibi* docet, ex cogitatione aliquâ malitiæ; nec enim vincere poteſt proximè ignorantiam, ſi ad illam non advertit, ut docuerat *qu.* 9. *art.* 5. exponens quando ignorantia ſit, aut non ſit vincibilis; & iterum repetit *qu.* 9. *art.* 11. Vide etiam

etiam eumdem *qu.* 10. *art.* 4. *&* 5. Demum dico, quòd licèt uteretur præterito *potuit*, quo tamen non utitur, etsi aliqui dicto præterito utantur, tò *potuit* sumendum est pro instanti rationis, aut temporis *immediatè* antecedenti exercitium voluntatis, non autem longo tempore præcedenti; vel *potuit* pro tempore præterito, quo fuit vincibilis.

N. 64. M. Durand. Addo 3. M. Durand. in 2. *dist.* 36. *qu.* 5. *num.* 6. dicentem: *Ignorantia causalis* (id est, antecedens) *aut est eorum, quæ non tenemur, aut quæ non possumus scire, quæ dicitur invincibilis; aut est eorum, quæ possumus scire, & tenemur, quæ dicitur vincibilis. Prima omnino excusat, si sit invincibilis secundùm se, & secundum causam suam; quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantem, cujus ignorantia est invincibilis secundum se, quia tunc* (*N.B.* ait, tunc) *non potest judicare quid agendum sit vel non agendum; tamen non est invincibilis secundùm causam, quia potuit se non inebriare, & ita non ignorare, & ideò omnino non est excusatus.* Ecce in terminis nostra mens: ebrius enim juxta Durandum tunc non peccat, non laborat tunc ignorantiâ invincibili, peccavit tamen priùs, quia potuit non ignorare.

N. 65. Eadem minor probatur ex S. August. qui *lib.* 3. de Lib. arbitr. ait: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* (dicit, *potest*, non dicit, *potuit*) sed ignorantia, quæ nunc non cognoscitur, caveri nunc non potest; ergo implicat, ut talis ignorantia sit peccatum, & sit vincibilis, cùm omnis vincibilis sit peccatum: si ergo nunc non advertens ad peccatum ignorantiæ, nunc non peccat peccato ignorantiæ; multò minùs nunc non advertens ad aliud peccatū, peccabit nunc alio peccato: ut enim hæc non advertentia sit vincibilis, debet, ut sæpe dixi, cognosci malitia talis non advertentiæ; & omnis volitio talis ignorantiæ vincibilis præsupponit necessario cognitionem apprehensivam, aut dubitativam malitiæ, nam volitio velle non potest eam ignorantiam sub ratione vincibilis, seu peccati, aut non potest nolle eam excludere, nisi eam præcognoscat, ut peccatum; nam omne volitum, aut nolitum, est S. Aug. præcognitum. Rursus S. August. ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis* (non dicit, *neglexisti*) quærere, quod ignoras: sed ignorantia, quæ hìc, & nunc non est cognita, ut peccatum, est involuntaria, & invita sub ratione peccati: ergo talis ignorantia hìc, & nunc non est peccatum, seu non est vincibilis: ergo neque, quod ad eam sequitur, est peccatum: ergo nunc non peccat, nec peccato ignorantiæ, nec alio peccato: non peccato ignorantiæ, quia ea non cognoscitur, ut peccatum; non alio peccato, quia hoc aliud ad rationem peccati supponit eam ignorantiam esse vincibilem ex doctrinâ P. Thyrsi. Similiter S. August. *lib.* 1. Retract. *cap.* 13. ait: *Usque adeo peccatum malum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: (non dicit, *fuit*) . . . *ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat*: & ipse P. Thyrsus *num.* 41. dicit hoc sentire omnes TT. cum S. Thom. 1. 2. *qu.* 74. *&* *qu.* 3. de Malo *art.* 8. dicente, de ratione peccati esse, ut sit voluntarium. P. Thyr. S. Th.

Modò ita arguo: De ratione peccati, juxta omnes TT. ut ait P. Thyrsus, est, ut sit voluntarium: ergo etiam de ratione peccati ignorantiæ; adeo ut M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 3. *qu.* 9. *art.* 2. *num.* 6. dicat, quòd gravitas peccati ignorantiæ sumitur non tantùm ex gravitate materię, sed etiam ex perfectâ deliberatione; ita *ut si materia fuerit gravis, & deliberatio plena, ac perfecta, erit mortale; si autem unum deficiat, vel alterum, erit veniale*, ait Tapia: sed ignorantia, quæ hìc, & nunc non cognoscitur, atque adeo hìc, & nunc vinci non potest, non est voluntaria: ergo hìc, & nunc non est peccatum; ut ergo nunc sit peccatum, debet nunc posse vinci; ut nunc possit vinci, debet nunc cognosci; quâ enim ratione possit voluntas velle non ignorare peccaminosè, aut nolle ignorare peccaminosè, nisi ea ignorantia apprehendatur priùs ut peccatum à volitione respuendum? Rursus si de ratione peccati, juxta omnes, est, ut ait P. Thyrsus, *ut sit* voluntarium; de ratione autem voluntarij, juxta omnes Philosophos, & TT. est supponere pro priori naturæ cognitionem, sequitur eo ipso, quòd omne peccatum supponit pro priori naturæ, atque adeo pro eodem instanti reali cognitionem: ergo Adversarij omnibus Theologis contradicunt, hi enim omnes utuntur *præsenti*, ita ut eo instanti, quo est peccatum, debeat eodem instanti esse voluntarium, eodemque instanti cognitum: ergo juxta omnes TT. implicat dicere, quòd potest quis peccare eo instanti, quo non cognoscit ullo modo se peccare; potest quidem aliquis explere, & continuare peccatum, at non potest de novo peccare; nam dicere, quòd quis potest peccare eo instanti, quo nullo modo advertit se peccare, idem est, ac dicere, quòd potest quis peccare eo instanti, quo peccatum non est voluntarium, si enim non est cognitum, non est voluntarium. N. 66. M. Tap. P. Thyr.

N. 67. Tertiò eadem minor probatur: quia B.

Pius V. Greg. XIII. Urban. VIII. Baius.

Pius V. & Greg. XIII. & Urban. VIII. damnant hanc Baij 67. *Homo peccat damnabiliter in eo, quod necessariò facit, seu in eo, quod vitare non potest;* (non dicit, *non potuit*) sed ignorantia, quæ hic, & nunc vinci non potest, non potest nunc vitari; ergo nunc non est peccatum; ergo ut sit, debet nunc posse vinci; ut autem nunc vinci possit, debet nunc cognosci ejus expellendę obligatio, seu ejus malitia.

N. 68. S. Joan. à Capistran.

Quartò S. Joan. à Capistrano in Specul. Consicient. *num.* 159. citatus à Fratre Bonaventurâ Vandem Dicke in suis Thesibus Historico-Theologicis de vitâ, & doctrinâ ejusdem Sancti, *conclus.* 2. defensis Lovanij anno 1691. Vincibilis ignorantia est, quæ cùm quis discere potest, quæ scire tenetur, & tamen aut negligit, aut omnino renuit scire, tunc in eo quo excusabilis esse potest, excusat à tanto, sed numquam à toto; & *num.* 144. Ignorantia invincibilis dicitur, quæ studio superari non potest, (non dicit, *non potuit*) & propter hoc cùm talis ignorantia non sit voluntaria, (non dicit, *non fuerit,*) eò quod eam repellere non est (non dicit, *non fuit*) in nostrâ potestate, non est peccatum; ex quo patet, quòd nulla ignorantia invincibilis est peccatum: & *num.* 209. Ut probabiliter dicatur quis ignorare, non requiritur, quod sit nimis diligens, & curiosus in inquirendo, sed sufficit, quod non sit nimis dissolutus, & negligens ad quærendum. Hæc S. Joan. à Capistrano; quò quid clarius? Ergo nulla ignorantia, quæ hic, & nunc expelli non potest, licèt olim potuerit, hic, & nunc non est peccatum: ergo implicat peccatum sine advertentiâ eo instanti, quo peccatur.

N. 69. Magist.

Quintò Magister in 2. *dist.* 22. ait: *Est enim ignorantia triplex, & eorum, qui scire nolunt, cùm possint,* (non dicit, potuerint) *quæ non excusat, quia & ipsa peccatum est;* hæc dicitur affectata, quatenus talis homo amat ignorantiam ex affectu magis peccandi; *& eorum, qui volunt, & non possunt, quæ excusat, & est pœna peccati,* (dicit, non *possunt;* & hæc est invincibilis; non autem dicit, *non potuerunt*) *& eorum, qui quasi simpliciter nesciunt non venientes, vel proponentes scire, quæ neminem plenè excusat, sed sit fortaße, ut minus puniatur;* & hæc est supina, quæ differt ab affectatâ, quomodò non volens scire à nolente scire, seu omissio ab actu positivo.

N. 70. Dom. Soto,

Sextò Dom. Soto in 4. *dist.* 28. *qu.* 1. *art.* 2. *pag. mihi* 139. ait, ignorantiam crassam, & supinam esse, quę vel ex malitiâ, vel ex nimiâ negligentiâ *procedit,* (non autem dicit, processit.) Caramuel in Apologem. *num.* 82. ait: Ignorantia invincibilis est, quam hic, & nunc homo superare non potest, (nota tò *hic, & nunc*) licèt enim Petrus heri potuerit veritatem addiscere, & licèt fortè eam heri non addiscendo peccaverit, si nunc caret medio, ut possit ad notitiam veritatis venire, nunc illam invincibiliter ignorat. Caram.

Hęc ignorantia, vel invitis Luthero, Calvino, Jansenio etiam in Jure Divino à culpâ excusat: oppositam à Jansenistis hausit Dominus Fagnanus, & tamquam firmum fundamentum substruit, ut suum pseudolemma succollet. Hęc Caramuel. Luther. Calvin. Jansen.

Modò ita arguo: Qui scire non vult, vel vult non scire, cùm possit, peccat: ergo qui non vult scire, vel vult non scire, cùm non potest, non peccat: ergo implicat, ut quis peccet peccato ignorantiæ, aut alio peccato, cùm quis non potest moraliter scire: ergo implicat, ut non advertens obligationem sciendi, aut non peccandi, peccet peccato ignorantiæ, aut alio genere peccati non cogniti, & non possibilis hic, & nunc cognosci. Ratio à priori est; quia ignorantia in esse vincibilis constituitur per cognitionem intimantem obligationem sciendi, & proponentem malitiam ignorantię; ergo si hæc cognitio omnino tollatur, ita ut nullo modo (juxta dicta in antecedentibus conclusionibus, & advertendis) virtualiter perseveret, eò ipso ignorantia transit in invincibilem: ergo implicat, ut actus contra legem sequens ad ignorantiam carentem omni cognitione intimante obligationem sciendi, & proponente malitiam ignorantiæ, sit peccatum; cùm tota ratio peccati in tali casu, & suppositione sit, teste etiam P. Eliz. & P. Thyrso, ex ignorantiâ vincibili. N. 71.

Demum omnes Theologi, uno excepto P. Valent. P. Arsdekin, alijsque pauccissimis, definientes ignorantiam invincibilem utuntur præsenti, *non potest,* ut dixi *d.* 5. *sect.* 2. §. 2. ubi latè retuli Doctorum verba, & loca; non autem dicunt, invincibilem esse, quæ vinci *non potuit*: ergo, salvâ oppositorum regulâ, vincibilis est, quæ vinci *potest*, non autem, quæ vinci *potuit*. Addo quòd illi ipsi, qui utuntur præterito *potuit*, intelligi possunt loqui de præterito instanti temporis, vel rationis *immediatè* antecedenti actum voluntatis, non autem de præterito heri, aut longiori temporis antecedenti. Vide DD. citatos tum *disp.* 5. *sect.* 2. §. 2. tum hic *hoc* §. Interim satis sit Sanctus Thomas, qui instar omnium est, ait enim 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. *Ignorantia eorum, quæ quis scire non* N. 72. P. Val. P. Arsdekin. S. Tho.

potest

poteſt (intellige, moraliter; conſtituitur autem in eſſe potentis moraliter per cognitionem intimantem malitiam ignorantiæ, & obligationem ſciendi, ut dixi *d.* 5. *ſect.* 2. §. 1. & 2.) *invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt, & propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eò quòd non eſt in noſtrâ* P. Eliz. P. Thyr. Palanc. M. Elbecq. *poteſtate eam repellere, non eſt peccatum.* Quid evidentius contra P. Eliz. P. Thyrſum, M. Elbecque, & Palanco? immò hi Doctores alibi utuntur paſſim præſenti. Audi Palancum *qu.* 10. *num.* 20. dicentem: Factâ debitâ diligentiâ ſi error conſcientiæ eſt vincibilis, & culpabilis, neceſſariò detegetur; nam ſi factâ debitâ inquiſitione veritatis error non detegitur, conſcientia, vel non eſt erronea, vel error ipſius eſt inculpabilis. Ecce utitur præſenti: ergo quoties non datur hîc, & nunc advertentia de ulteriori inquiſitione veritatis, error erit invincibilis. Similiter *qu.* 6. *num.* 10. utitur præſenti, dum Palanc. ait: *Lex, quæ non cognoſcitur, perinde ſe habet in ordine ad obligandum, ac ſi non eſſet*: ergo ſi perjurium non cognoſcitur eſſe peccatum, etſi ex errore vincibili, qui (juxta Palanco) in eſſe vincibilis non conſtituitur per ullam advertentiam, pejerando non peccabo; ergo vel ejus doctrina, quòd nulla advertentia neceſſaria ſit circa obligationem vincendæ ignorantiæ, eſt falſa; vel ſi eſt vera, tantùm abeſt, ut pejerans ex errore vincibili nullâ advertentiâ mixto, peccet novo peccato formali, quin ea doctrina de non neceſſariâ advertentiâ tollit peccandi potentiam, atque adeo pejerans non tantùm non peccat novo peccato, quin peccare non poteſt.

N. 73. Addo, quòd ſi communiſſima Theologorum ſententia cenſenda eſt moraliter certa, ut docet P. Card. *tom.* 1. *d.* 12. utique noſtra concluſio erit moraliter certa, nam ignorantiam non poſſe eſſe vincibilem, niſi aliqua cogitatio, dubitatio, aut ſcrupulus occurrat, ſentiunt S. Bonav. Alenſis, Alb. M. Henricus, Gerſon, S. Antonin. Caiet. quos citat, & ſequitur P. Vaſqu. 1. 2. *d.* 107. *cap.* 3. & *d.* 123. *cap.* 2. P. Salas 1. 2. *tr.* 3. *d.* 4. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 16. *num.* 21. quibus addo P. Suares de Cenſuris *d.* 4. *ſect.* 8. *n.* 18. P. Perez *tr.* 2. de Juſt. *d.* 2. *n.* 95. P. Moya *tom.* 2. *tr.* 1. *qu.* 5 *n.* 41. Caram. *tom.* 4. Theol. Fund. *n.* 85. & omnes, quos citavi *d.* 5. *ſect.* 2. §. 2. & hîc *hoc* §. ergo noſtra concluſio eſt moraliter certa.

S. Bon. Alen. Alb. M. Henri. Gerſon Antonin. Caiet. P. Vaſq. P. Suar. P. Perez P. Moy. P. Sanc. Caram.

N. 74. Confirmo quærendo ab Adverſarijs, quid ſit ignorantia invincibilis: ſi dixerint eſſe illam, cujus vincendæ nulla nec eſt, nec adfuit cogitatio, ita ut de eſſentiâ illius ſit, nullam umquam nec eſſe, nec adfuiſſe advertentiam; vincibilis autem ſit, cujus vincendæ aliqua adfuit cogitatio, licèt nunc nulla adſit: Contra eſt 1. quia ſequitur, quod quoties aliqua vincendæ ignorantiæ præfuit cogitatio, ea ignorantia erit vincibilis; ſed hoc eſt manifeſtè contra P. Thyrſum dicentem, quòd ſi ignorantia antea vinci potuit, & poſtea *retractetur*, fiet invincibilis, & quod ſub eâ fit, non erit peccatum; ſed retractatio non facit, quòd antea vinci non potuerit, ſed quòd nunc vinci non poſſit: ergo ſive velit, ſive nolit, non eſt de eſſentiâ omnis ignorantiæ invincibilis, ut antea vinci non potuerit, ſed ſatis, quòd nunc vinci non poſſit.

Contra 2. quia pauci illi Doctores, qui citantur à P. Thyrſo, quique utuntur præterito, & dicunt ignorantiam vincibilem eſſe, quæ potuit, & debuit vinci, invincibilem autem, quæ non potuit vinci, intelligi poſſunt: quæ potuit pro priori naturæ, vel pro priori inſtanti temporis *immediatè* antecedenti opus voluntatis, non autem, quæ potuit olim pro priori tempore vinci: immò etſi intelligantur de prioritate temporis, verum dicere poſſunt, licèt non rectè ab Adverſarijs intelligantur: illi enim DD. deſcribunt ignorantiam, quæ fuit vincibilis, & quæ fuit invincibilis; non autem quæ nunc eſt vincibilis, aut nunc invincibilis: rogo enim, ut mihi dicatur, quid ſit ignorantia heri vincibilis, aut heri invincibilis; & quid nunc vincibilis, aut nunc invincibilis: ſi enim dicatur, quòd hodie vincibilis eſt, quæ heri vinci potuit, confundetur cum ignorantiâ heri vincibili: & ſi dicatur, quòd hodie invincibilis eſt, quæ heri vinci non potuit, confundetur cum heri invincibili: ergo meliùs omnino loquuntur, qui utuntur præſenti, & dicunt, Vincibilis eſt, quæ poteſt vinci, invincibilis, quæ non poteſt vinci, ſumpto tò *poteſt* moraliter, ut dixi paulò antè: eo modo, quo in omni definitione utimur tempore præſenti, & dicimus, *Homo eſt animal rationale*, ubi tò *eſt* ſtat ampliativè pro tempore, quo homo exiſtit, ſive ſit præſens, ſive præteritum, ſive futurum, cùm rerum eſſentiæ ab omni tempore præſcindant; ita ignorantia invincibilis eſt, quæ vinci non poteſt; ubi tò *poteſt* appellat tempus, quo ea exiſtit, ſive nunc, ſive heri, ſive cras; & quia à definitione valet illatio ad definitum, conſequenter ſi talis ignorantia etſi ſequens ad perſonale vinci nunc non poteſt, nunc eſt invincibilis, quidquid ſit, an ſemper talis fuerit. P. Thyr. N. 75. N. 76.

Addo, quod ſi quia pauciſſimi Doctores

utuntur præterito, ea definitio ignorantiæ vincibilis, & invincibilis à P. Thyrſo dicitur communis, ita quia ferè omnes TT. ut patet ex eorum verbis, & locis, tum *hoc* §. tum *d. 5. ſect. 2. §. 2.* citatis; quia, inquam, ferè omnes utuntur præſenti, noſtra definitio, adeoque ſententia erit communiſſima, & magis apta ad rem decidendam, an nunc peccetur; dico enim, quòd ſi nunc eſt invincibilis, nunc non pecco; ſi autem nunc eſt vincibilis, nunc pecco. Demum, ut ſuprà dixi *d. 5. ſect. 2.* con-
P. Eliz. tra P. Eliz. an necne ignorantia, vel error ſequens ad originale, aut perſonale, dicendus ſit vincibilis, an invincibilis, eſt pura quæſtio de voce; in quâ dixi, quòd ſi ignorantia illa, ſive ſit antecedens, ſive conſequens, talis ſit, ut nunc expelli non poſſit, nunc eſt invincibilis, cùm ita ferè omnes loquantur.

§. V.

Aliæ pro ſextâ concluſione rationes.

SUMMARIUM.

Nullum quoad inſtans præſens eſt diſcrimen inter Adverſarios, & Janſenium, etſi quoad præteritum fuerit, nempe perſonalis, & non tantum originalis libertas. Hinc omnes rationes, quas contra Janſenium trahunt, retorquentur, n. 77. ad 80.

Oſtendo non ſatis libertatem facti, & redarguo allegando aliquas Baij, & Janſenij damnatas, n. 80. ad 92.

Abſurda, ſi detur, ſatis novam facti libertatem, n. 94.

Nulla quoad punctum præſens inter Janſenium, & Adverſarios differentia, n. 95. ad 99.

Omnes Pontifices, & Doctores definientes ignorantiam invincibilem, utuntur præſenti, 100.

Manebunt inutiles Pontificum de ignorantiâ invincibili definitiones, n. 101.

Libertas quid ex S. Thom. n. 103.

Diſcrimen, quod Adverſarij dant, anſam præbet Janſeniſtis, ut ſuo in errore perſiſtant, n. 104. 105.

Non retractatio ignorantiæ vincibilis non facit, quòd hæc perſeveret, ibid.

Duæ cognitiones regulariter neceſſariæ ad peccandum ex S. Thom. n. 107. 108. 109.

N. 77. P. Thyr. Palanc. P. Eliz. PRobatur 2. contra P. Thyrſum *n. 156.* & Palanco, & Elizal. quia licèt detur aliquod diſcrimen inter ſententiam Janſenij, & ſententiâ aſſerentem, poſſe peccari, quin inſtanti, quo quis peccat, advertat ſe peccare, quatenus iſte de præterito perſonaliter advertit; econtra in ſententiâ Janſenij, qui peccat eo inſtanti, quo non advertit ſe peccare, numquam de præterito perſonaliter advertit: attamen ut fusè docui *d. 5. ſect. 2. §. 3.* contra Janſenium, & P. Elizal. hoc diſcrimen nullũ eſt; nam Concilia, Pontifices, SS. PP. & TT. abſolutè dicunt, ignorantiam, quæ vinci non poteſt, excuſare à peccato; quòd autem una de præterito perſonaliter vinci potuerit, altera de præterito perſonaliter vinci non potuerit, facit diſcrimen inter utramque ignorãtiam de præterito, quòd una fuerit vincibilis, altera non fuerit vincibilis; nullum autem diſcrimen faciunt de præſenti: ſive enim in ſententiâ P. Eliz. & P. Thyrſi, ignorantia, quæ nunc vinci non poteſt, ſecuta fuerit ad perſonale, & fuerit olim vincibilis in peccato perſonali; ſive in ſentẽtiâ Janſenij ignorantia, quę nunc vinci non poteſt, non ſecuta fuerit ad perſonale, nec fuerit in peccato perſonali, ſed tantùm in Adamo vincibilis; ſi utraque nunc vinci non poteſt, utraque nunc eſt invincibilis; licèt una fuerit olim perſonaliter vincibilis, altera non fuerit olim perſonaliter, ſed tantùm in capite, ſeu originaliter vincibilis. Ratio eſt; quia implicat, ut duo homines nunc æquali modo ſe gerant, & æqualem nunc habeant potentiâ, & obligationem, unus autem peccet, alter non peccet, idem operando: ergo ſi pro præſenti neuter poteſt vincere ignorãtiam, licèt unus olim potuerit, alter olim non potuerit, neuter pro præſenti peccat, aut uterque pro præſenti peccat; hoc ſecundum dici non poteſt, ſalvâ veritate Catholicâ de ignorantiâ invincibili; ergo nec primum mihi videtur dici poſſe.

Janſen. P. Eliz.

Confirmo afferendo priùs, dein retorquẽdo omnes rationes, quas P. Thyrſus, & alij contra Janſenium adducunt. Prima eſt *n. 22.* quia ſi ignorantia invincibilis non excuſat, Deus jubet impoſſibilia, quod implicat. Sed contra; quia, juxta P. Thyrſum, & Palanco, omnimoda hìc, & nunc peccati inadvertentia non excuſat à peccato nunc: ergo Deus nunc jubet impoſſibilia; vel ſi non jubet impoſſibilia, implicat, ut quis nunc peccet, non advertens nunc ſe peccare. Secunda; quia peccatum debet eſſe voluntarium; ſed ignorantia invincibilis peccati tollit voluntarium peccati: ergo ignorantia invincibilis tollit peccatum. Sed contra; quia, juxta Adverſarios, omnimoda nunc peccati inadvertentia non tollit nunc peccatum; nam poteſt quis nunc peccare, etſi nũc non cognoſcat ſe peccare, dummodò olim potuerit: ergo vel peccatũ non debet eſſe voluntarium, ſeu cognitum, ut peccatũ, vel ſi debet cognoſci ut peccatũ, implicat, ut quis peccet nunc, non cognoſcens nunc eſſe peccatũ, etſi olim cognoverit, aut cognoſcere potuerit: quod enim in

N. 78. P. Thyr. Palanc.

in sententiâ Jansenij, mentiens nunc ex errore invincibili, quòd mendaciũ sit in tali casu honestum, numquam cognoverit personaliter, quod mendacium sit peccatum : econtra in sententiâ P. Eliz. & P. Thyrsi, mentiens nunc cum omnimodâ ignorantiâ, quòd nunc mendacium sit malum, heri personaliter cognoverit, aut cognoscere potuerit mendacium esse malum, facit tantùm, quòd iste peccaverit heri, ille non peccaverit heri; non tamen facit, quòd iste peccet hodie, ille non peccet hodie, cùm hodie utriusque ignorantia vinci non possit; nam, ut vinci posset, deberet hodie cognosci malitia ignorantiæ; à neutro autem, ut supponitur, cognoscitur hodie malitia ignorantiæ, aut mendacij, cùm uterque operetur non advertens hodie se peccare.

Tertia est *n.* 33. quia si invincibilis ignorantia juris naturalis non excusat, nec amentia excusat, cùm utraque sit pœna peccati originalis. Sed contra; quia, juxta P. Thyrsum, amentia in pœnam peccati personalis immissa excusat: ergo etiam omnimoda peccati inadvertentia nunc existens, etsi immissa in pœnam ignorantiæ vincibilis præteritæ, excusabit: quòd si dixerit, amentiam excusare, quia tollit libertatem facti; dicam ego omnimodam peccati hìc, & nunc ignorantiam excusare nunc à peccato, quia tollit libertatem peccati hìc, & nunc; libertas enim peccati hìc, & nunc constituitur per cognitionem saltem dubitativam, aut apprehensivam peccati; sed hæc hìc, & nunc non datur, quia sine omni advertentiâ nunc existente peccatur nunc, juxta Adversarios: ergo non datur hìc, & nunc libertas peccati.

N. 79. Quarta est *n.* 39. quia posito errore invincibili Petrus necessitabitur ad peccatum, implicat autem peccatum necessarium. Sed contra; quia, juxta Adversarios, non implicat peccatum nunc sine libertate præsenti peccati; ergo non implicat peccatum necessarium; vel si hoc implicat, implicat peccari nunc sine libertate peccati nunc; hæc autem constituitur per advertentiam nunc peccati. Quòd si dixerit operantem sine omni advertentiâ præsenti peccati necessitari consequẽter, necessitatem autem consequentem ad exercitium liberum personale præteritum non tollere libertatem: econtra, in sententiâ Jansenij, non advertens peccaret necessariò necessitate antecedenti ad omne exercitium personale liberum. Contra est, tùm quia, ut dixi *d.* 5. tam ignorantia sequens ad originale, quàm ad personale, potest dici respectu alterius personalis antecedens; tum quia hoc unicè probat, quod sæpe monui, nempe, quòd in sententiâ P. Thyrsi, & P. Elizal. ignorans vincibiliter peccaverit olim, dum eam ignorantiam non amovit; non autem probat, quòd si ille idem nunc nullo modo advertat, & nunc careat libertate peccati, quod peccet nunc; tam enim laborans omnimodâ ignorantiâ peccati hìc, & nunc sequẽte ad personale præteritum, quàm eâdem laborans sequente ad originale, & ad nullum personale præteritum, caret libertate peccati hìc, & nunc; ergo nunc, vel uterque, vel neuter peccat. Addo me non intelligere, quomodo P. Thyrsus, ex eo quòd velit cum omnibus TT. de ratione peccati esse, ut *sit* voluntarium, inferat consequentiam è diametro oppositam, non esse, ut sit voluntarium, sed satis esse ad peccatum nunc, libertatem peccati præteritam, seu quòd *fuerit* voluntarium, cum libertate facti præsenti. P. Thyr. P. Eliz.

Quinta est; quia ait *n.* 42. Non minùs est de ratione peccati cognitio malitiæ, formalis, aut interpretativa, præsens, vel præterita, physicè, vel moraliter præsens, quàm libertas indifferentiæ : ergo sicut implicat, ut quis peccet, quin ante peccatum detur potentia ad non peccatum residens personaliter in ipso peccante, quâ potuerit, aut possit impedire peccatum; ita implicat, ut quis peccet, quin ante peccatum præcesserit cognitio formalis, aut interpretativa malitiæ, quâ cognitione possit, aut potuerit vitare actionem malam. Sed contra, tùm quia, juxta P. Thyrsum, & Adversarios, non implicat, ut quis peccet nunc sine ullâ advertentiâ nunc: ergo non est necesse ad peccatum cognitio; vel si necessaria est ad peccatum cognitio peccati, necessaria etiam erit ad peccatum nunc, cognitio peccati nunc: tùm quia quæro, vel de necessitate peccati est, quòd libertas peccati (constituitur autem, per Adversarios, hæc libertas necessariò per cognitionem peccati) sit moraliter præsens, dum quis peccat, vel non? Si affirmant; ergo cùm libertas peccati nunc constituatur per cognitionem præsentem peccati, implicabit peccari nunc, absque eò quòd nunc cognoscatur peccari: si negant, contra est; quia per P. Thyrsum, & alios, ut quis nunc peccet, debet nunc habere libertatem facti, non tamen debet habere nunc libertatem peccati: ergo (infero ego) debet nunc etiam habere libertatem peccati. Consequentia probatur; quia sicut libertas facti præterita, juxta Adversarios, non est satis ad peccandum nunc, sed necessariò requiritur nunc libertas facti; ita multò magis ad peccandum nunc, non satis erit libertas peccati antiqua, sed necessaria erit libertas peccati æquivalenter saltem N. 80.

nova; vel si non est necessaria ad peccandum nunc, libertas peccati nova, sed satis est antiqua, non video, cur non satis similiter erit ad nunc peccandum libertas facti antiqua. Sanè nec umbram video disparitatis; quid enim facit nova libertas facti in ordine ad constituendum novum peccatum, cùm peccatum non tantùm constituatur per libertatem facti, sed per libertatem peccati? Si ergo non datur nova libertas peccati, nec dabitur novum peccatum.

Addo, quòd cùm ex hâc paritate inferatur non esse necessariam novam libertatem facti, sicut, juxta P. Thyrsum, ad novum peccatum non est necessaria nova libertas peccati, sequitur, quòd amens, stante amentiâ à se liberè causatâ, poterit eâ stante de novo peccare, quomodo stante errore hìc, & nunc invincibili à se liberè causato, nunc de novo peccatur; nam opus positum stante amentiâ potest dici liberum libertate facti, & libertate peccati præteritâ, eo modo, quo, juxta P. Thyrsum, opus positum sine libertate peccati præsenti, sed cum solâ libertate facti præsenti, est, juxta illum, novum liberum peccatum.

N. 81. Inn. X. Jansen. Alex. VIII. Baius, Pius V Greg. XIII. Urban. VIII. N. 82. P. Rip. P. de Chãp. Emin. Aguir.

Probatur 3. quia hæc propositio, *Ad merendum, & demerendum, non est necessaria libertas indifferentiæ, sed sufficit a coactione*, est una ex damnatis Jansenij ab Innocentio X. Hæc propositio, *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat a peccato formali*, est una ex damnatis ab Alex. VIII. Hæc, *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit: Sola violentia repugnat libertati hominis naturali: Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*, sunt tres Baij damnatæ à B. Pio V. Greg. XIII. Urb. VIII. ergo veræ sunt contradictoriæ *in tempore præsenti*, Ad meritum, & demeritum necessaria est *semper* libertas indifferentiæ: Ignorantia invincibilis *semper* excusat à peccato formali: Quod voluntariè fit, si necessariò fiat, *numquam* fit liberè: Non sola violentia repugnat libertati: Homo *numquam* peccat damnabiliter in eo quod necessariò facit: ubi nota me in propositionibus affirmativis addidisse *semper*, in negativis *numquam*; quia cùm illæ propositiones particulares sint in materiâ necessariâ (est enim de fide verum, meritum, & demeritum esse non posse sine libertate à necessitate, & non tantùm à coactione, ut latè P. Ripald. contra Baium, & P. de Champs, & Em. Aguirre *tom.* 3. in S. Ans. *d.* 132. *à num.* 44. per totam) nam agitur de essentiâ libertatis, consequenter æquivalent universalibus; idemque est dicere, Ad meritum requiritur libertas indifferentiæ, ac dicere, Ad meritum *semper* requiritur libertas indifferentiæ; idemque etiam est dicere, Quod necessariò (intellige necessitate tollente indifferentiam) fit, non fit liberè, ac dicere, quòd necessariò fit, *numquam* liberè fit. His positis,

Modò quæro, quinam magis, (ne dicam absolutè, modestiæ gratiâ, summè enim veneror Adversarios religione, & doctrinâ nobiles) quinam, inquam, magis tueatur doctrinam Catholicam, *Ad meritum requiritur semper libertas indifferentiæ* (subintellige, ad idem meritum, & demeritum, non autem tantùm in ordine ad factum, & non factum) an qui dicit, *Ad meritum, & demeritum semper requiritur libertas indifferentiæ*; an qui dicit, *Ad meritum, & demeritum non semper requiritur libertas indifferentiæ, sed satis est, ut ante annum præfuerit?* Utique meliùs tuetur, qui asserit primum, quàm qui secundum: sed nos asserimus primũ; P. Eliz. P. Thyrs. Palanco, & M. Elbecque asserunt secundum: ergo nostra doctrina preferenda est doctrinæ Adversariorum. Idem esto judicium de alijs propositionibus. Similiter quæro, quinam magis tueatur doctrinam S. Augustini, Ad peccatum requiritur libertas peccati, nec satis est libertas facti; an qui dicit, *requiritur semper*, an qui dicit, non semper requiritur, sed satis est ad novum peccatum libertas facti sine novâ libertate peccati? Utique qui dicit primum; sed nos dicimus primum, Adversarij secundum: ergo &c.

N. 83. P. Thyr. P. Eliz. Palanc. M. de Elbec.

Confirmo 1. Vel ad hoc peccatum hodiernum *requiritur*, sumpto in toto rigore præsenti saltem pro præsentiâ virtuali, & morali libertatis indifferentiæ expositâ in *advertendis, & in concluſ.* 4. 5. & 6. vel, inquam, ad peccatum hodiernum requiritur libertas indifferentiæ, vel non? si requiritur; ergo cùm libertas indifferentiæ constituatur per cognitionem peccati, sequitur, quòd si nunc datur libertas, sive actu, sive moraliter, debet etiam nunc adesse cognitio peccati, seu intimans obligationem sciendi: ergo implicat peccari nunc, sine libertate peccati nunc, atque adeò sine advertentiâ peccati nunc, & tale tantùm erit peccatum, qualis nunc est libertas; si hæc physicè, vel de novo existat, novum etiam peccatum existet; si moraliter tantùm, & imputativè à libertate præteritâ, tale etiam opus contra legem erit tantùm imputabile ab illâ; non autem de novo. Si non requiritur: ergo falsa erit propositio definita, *Ad peccatum requiritur libertas indifferentiæ*; quę cùm sit de materiâ necessariâ æquivalet universali, seu semper requiritur;

N. 84.

N. 85.

hæc

hæc non potest esse falsa; ergo necessariò falsa est propositio opposita, *Ad peccatum non requiritur semper libertas indifferentiæ*, sumpto *requiritur*, pro præsentiâ saltem morali, quæ utique constituitur per actualem advertentiam peccati, non autem per posse advertere; imo posse advertere supponit aliquam cognitionem proponentem obligationem advertendi, cùm hic posse advertere, idem sit, ac posse, & teneri advertere; qui enim potest, & non tenetur, si non advertit, non peccat. Addo quòd contradictoria damnatæ debet servare idem omnino tempus, quod damnata: ergo cùm damnatæ utantur præsenti, earum contradictoriæ uti debent præsenti: ergo requiritur pro instanti, quo peccatur, ipsa libertas peccati; ergo non satis est eam præfuisse.

N. 86. Confirmo 2. & quæro, quinam magis opponatur Calvino, an qui dicit, *eorum repudianda est opinio, qui consultam malitiam, & pravitatem in omnibus peccatis intercedere tradunt; nimium enim experimur quoties labimur cum nostrâ bonâ intentione*? Ita loquitur Calvinus in suis Institutionibus impressis Genevæ *cap. 2. n. 44.* citatus à P. Martin. in suo Antijansenio *d. 16. sect. 2.* & à P. Thyrso *num. 9.* quem etiam aliter citat Caram. *lib. 4.* Theol. Mor. Fund. *in quæst. Proœmiali*, citat enim Calvinum *lib. 2.* Institutionum §. 25. ergo contradictoria Calvino erit vera, *Requiritur consulta pravitas, & malitia in omni peccato, numquam enim labimur cum bonâ nostrâ intentione*: ergo dici non potest non requiri ad peccatum advertentiam consultam malitiæ. Rursus, cùm Calvini propositio reducatur ad has duas, *Non est necessaria consulta malitia ad peccatum: Homo sæpe labitur cum bonâ intentione*; quæro, inquam, an magis recedat à Calvino, qui dicit, *Est necessaria semper consulta malitia ad peccatum: Homo non labitur cum bonâ intentione*; an qui dicit, *Non est necessaria semper consulta malitia ad peccatum: Homo sæpe labitur cum bonâ intentione*? Utique magis recedit, qui docet primas duas, (hic enim contradicit Calvino) quàm qui docet secundas: sed nos dicimus primas; Adversarij meo tenui judicio videntur aliquatenus accedere ad secundas; nam eò ipso quòd negant necessariam esse ad peccatum advertentiam peccati, utique negant necessariam esse consultam malitiam, cùm consulta malitia non possit esse incognita: similiter dum affirmant, posse quem propriè peccare, etsi dum contra legē agit, sibi firmissimè suadeat se obsequium præstare Deo, & sine ullo scrupulo judicet firmiter esse honestum id quod agit, ut loquitur P. Eliz. & P. Thyrsus *num.* 150. & 152. eò ipso affirmare videntur, quod homo sæpe peccet cum bonâ intentione: ergo ut à Calvino quantùm possumus recedamus, dicendum est, numquàm posse peccari sine advertentiâ ad malitiam, numquàm cum bonâ intentione.

Cōfirmo 3. quia dum Pius V. Greg. XIII. Urb. VIII. damnant hanc Baij propositionem, *Homo peccat damnabiliter in eo, quod necessariò facit, seu in eo quod vitare non potest*, (dicit, *potest*, non *potuit*) faciunt oppositam veram, nempe, *Homo non peccat in eo, quod vitare non potest*; sed non advertens se peccare, non potest vitare peccatum: ergo non advertens nunc se peccare, nunc non peccat. N. 88. Pius V. Greg. XIII. Urb. VIII.

Eâ in deliberatione eram, ut suspenderem, quæ ex Caramuele in nostrę sententię favorem trahere poteram, at quia deinde meas ad munus venit dissertatio Theologica, Authore M. de Elbecque, in quâ perpetuis deplorat lacrymis tamquàm summè laxam sententiam nostram de necessitate advertentię nunc, ut de novo peccetur nunc, hinc animum resumpsi tradere, quæ trahit Caram. ut ostendatur nostram sententiam non tantùm non esse laxam, immò, ut ostendi, esse ferè omnium TT. sed quasi necessariam esse, ut omnem Jansenij suspicionē à verâ Theologiâ removeamus: ait itaque Caram. cujus authoritatem, quatenus Jansenistarum mentem exactè tradit, magni facio, in Apologemate *n. 36.* quòd cùm Lovanij lauream adeptus esset, hanc propositionem, ut actio aliqua sit peccaminosa, oportet, ut procedat ab homine, qui percipiat quid boni, & mali in eâ sit, & antequam id videat, aut animum reflectat, actio nec bona est, nec mala; hanc, inquam, propositionem aliquos censuraſſe, ut contra communem Theologiæ Christianę, (Lutheranæ, Calvinianæ, Jansenianæ, dicere debuissent, ait Caram. *n. 40.*) principia, & innumera etiam immanissima hominum peccata excusare cum pernicie animarum. Hanc censuram ait Caram. *l. c.* sumptam fuisse ex Jansenio *tom. 2. lib. 2.* de Naturâ lapsâ *cap. 24. col. 116.* ubi actus per se primos factos ex ignoratiâ, aut ex inadvertētiâ peccati mortalis damnat; *quamvis enim*, ait Jansenius, *ignoretur esse peccatum, factum tamen, quod concupiscitur, non ignoratur.* Ecce Jansenius judicat, quòd ut Petrus peccet, non est necesse, ut advertat malam esse rem, quam facit: ergo ut contradicatur Jansenio, ut aliquid sit peccatum, non satis est, ut non ignoretur, quod concupiscitur, sed necesse est, ut non ignoretur sub ratione mali: ergo necessaria est advertentia mali. N. 89. M. Elbec. N. 90. Caram. Jansen. N.

Sanè sicut qui patraturus est furtum, licèt 91.

cogno-

cognoscat se in carcerem mittendum, & nulli sacro die festo adstiturum, sicut iste postquam in carcerem missus est, non peccat novo peccato, si non assistat sacro, quia non est liber ei assistere, licèt cognoscat malitiam omissionis sacri, quamvis hæc impotentia fuerit ei libera in furto; ita dico ego, qui hodie nullatenus advertens esse diem veneris edit carnes, licèt hæc non advertentia fuerit
N. 92. ei libera in ignorantiâ vincibili, (potuit enim interrogare) non peccabit hodie. Nec ullam video disparitatem inter impotétiam, & inadvertentiam; si enim hæc non excusat hodie, quia heri vinci potuit, ita nec impotentia excusabit hodie, quia heri vinci potuit. Nec dici potest omissionem sacri non esse liberam; econtra omissionem carnis esse liberam: dico enim utramque fuisse liberam in causâ; & licèt esus carnis sit hodie liber philosophicè, quatenus potest edere, aut non edere; non tamen est liber theologicè, quatenus non cognoscit eum ut honestum, & ut inhonestum: quare licèt Caram. concludat,
N. 93. quòd sicut hęc propositio, *Liberum in causâ est illud, quod oritur necessariò a causâ, quam hic, & nunc tollere possum*, est Catholica; ita hæc (ait *n.*44. *pag. mihi* 21.) est hæretica, *Liberum in causâ est illud, quod necessariò oritur à causâ, quam licet hic, & nunc tollere non possim, olim potui.* Licèt hæc dicat Caram. ego tamen non dico, sed ab omni censurâ mihi tempero, ut alij sibi temperent à censurandâ nostrâ sententiâ, quæ longè verior, & probabilior intrinsecè, & extrinsecè est.

Caram.

N. 94. Confirmo 4. quia si semel admittatur ad novum peccatum satis esse novam libertatem facti cum libertate peccati præteritâ, dicam quòd ad confessionem peccatorum hodiernam satis sit hodierna confessio cum dolore anni præteriti: sed hæc sententia apud TT. malè audit, & subjecta est damnationi post decretum Innocentij, ait P. Card. *tom.* 4. *diß.*2. *à num.* 74. immò dicam satis esse ad Baptismum novam infusionem aquæ cum intentione anni præteriti, & sexcenta similia: ergo non est satis ad novum peccatum nova libertas facti, sed simul necessaria est nova libertas peccati; quo modo ad novum Pœnitentiæ Sacramentum non satis est nova absolutio, sed necessaria est nova hodie intentio. Immò dicam amorem beatificum esse liberum non tantùm à coactione, quatenus est voluntarius; quam libertatem, quæ in voluntario consistit, satis esse ad meritum, docuit Altisiodorensis *lib.* 3. *tr.*5. *cap.* 3. Gabriel in 3. *dist.* 18. & alij pauci relati, & meritò rejecti à M. Godoy *tom.* 3. *in* 3.*p. d.* 48. *n.*70. & hodie hæc opinio, post decreta Pontificia contra Baium emanata, sustineri non potest, definitum enim est, ad meritum, & demeritum necessariam esse libertatem indifferentiæ, nec sufficere à coactione, ut latè M. Godoy; sed etiam ideò esse amorem beatificum nunc meritorium, etsi nunc non detur libertas indifferentię, attamen processit à libertate indifferentiæ antiquâ. Lege M. Godoy virum apprimè doctum, qui *d.* 49. *à n.* 122. probat, quòd necessitas sequens ad meum actum liberum antecedentem, possit tollere libertatem ab illis actibus, quos ea necessitas antecedit; & probat paritate amoris beatifici, qui non est liber, licèt tota ejus necessitas oriatur à gratiâ, & gloriâ, quam liberè merui: ergo etiam ignorantia hìc, & nunc invincibilis potest tollere libertatem ab actibus eam sequentibus, licèt ea necessitas, seu ignorantia hìc, & nunc invincibilis oriatur ab ignorantiâ vincibili, quam liberè volui.

Innoc. XI. P. Card. Altisiodor. Gabriel, M. God. Baius.

Quapropter Bartholomæus Riccius licèt Anti-Probabilista sit, attamen *lib.* 1. de Act. hum. *cap.*14.*n.*2. dixit: In tantùm aliquid est culpabile, in quantùm est voluntarium, & contra legem: ergo eo modo est culpabile, quo est voluntarium; ergo si non habet voluntarium distinctum à voluntario causæ, non habet culpam distinctam à culpâ causæ; & econtra. Ecce nostra sententia, & nostra ratio. Et *num.* 3. ait: Sequitur universaliter, quòd opera prava, aut omissiones pravæ procedentes ex impotentiâ, quam quis culpabiliter incurrit, non habeant culpam distinctâ à culpâ impotentiæ, nisi quis se redderet impotentem, ut pravè ageret, vel omitteret; ex. gr. si ex intemperantiâ incurrat in morbum, ob quem non potest recitare, nec alia facere, ad quę aliàs tenetur, non habet tot culpas distinctas, quot omissiones; quia illæ omissiones fuere indirectè volitæ tantùm in causâ, atque adeò sunt tantùm culpabiles in causâ, ut tenent etiam Bellarm. *lib.*2. *de Gratiâ, & lib. arbitr. cap.*8. M. Alvar. M. Medina, & alij Expositores D. Thomæ 1. 2. *qu.* 71. *art.* 5. & habetur ex S. Greg. Epist. ad Augustt. Anglorum Episcopum, & refertur capite *Ad ejus*, in fine *dist.* 5. *Sæpe sine culpâ agitur, quod venit ex culpâ.* Hæc Riccius. Addo S. Augustinum lib. de Verâ Religione *cap.*14. & 19. & *tribus libris* de lib. arbitr. S. Hieronymum *lib.* 2. contra Jovinianum dicere, *Ubi necessitas, nec damnatio, nec corona est;* S. Bernardum *serm.* 18. in Cantica: *Ubi non est libertas, nec meritum;* ubi nota, quòd semper utuntur prę\senti *est*, non autem præterito *fuit*: ergo ad peccatum nunc, necessaria est libertas nunc.

Riccius.

N. 95.

Bellarm. M. Alvar. M. Medin. S. Greg. S. Aug. S. Hier. S. Bern.

Resp-

N. 96. P. Thyr. Jansen. Calvin. Zanch.

Respondet P. Thyrsus *n.* 43. artificium Jansenij volentis conciliare peccatum cum ignorantiâ invincibili esse inutile. Primò, quia ipsa ratio Jansenij *lib.* 4. *cap.* 12. dicentis, ea, quæ ex ignorantia invincibili fiunt contra legem naturæ, ideo esse peccatum, quia fuerunt libera in Adamo, ob cujus peccatum ea ignorantia immissa fuit; hæc, inquit, ratio fuit priùs ab ipso Calvino *lib.* 2. Instit. *cap.* 5. *n.* 1. adducta, & deinde laudata à Zanchio Lutheri, & Calvini discipulo, ita concludente: *Summa*: omnis ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, peccatum est, quia pugnat cum lege, quâ jubemur illa cognoscere, sive ea cognoscere jam possis, sive non possis; quòd enim jam non possis, peccato Adæ, quod & tuum est, quia in eo omnes peccaverunt, factum est; quare falluntur Scholastici, qui talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo à peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur; quamquam evincere etiam possumus eam non esse simpliciter invincibilem, cùm voluntarium peccatum Adæ sit consecuta. Hęc Zanchius.

N. 97. Inn. X. Jansen.

Secundò, quia cùm certum sit ex Innocentio X. contra Jansenium, quòd licèt concupiscentia sit pœna peccati à nobis liberè in Adâ commissi, non tamen concupiscentiæ opera sunt peccata, nisi nostra libertas indifferentiæ concurrat: ergo neque satis erit, quòd invincibilis ignorantia juris naturæ sit pœna peccati à nobis liberè in Adâ cõmissi, ut opera sub eâ facta sint peccatum, nisi ea ignorantia pendeat à libero, & personali nostræ libertatis exercitio. Tertiò, quia ad peccatum non est satis libertas facti, sed necessaria est libertas peccati: sed ignorans invincibiliter tale opus esse peccatum, non habet libertatem peccati: ergo illud opus non est formale peccatum; nam ut quis velit formaliter peccatum, (ait *num.* 54.) debet de eo suspicari; ut quis velit interpretativè, debet esse ex ignorantiâ vincibili; & *n.* 53. dixerat ad formale peccatum requiri, juxta S. Aug. cognitionem malitiæ, aut saltem potentiam proximam cognoscendi malitiam; sed non advertens non habet talem potentiam proximam; hæc enim constituitur per advertentiam; ergo &c. Denique *num.* 86. concludit, quòd peccatum personale debet esse liberum libertate personali: ergo cùm mendacium commissum ex ignorantiâ, quæ nunc vinci non potest, potuit tamen à me vinci, quatenus ea ignorantia est mihi personaliter libera, sit liberum libertate personali mediatâ in sui causâ, consequenter erit peccatum: econtra cùm mendacium commissum ex ignorantiâ, quæ à me nec nũc, nec olim vinci potuit, quatenus ea ignorantia, nec est, nec fuit mihi personaliter libera, non sit liberum ne quidem mediatè libertate personali, sequitur non esse peccatum. Hæc contra Jansenium P. Thyrs. pro suâ, & nostrâ, & Catholicâ sententiâ. P. Thyr.

Sed contra; quia, ut dixi *d.* 5. *sect.* 2. §. 3. fusè, & paulò antè *hoc eodem* §. licèt detur aliqua inter Adversariorum, & Jansenij sententiam differentia, quatenus Petrus nunc mentitur ex ignorantia, quam nunc vincere non potest, potuit tamen ante annum vincere; Paulus autem ita nunc mentitur, ut nec nunc, nec ante annum ignorantiam vincere potuerit; hæc differentia tota est quoad tempus præteritum, non quoad instans hodiernum, quo uterque mentitur: ergo si nulla est differentia inter utrumque quoad instans hodiernum in ordine ad vincendam ignorantiam, uterque enim, ut supponitur, vincere eam nunc non potest; consequenter neuter nunc peccat, sed tantùm Petrus pro præterito ante annum peccavit; Paulus autem pro præterito non peccavit. N. 98.

Contra 2. quia in ordine ad præcipuum punctum vix ulla videtur differentia; nam punctum est, an ignorantia, quæ nunc est invincibilis, nunc excuset: si autem Adversarij docent non excusare nunc a peccato, etsi nunc sit invincibilis, utique in præcipuo puncto cum Jansenio convenire videntur, licèt ab eo disconveniant in hoc, quòd ea ignorantia olim potuerit personaliter vinci. N. 99.

Contra 3. quia ferè omnes Doctores, SS. PP. & Pontifices, definientes ignorantiam invincibilem utuntur præsenti, & dicunt esse quæ nunc vinci *non potest*; & ferè omnes damnatæ à Pio V. Greg. XIII. Urban. VIII. Innoc. X. Alex. VII. & VIII. utuntur præsenti; si ergo ignorantia nunc vinci non potest, etsi ante annũ potuerit, nunc est invincibilis: similiter si Petrus nunc non habet libertatem merendi, & demerendi, nunc non potest vitare peccatum; ergo nunc non peccat, etsi olim peccaverit. N. 100. Pius V. Greg. XIII. Urban. VIII. Alex. VII. Inn. X. Alex. VIII.

Contra 4. quia definitiones Pontificiæ de ignorantiâ invincibili excusante à peccato erunt inutiles, si differentia assignata inter Jansenium, & Adversarios subsistit; nam præcipuum Pontificum intentum non est definire, an ignorantia invincibilis sequens ad originale excuset; sed an ignorantia invincibilis excuset, sive ea sequatur ad originale, sive ad personale: ergo dicere, quòd ignorantia invincibilis sequens ad originale, excuset, sequens ad personale, non excuset, est reddere doctrinam universalem de ignorantiâ invincibili excusante, omnino inutilem N. 101.

lem quoad omnes ferè actiones humanas; vix enim reperietur, qui ignorantiâ invincibili sequêtè saltem ad veniale personale peccatum, ne dicam in pluribus ad mortale, non laboret: ergo doctrina Catholica de invincibili ignorantiâ, quòd excuset, si sequitur ad originale, non excuset, si ad personale, valdè per hanc distinctionem infirmatur.

N. 102. P. Thyr. Contra 5. quia P. Thyrsus meo judicio sibi contradicit; nam *n.* 53. vult, ad peccatum formale requiri cognitionem, vel saltem potentiam proximam cognoscendi malitiam; hæc autem potentia proxima cognoscendi, seu judicandi malitiam objecti supponit, ut toties dixi, aliquam saltem apprehensionem, aut dubium malitię; (imò idem P. Thyrsus *n.* 54. ait, quòd ut quis velit formaliter peccatum, debet de eo suspicari,) implicat enim, ut voluntas imperet intellectui, ut cognoscat malitiam, seu judicet objectum esse malum, aut saltem suspendat judicium de bonitate, & malitiâ, nisi priùs apprehêdatur malitia: ex alterâ parte P. Thyrsus vult posse peccari sine ullâ advertentiâ malitiæ: ergo ad peccatum formale necessaria est advertentia malitiæ, quia est necessaria potentia proxima cognoscendi malitiam, quę potentia dicit necessariò advertentiam; rursus non est necessaria, quia peccari potest sine ullâ advertentiâ malitiæ; ergo contradictoria.

N. 103. S. Th. Contra 6. quia omnes TT. conveniunt cum S. Thom. 1. 2. *qu.* 1. *art.* 1. in hoc, quòd liberum arbitrium constituitur ex ratione practicâ, & definitur à S. Thom. Est *Facultas voluntatis, & rationis* ostendentis scilicet bonum, & malum: ergo cùm implicet peccatum sine libero arbitrio, implicat peccatũ sine cognitione peccati, seu legis; & ideò M. Tapia *lib.* 1. *qu.* 1. *art.* 9. ait, actionem moralem non esse *nisi actionem humanam deliberatam per rationem, & legem;* quomodo autem actio regulari potest à lege, aut legem contemnere, nisi lex à ratione proponatur? M. Tapia.

N. 104. Janſen. Contra 7. quia tota differentia inter Adversarios, & Jansenij sententiam, præterquàm (ut dixi) non est ad rem, quoad præcipuum punctum, an ignorantia nunc invincibilis, nunc excuset, an verò sub eâ nunc invincibili, peccetur nunc, cùm differentia appellet tempus præteritum, nam unius ignorantia *fuit* personaliter olim vincibilis, in sententiâ autem Jansenij *non fuit* olim personaliter vincibilis; attamen hæc ipsa Adversariorum doctrina inserviet potiùs Jansenistis, ut in suâ hęresi persistant, quàm ut ab eâ discedant: si enim Adversarij concedunt nobis, & Jansenistis, me posse peccare nunc novo peccato sine libertate peccati nunc, statim Jansenistæ ita cõtra Catholicos arguent: Libertas personalis præterita satis est ad novum personale peccatum, licèt tale opus à me firmissimè nunc judicetur, & sine ullo scrupulo, non esse peccatum: ergo etiam libertas mea in alio præterita satis erit ad peccatum hodiernum personale; dicere autem quòd ad peccatum personale requiratur personalis libertas indifferẽtiæ, non autem sufficiat personalis libertas facti, immò non sufficiat originalis libertas indifferentiæ, dicet Jansenista, quòd erit petere principium: si enim dum hodie nulla est libertas indifferẽtiæ nec originalis, nec personalis in Petro, peccat Petrus hodie novo peccato juxta Adversarios: ergo jam ad novum peccatum non requiritur, juxta Adversarios, nova personalis libertas indifferentiæ proponens bonum, & malum; si autem datur novum peccatum sine novâ libertate personali proponẽte bonum, & malum, adeòque datur novum peccatum sine novâ libertate personali peccandi, quomodo, quæso, evincent Adversarij contra Jansenistas, opus contra legem sub ignorantiâ invincibili commissum non esse peccatum, cùm præcipua ratio sit, vel quia implicat peccatũ sine libertate peccati, Adversarij autem concedunt novum peccatum sine novâ libertate peccandi; vel quia peccatum debet esse liberum libertate peccati, ita ut non satis sit, ut sit liberum solâ libertate facti, ut egregiè P. Thyrs. arguit contra Jansenium? Modò autem idem P. Thyrs. & Adversarij concedunt novum peccatum sine novâ libertate peccati, cum novâ tantùm libertate facti: vel quia ad peccatum personale requiritur libertas personalis; Jansenistæ autem dicent dari libertatem personalem, non quidem peccati, sed facti, quę sicut, juxta Adversarios, satis est ad novum peccatũ, ita Jansenistę dicent hanc satis esse ad peccatũ, atque adeo satis esse ad peccatum libertatem personalem facti cum originali libertate peccati: ergo discrimen, quod assignant Adversarij inter se, & Jansenium, cùm totum sit pro tempore præterito, suadet potiùs, & arma ministrat Jansenistis, ut in suo errore persistant.

Dices ignorantiam vincibilem ante annũ physicè præteritam perseverare moraliter in ratione vincibilis, eò ipso quòd non sit retractata: ergo si hodie sub tali ignorantiâ operer contra legem, peccabo peccato novo, etsi non advertam. Sed contra arguet Jansenista: ergo qui non retractavit peccatũ originale, quia nihil de eo scit, & operetur cõtra legem, etsi hìc, & nunc non advertat, pecca- N. 105.

peccabit, quia hæc non advertentia fuit libera in Adam, & non fuit retractata. Contra 2. quia non retractatio non facit, ut ignorantia vincibilis perseveret, sed tantùm facit, quòd non sit sublata per retractationem: si ergo moraliter perseverat, sequitur, quòd cum ignorantia vincibilis in ratione talis constituatur per potentiam proximam eam vincendi; hæc autem potentia proxima vincendi eam ignorantiam culpabilem constituatur necessariò per cognitionem intimantem obligationem vincendi illam, & repræsentantem malitiam ipsius ignorantiæ vincibilis, sequitur, quòd si hæc ignorantia culpabilis non cognoscitur hodie, ut culpabilis, nec hodie vinci possit, nec nunc ulla adsit advertentia peccati; sequitur, inquam, quòd hodie non perseverabit in esse vincibilis, imò hodie erit invincibilis. Ratio est; quia plus requiritur ad posse vincere, quàm ad non posse: ergo ut ignorantia vincibilis perseveret moraliter in esse vincibilis, necesse est, ut perseveret omne constitutivum illius, adeoque levis advertentia peccati; ut autem evacuat omnino invincibilis, satis est, ut aliquod desit.

N. 106. Probatur 5. quia implicat, ut quis sit antecedenter necessitatus ad peccatum: sed si qui operatur contra legem, peccat, etsi illud operetur sine omni malitiæ advertentiâ, & multò magis cum conscientiâ firmissimè judicante esse honestũ, ut ait P. Eliz. P. Thyrs. *n.* 152. antecedenter necessitatur ad peccatũ: ergo implicat, ut operans contra legem sine omni malitiæ advertẽtiâ peccet. Minor probatur: quia si agit contra legem firmiter judicans esse honestum, peccat, ut volunt Adversarij, & ita peccat, ut non sit nunc in ejus potestate non peccare: si verò non agit, etiâ peccat, quia agit contra conscientiam firmiter intimantem se debere ita agere: rursus, ut non agat, debet posse non agere: sed firmiter judicans se bene agere agendo contra legem, non potest non agere, ut enim posset non agere, deberet habere judicium, quo judicaret se non peccare non agendo; implicat autem tale judicium, stante firmissimo judicio, quòd ita sit agendum; ergo &c. Addo, quòd qui habet tale judicium, non potest illud deponere, ille enim error, aut ignorantia nunc vinci non potest, cùm autem hoc judicium erroneum præcedat actum liberum voluntatis, eò ipso necessitas se tenet hìc, & nunc ex parte potentiæ, & ita se tenet, ut non possit eam vincere.

N. 107. Confirmo 1. ad hominem contra Palanco, qui *qu.* 10. *n.* 26. declarans modum ex S. Th. quo regulariter patratur peccatum, ait ex S. Thom. adesse in mente duas cognitiones universales, unam superiorẽ, quæ judicat de agendis per comparationẽ ad Dei legem, ex. gr. furtum est malum, & est fugiendũ; aliam inferiorem, quæ judicat de agendis per comparationem ad commodum, ex. gr. furtum est utile: suppositâ utrâque hâc cognitione, homo est indifferens ad formandum judicium practicum, vel ex ratione superiori, ex. gr. ergo ab hoc opere, quia est furtum, abstinere debeo: vel ex inferiori, ex. gr. ergo ab hoc opere, quia mihi utile est, etsi furtum sit, abstinere non debeo. Peccat autem homo, (ait Palanco) quia format discursum ex ratione universali inferiori, neglectâ universali superiori. Hæc paucis mutatis Palanco, cui tamen quoad omnia non assentior; hoc tantùm dico, quòd si nemo potest regulariter peccare, nisi simul adsint duæ rationes universales, una alliciens ad honestum, & retrahens ab inhonesto, quæ est ratio superior; alia alliciens ad inhonestum, & retrahens ab honesto, quæ est inferior; sequitur, quòd quoties aliqua ex his rationibus deest, non possit dari peccatum: ergo cùm mentiens hodie ex vincibili ignorantiâ, quòd mendacium non sit peccatum, careat hodie, juxta Palanco, omni advertentiâ actuali, & scrupulo, quòd mendacium sit peccatũ, hodie non peccabit.

N. 108. Confirmo 2. ex contradictorijs. Primum est, quòd ad novum peccatum non est necessaria nova libertas peccati, satis si detur nova actio cum pleno judicio rationis liberè contra legem commissa; hoc enim repugnat; si enim deliberatè contra legem committitur, vel cognoscitur quòd sit contra legem, tunc autem adest nova, aut saltem antiqua libertas peccati; vel non cognoscitur, & sic non est, nisi materialiter contra legem, nam ad peccatum formale necessaria est libertas peccati eo instanti, quo formaliter peccatur, sive sit antiqua perseverans, sive nova. Secundum cõtra P. Thyrs. *n.* 55. est quod ait, quòd satis sit ad novum peccatum nova libertas facti, & quòd libertas peccati præterita perseveret moraliter, adeòque quòd non sit necessaria ulla advertentia contra legem; hæc autem sibi repugnant, quia implicat, ut libertas peccati præterita moraliter perseveret, nisi omne ejus constitutivũ, adeòque cognitio peccati moraliter perseveret: ergo ad peccatum necessaria semper est advertẽtia; & quia dum *sect.* 6. rejicit Jansenistas docentes ad formale peccatum satis esse libertatem facti; hoc negat, & vult necessariam esse libertatem peccati; ergo non potest nunc uti impugnatâ doctrinâ.

N. 109. Confirmo 3. quia certũ per omnes est (ait M. Go-

M.God. M. Godoy *tom. 1. in 1. p. d.* 18. *n.* 70.) quòd si Deus in pœnam peccati auferret homini voluntatem, non peccaret posteà non diligendo Deum; cur autem, nisi quia licèt ablatio voluntatis sit pœna peccati prævisa, attamen non potest eâ absente dari peccatum? Ergo à pari cùm advertentia peccati sit aliquid necessariò prærequisitum ad peccatum, si hodie ea tollitur, etsi in pœnam peccati hesterni, non potest dari hodie novum peccatum.

SECTIO III.

Solvuntur argumenta P. Thyrsi allata sectione primâ.

§. I.

Argumenta P. Thyrsi allata sect. 1. §. 1.

SUMMARIUM.

Ferè omnes Theologi exponunt vincibilem ignorantiam per tempus præsens, n. 110.

Similiter & damnata, adeoque & ejus contradictoriæ, ibid.

Ut ignorantia sit invincibilis, non est necesse, ut antecesserit omne personale exercitium libertatis, n. 111.

Ut perseveret vincibilis, non satis non retractatio, n. 112.

Nec P. Terillus, nec alij à me discordant, n. 113. ad 115.

Objectio extraordinaria ex Crucifixoribus, ex S. Theresiâ, ex S. Francisco de Sales, ex M. de Avila, n. 117.

S. Thomas ait Judæos cognovisse Divinitatem Christi D. n. 118.

Solvo cætera ex D. Theresiâ, &c. n. 119.

Quo modo objectum, aut lex, quam volo ignorare, sit peccatum ignorantiæ? n. 120.

Ignorantia non est circa ignorantiam, quin hanc cognosco, sed circa legem, aut objectum, quod volo ignorare, aut nolo scire, n. 121. ad 134.

Peccata dubia, aut oblita, aut occulta veniunt etiam per peccata ignorantiæ, n. 122.

Qualiter scienter peccans contra studiositatem, peccat ignoranter? n. 123.

Peccata, quæ ad ignorantiam secutura prævidentur, sunt peccata in ignorantiâ, n. 124.

Volitio ignorandi est formalissimè peccatum ignorantiæ, n. 125.

Nemo peccat peccato ignorantiæ, quin hanc advertat, n. 126.

Non ignoro, sed cognosco peccatum ignorantiæ; quod ignoro est, quod cognoscere nolo, ibid.

Plura dantur peccata occulta, & duplex eorum radix, n. 128.

Satis, ut remorsus adsit cùm ignorantia, est vincibilis, n. 129.

Synodus Palestina meritò damnavit eam universalem, quia tollit peccata ignorantiæ, n. 131.

Ostendo Doctores ab Adversarijs citatos stare pro me, n. 132.

Si ignorantia nunc vinci nequit, opus sequens non est novum peccatum, n. 133.

Quæ sint peccata ignorantiæ, n. 136.

Remorsus alter est intellectus, alter voluntatis; ille in nullo etsi enormissimo peccatore cessat, n. 137.

Negat S. Bonaventura extingui, ibid.

AD primum argumentum respondeo ferè omnes TT. exponere ignorantiam vincibilem, & invincibilem per tempus præsens, dicentes esse illam, quæ vinci non potest, aut potest; quæ studio superari non potest, aut potest; quæ depelli non potest, aut potest. Rursus, sicut omnes damnatæ utuntur præsenti, ita ejus contradictoriæ exponendæ sunt per tempus præsens, ut dixi *sect.* 2. §. 5. ubi etiam adduxi S. Augustini, S. Thomæ, & nobiliorum DD. verba; immò dixi ignorantiam nunc vincibilem, aut invincibilem exponi non posse nisi per tempus præsens; aliàs nunc vincibilis non differret ab heri vincibili, & nunc invincibilis ab heri invincibili. Idem dico ad confirmationem, nego enim, quòd DD. impugnantes Calvinum, Lutherum, Baium, Jansenium, per ignorantiam invincibilem intelligant eam, quæ præcedit *omne* liberum libertatis exercitium; nam in confesso apud omnes est, quòd ignorantia ante annum vincibilis potest hodie esse invincibilis, nec tamen præcessit *omne* liberum voluntatis exercitium: ergo ut ignorantia sit nunc omnino invincibilis, satis est, ut nunc antecedat tale opus liberum, & talis sit, ut nunc deponi moraliter non possit; id est, ut non cognoscâ me teneri eam deponere. Similiter nego, quòd ut hodie peccem formaliter, satis sit quòd heri potuerim, & noluerim cognoscere, an sit peccatum; & hodie non retractaverim: dico enim, præter non retractationem, necessarium esse influxum aliquem voluntarium liberum perseverantem, positum sub ignorantiâ heri vincibili, & influentem in tale opus hodiernum. Immo dico hoc ipsum tantùm satis esse, ut opus hodiernum imputetur ad peccatum; ut autem sit novum peccatum, necessaria est aliqua nova advertentia peccati, & nova libertas peccati, ut dixi 5. & 6. concluf. Ad P. Terillum, dico, quòd P. Teril. non vult nisi, quòd, qui ex priori culpâ non retractatâ in hanc incogitantiam venerit, peccat quidem hodie, quod & ego dico; attamen non peccat

N. 110.

N. 111.

N. 112.

P. Teril.

N. 113. peccat peccato novo, & ratione sui imputabili; quare nescio, quomodo ex eo quia P. Teril. dicat non peccari hodie proprie novâ malitiâ, inferatur eum dicere, quod peccetur hodie propriè. Demum ad DD. à P. Thyrso allatos universaliter dico nullum dicere, quod P. Phyrs. unicè enim dicunt, quòd qui noluit repellere ignorantiam, peccet hodie; quod ipsum ergo dico, si tale opus hodiernum pendeat aliqualiter à negligentiâ hesternâ juxta dicta in conclusionibus; nullus autem dicit, quòd, qui noluit repellere ignorantiam, peccet hodie *peccato de novo imputabili ratione sui*, si eo instanti non cognoscit se peccare. Ut aliquid contra nos concluderetur ex DD. ostendendum esset eos docere, quòd licèt hodie non cognoscam, peccem novo peccato formali, quod nemo dicit, nam unicè dicunt, quòd qui hodie agit contra legem, licèt ignoret se peccare, peccat hodie, si agat illud, quod heri scire noluit, aut non voluit scire; attamen non peccat peccato novo, ut vult P. Thyrs. sed tantùm actio hodierna denominatur peccatum à volitione liberâ hesternâ in aliquo sui effectu permanente. Quapropter tantùm abest, ut P. Teril. faveat sententiæ oppositæ, quin expresè negat peccare peccato de novo imputabili, sed tantùm peccata sequentia ad ignorantiam imputari ratione ignorantiæ directè volitæ. Similiter P. de Champs *lib.* 3. contra Jansenium *disp.* 5. *cap.* 6. in fine ait ex communi PP. & TT. quòd omne, quod fit ex ignorantiâ, tunc tantùm est culpa, quando ipsa ignorantia est peccatum; tunc autem ignorantia est peccatum, quando præcessit negligentia, aut alia culpa; quod fusè prosequitur ostendendo, quòd dum S. August. & alij PP. dicunt ignorantiam, & omne quod fit ex ignorantiâ, esse peccatum, eos loqui de vincibili; ut enim ait S. Bernard. *Epist.* 77. *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi, & quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.* Hæc Pater de Champs.

P. de Cham. S. Aug. S. Bern.

N. 115. Si ergo quod fit ex ignorantiâ, tunc tantùm est peccatum, quando ipsa ignorantia est peccatum, & est vincibilis, sequitur evidenter, quòd cùm de essentiâ ignorantiæ vincibilis, seu culpabilis sit cognitio intimans malitiam peccati negligentiç in non quærendâ veritate, eo ipso necessaria erit ea cognitio malitiæ; ergo implicabit peccari sine eâ cognitione malitiæ, & implicabit, ut opera facta contra legem ex tali, & sub tali ignorantiâ sint peccatum, nisi ea ignorantia perseveret in ratione peccati liberi; sed non potest perseverare in ratione peccati liberi sine cognitione intimante malitiam ignorantiæ: ergo si hæc cognitio desit, nullum opus sequens ad illam erit peccatum, & multo minùs erit peccatum de novo imputabile. Vide DD. quos dedi *sect.* 2. §. 4. & 5. & plures alios apud P. Moya *tom.* 2. *tr.* 1. *qu.* 5. *n.* 41. qui omnes expresè dicunt, ignorantiam non esse vincibilem, nisi aliqua cogitatio, dubium, aut scrupulus occurrat de obligatione. Denique M. Contenson *tom.* 3. *diss.* 6. *cap.* 1. citatus à P. Thyrso *n.* 131. vult tantùm, quòd non requiratur ad omne peccatum judicium reflexum supra malitiam; ait enim: Si ad omnem peccati rationem requiritur reflexio supra malitiam, nihil ignorantiâ commissum poterit habere rationem peccati; quod verum est; nam negligens scire, an hodie sit jejunium, non cognoscit comestionem esse vetitam, nam ignorat esse vetitam; ergo non judicat eam ut directè vetitam; attamen cognoscit eam indirectè, seu reflexè ut vetitam, quatenus cognoscit, quòd operatur contra legem reflexam dicentem, Ne edas, dum scire non vis, an sit jejunium; & ne edas sub culpabili ignorantiâ de prohibitione esus.

P. Moy. M. Contens. P. Thyr.

Dices: Certum est, quòd Judæi crucifigendo Christum D. peccaverunt; & tamen æquè certum videtur, quòd Judæi non cognoverint eum esse Deum verum; immò non videtur possibile, quòd si cognovissent eum esse Deum, eum crucifixissent; quare sibi persuadebant, quòd vitam tollerent seductori, & sacrilego; & hoc indicant ea verba, *Sanguis ejus super nos*; neque enim illius sanguinem supra se desiderassent, si sibi persuasissent eum esse Deum. Idem dicendum de illis, qui Apostolos occiderût, nam non tantùm non cognoverunt se peccare, sed putarunt se obsequium præstare Deo: ergo peccari potest sine ullâ advertentiâ peccati. Hoc ipsum confirmat S. Theresia, asserens in animabus etiam perfectis accidere posse, ut aliquod mortale habeant, quod non cognoscât. Id ipsum M. de Avila vir summè religiosus, dicens, vix inter Confessarios reperiri unum, cui anima securè committi possit. Id ipsum S. Franc. de Sales, qui ait, quòd vix inter decem mille: ergo certissimum videtur, quòd potest peccari sine ullâ advertentiâ peccati; quod principium, quia negatur, ideò mundus hodiernus totus est in maligno.

N. 116. S. Theres. M. de Avil. S. Fr. de Sal.

Respondeo doctrinam tam extraordinariam, seu extraordinariè intellectam, mirum quantum rumoris anno 1694. Vallisoleti induxisse; ex eâ enim sequitur 1. quòd si vix unus aptus est confessionibus excipiendis,

N. 117.

piendis, imò si inter decem mille vix unus, sequitur, quòd nullus degens Vallisoleti, immò alibi, poterit confiteri; tum quia nec ibi, nec alia in urbe, quantùmvis populosa, reperiuntur decem mille Confessarij, inter quos eligi possit Confessarius; & nullus Confessarius poterit confessiones excipere, quia nullus potest de se præsumere, quòd sit ille aptus, & electus. Sequitur 2. tum quòd omnes Episcopi peccarint dando facultatem excipiendi confessiones tot ineptis, cùm inter decem mille vix sit aptus; tum quòd peccarint Sacerdotes petendo licentiam pro excipiendâ confessione. Sequitur 3. quòd ejus doctrinæ author, vel semper malè confessus sit, si confessus est; vel si benè confessus est, & benè excepit aliorum confessionem, solus ille erit, non sicut cæteri hominum; nam confitendo sua peccata, fortitus est sortem bonam eligendi sibi optimum confessarium; quod alijs non accidit, nam inter mille vix unus est; ille autem inter mille elegit sibi bonum, & omnes degentes eodem in loco tenebantur ei confiteri, quia ille est unicus bonus; nec poterant Doctori eam doctrinam explicanti reliqui confiteri, quia ille bonus non erit, nam inter mille vix unus est bonus; qui autem bonus est, est ejus Confessarius.

N. 118. Verùm hæc, & alia omittamus, & audiamus vel S. Bonav. in 2. *dist.* 40. vel S. Thom. S. Tho. S. Bona. qui *prima ad Corint. cap. 2. lect.* 11. ait: Dicendum est, quòd Principes Judæorũ pro certo sciebant ipsum esse Christum promissum in lege, quod populus ignorabat; ipsum autem esse Filium Dei non pro certo sciebant, sed aliqualiter conjecturabant; sed hæc conjecturalis cognitio obscurabatur in eis ex invidiâ, & ex cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiâ Christi minui videbant. Ecce ex S. Thomâ constat, quòd Judęi aliqualiter cognoscebant Christum D. esse Deum, & tamen eum occidere voluerunt: ergo non est quid imperceptibile, quòd Judęi simul cognoverint Divinitatẽ Christi D. & simul voluerint hunc occidere: ergo falsum est, quòd Judęi peccarunt sine omni advertentiâ malitiæ, immò cum advertentiâ peccarũt. Idem S. Chrysost. tradit S. Chrysost. apud S. Thomam *l. c.* & idem docet Euangelium, nam Pilatus ipse Judæis clamantibus, *Sanguis ejus super nos*, priùs dixerat, se nullam invenire mortis causam: ergo dum sanguinem supra se petierũt, N. 119. cognoverunt malitiam peccati. Denique ipsi Judæi dicentes, *Si Filius Dei est, descendat de cruce*, manifestant se saltem dubitasse eum S. Theresia. esse Deum; ergo peccaverunt cum dubio malitiæ. Ad S. Theresiam dico, quòd *in 7. Mansione* affirmat, quòd in animabus eâ in mansione degentibus dentur aliqua peccata ex inadvertentiâ, addens esse venialia, quia loquendo de mortalibus liberæ sunt, licèt securæ non sint, quia nemo scit, an odio, an amore dignus sit. S. Franc. de Sales in introduct. ad vitam devotam 1. *p. cap.* 4. ait: *Propter hoc dicit M. Avila, eligite unum ex millibus*, (& ego dico ex decem millibus) *quia multo pauciores sunt quàm arbitramur, qui tanti muneris capaces sint*. Ecce non loquitur de Confessarijs, sed de directoribus animarum supremæ sanctitatis; hæ enim non debent cuique se fidere: rursus non dicit, quòd inter decem mille non sit unus, sed quòd ex decem millibus eligatur unus; quod totum coheret cum hoc, quòd inter illos dentur plures boni, licèt velit optimum eligendũ. M. Avila, ut patet ex vitâ B. Joannis Dei, præcepit huic Sancto, ut Granatæ confiteretur cuicumque, quem idoneum putaret, licèt si aliquid speciale pro directione occurreret, sibi communicandum reservaret. Hoc scio, quòd tam severa doctrina dum suadet optimum, inducit homines ad non confitendum ob penuriam Confessarij optimi. Sed aliud est suadere optimum, aliud velle ipsum optimũ cadere sub præceptum; hoc secundum inducit pessimum, & ideò cavendum; illud primum inducit optimum, & ideò suadendum. Hæc viro Sancto vir æquè Sanctus. S. Franc. de Sales. M. Avil.

Ad 2. respondeo hoc argumentũ esse æquè antiquum, ac æquivocum; dico igitur quòd objectum scienter ignoratum dicitur peccatum ignorantiæ, quomodò fornicatio sciẽter volita dicitur propriè peccatum fornicationis. Qui peccat per ignorantiam, scit se ignorare, & simul nescit quod ignorat; ex. gr. qui non vult scire, an hodie sit jejunandum, vel an mendacium ob famam tuendam sit vetitum, scit se ignorare, & ea scientia habet pro objecto ignorantiam præcepti de jejunio, & de non mentiendo, & simul nescit, an detur præceptum jejunij. Breviter: ignorantia est circa legem jejunij, an detur, non N. 120. autem est circa peccatum ignorantiæ; & N. 121. scientia est circa præceptum non ignorandi, seu circa peccatũ ignorantiæ; non enim cognosco, an detur lex præcipiens jejunium; simul tamen cognosco dari legem vetantem operari ex ignorantiâ. Sicut ergo fornicatio scienter volita dicitur propriè peccatum fornicationis, ita ignorantia scienter volita dicitur propriè peccatum ignorantiæ. Rursus, si ignoro esse jejunandum, & simul nolo jejunare, scio me exponi periculo violandi præceptum Ecclesiæ, si fortè datur, adeoque omissio jejunij est peccatum

per

per ignorantiam incursum. Quòd si dixerit, quomodò omissio jejunij ignorata ut mala potest esse mala? dico omissionem jejunij ignorari ut malam directè in se, quatenus nescio, an sit directè in se vetita; attamen reflexè cognoscitur ut mala, quatenus omissio jejunij ex ignorantiâ vincibili, an detur præceptum jejunij, cognoscitur reflexè ut opposita præcepto reflexo obliganti, ne omittam jejunium ex culpâ, & ignorantiâ vincibili de oppositio; datur enim lex reflexa vetans, ne me exponam periculo violandi legem dubiam, an detur, nisi tale dubium prudenter deponam: ergo omissio jejunij cognoscitur reflexè ut mala.

N. 122. P. Ovie. Addo ex P. Oviedo. 1.2. *tr.*4. *contr.*1. *n.*5. peccata ignorantiæ, & occulta dici etiam illa, quorum malitia objectiva, etsi sæpe cognoscatur, ignoro tamen, an ei consenserim; ut accidit timoratę conscientiæ viris; in quo casu cognoscitur quidem malitia objecti, peccatum tamen manet occultum, & ignoratum. Rursus, ea etiam, quibus aliquis leviſſimè assentitur, eorumque statim obliviscitur, an necne assensus fuerit, dicuntur peccata occulta, quatenus oblitus sum, an fuerim assensus, ut accidit sæpe in peccatis purè internis. In formâ concessâ maiori, di-

N. 123. stinguo minorem: qui scit se peccare, non peccat per ignorantiam, si tò *per ignorantiam* significet ignorando malitiam peccati, concedo minorem; si tò *per ignorantiam* significet peccatum ignorantiæ, nego minorem, & consequentiam. Dixi, quòd sicut volitio talis actionis exterioris denominatur homicidium, aut fornicatio ab objecto volito, ita volitio negligentiæ in sciendo, quæ teneor, & possum scire, denominatur peccatum ignorantiæ: eò autem ipso quòd volitio habet pro objecto ipsam negligentiam peccaminosam, eò ipso intellectus proponit sibi malitiam ejus negligentiæ; atque adeò qui peccat peccato ignorantiæ, advertit se peccare, & non ignorat malitiam peccati ignorantiæ. Quare ignorantia non est circa peccatum ignorantiæ; sed est circa alia præcepta, quæ nolo scire. Ad probationem nego maiorem, & minorem; rursus nego repugnare in terminis, ut sciens peccet ignoranter; immò necessarium est, ut qui peccat peccato ignorantiæ, peccet sciens eam ignorantiam alterius præcepti esse vetitam.

N. 124. Ad 1. confirm. concessâ maiori, nego minorem; nam malitia moralis contracta ex ignorantiâ sunt omnia reliqua opera, quæ prævidentur secutura ad ignorantiam peccaminosam liberè volitam: immò dico, quòd si volitio habens pro objecto ipsam ignorantiam vetitam, (quam utique voluntas velle non potest, nisi prius intellectus eam ignorantiæ malitiam repræsentet) est moraliter mala, & est peccatum ignorantiæ, quamvis eam ignorantiam intellectus attingat; ita multò magis reliqua opera ad ignorantiam culpabilem sequentia dicentur peccata ex ignorantiâ, cùm intellectus eorum operum malitiam directè non attingat, ut dixi paulò antè.

Ad 2. confirm. dico, quòd volitio habens N. pro objecto negligentiam sciendi est for- 125. malissimè peccatum ignorantiæ; ut enim volitio habens pro objecto occisionem est formalissimè homicidium, ita volitio habens pro objecto ignorantiam veritatis est formalissimè peccatum ignorantiæ. Ad id quod additur, quòd ipsa negligentia sciendi veritatem scienter admittitur, ergo non ignoratur, ergo non est peccatum ignorantiæ: concesso antecedenti, & primâ consequentiâ, nego secundam; hoc enim est æquivocum, quod putant idem esse peccare peccato ignorantiæ, ac peccare non cognoscendo malitiam peccati ignorantiæ; hanc enim semper cognosco; quod ignoro est, ipsum præceptum, quod scire nolo; implicat autem, ut non velim scire, an detur, N. quin cognoscam malitiam: quare ignoran- 126. tia est circa existentiam, & non existentiam præcepti jejunij; cognitio autem est circa malitiam non jejunij; nam velle ignorare, an detur lex jejunij, & cognoscere me peccare, tum volendo talem ignorantiam, tum non jejunando, si fortè detur lex jejunij, non includit ullam repugnantiam: quod enim scitur, est malitia non jejunij voluntariè ignorati; quod ignoratur, est existentia præcepti jejunij; atque adeò tunc pecco ignoranter ignorantiâ cadente supra existentiam præcepti; & pecco scienter, scientiâ cadente, tùm supra malitiam ignorantiæ volitæ circa existentiam præcepti, tùm supra malitiam comestionis vetitæ, positæ sub dubio de existentiâ legis jejunij, dubio non deposito.

Dices ex P. Elizald. *lib.*3. *qu.*2. §. 4. *mihi* N. *pag.* 136. cujus doctrina eò tendit, ut neget 127. nos habere posse judicium certum de non P. Eliz. peccato, licèt ferè omnes affirment oppositum, de quo nos alibi; dices, inquam, certum esse ex Scripturâ, & PP. dari in nobis peccata occulta, & ignota; sed hoc est falsum, si omnis peccans actualem remorsum experiretur, quia diligentissimi omnium remorsuum recordari possunt: ergo ad omne peccatũ non requiritur necessariò actualis remorsus. Rursus, si omnis peccans

haberet certum de non peccato dictamen, sequeretur, quòd omni peccanti notum esset, deesse sibi hanc evidentiam, & certitudinem non peccati, & sic nulla essent peccata occulta. Respondeo, omissâ propriâ solutione, me
N. 128. unicè contentum transcribere formalia P.
P. Teril. Terilli verba, ut inde constet, malâ fide citari pro oppositâ. Ait itaque *qu.* 40. *Reg. mor. num.* 47. multa peccata esse nobis occulta, vel quia eorum obliti sumus, vel quia ex ignorantiâ vincibili processerunt. Certè ex hâc ignorantiâ sæpe putamus ea esse bona, & Deo placentia, quæ verè sunt mala, & nobis imputantur. Jam verò multa peccata ex hisce capitibus essent occulta, etii homines actuali cum remorsu negligentes fuissent in veritatis indagatione, quando illa poterat, & debebat inquiri. Neque inde sequitur, quòd diligentissimi possint omnium recordari, quia oblivio in multis est prorsus insuperabilis, ut patet. Est præterea aliud caput, ex quo peccata sunt occulta, etiam quando adest aliquis remorsus. Sæpe enim tentationibus pressi nescimus, an strenuè restiterimus; an plenum, an semiplenum assensum præstiterimus, &c. in tali casu peccatum aliquando est occultum, etsi aliquem remorsum habeamus, quia multi remorsum habent, etsi diligenter restiterint, & fecerint omnia, ad quæ tenebantur. Demùm si universim loquamur, ad omne peccatum non requirimus remorsum, quia peccata ignorantiæ vincibilis esse possunt sine ullo remorsu, quamvis existimemus aliquem remorsum necessariò præcessisse, quando diligentia debita sponte negligebatur. Quoad 2. attinet, ostendimus jam,
N. 129. unde peccata sint occulta. Cæterùm etsi omnis non peccans in instanti suæ operationis certo sciret se non peccare, & sic peccatum actuale, ratione sui imputabile, numquam esset occultû in eo instanti; nihilominus multa peccata postmodum evaderent occulta propter oblivionem, aliasque rationes allatas, tum hìc, tum *qu.* 13. *de Conse. prob. num.* 37. Hæc P. Teril. in cujus verbis nota 1. tam invalidum putare hoc argumentum contra actualem remorsum à nobis requisitum, ut eo admisso adhuc dicat dari plurima peccata prorsus occulta. Nota 2. quòd P. Teril. nobiscum sentit, quòd necessarius semper sit actualis remorsus etiam in peccatis ignorantiæ, nempe tunc quando diligentia debita sponte neglecta fuit, seu quando est imputabile, tunc autem est tale, quando fuit omissa diligentia, ab illius enim omissione sequentia ignorantiæ peccata dicuntur imputabilia: ergo malè citatur pro oppositâ negante actualem remorsum, ut peccatum sit imputabile, imò licèt hunc negaret, adhuc tamen fatetur argumentum contra nos adductum esse nullum.

Ad 3. concesso antecedenti, nego conse- N.
quentiam; quia ad peccandum satis est, ut 130.
aliquo instanti cognoscam opus esse vetitum, illudque postmodum ex priori volitione continuem; non autem necesse est, ut totâ horâ, quâ quis peccat, advertat, ut in simili dixi de studio *sect.* 2. §. 1. *advert.* 2. & §. 3.

Ad 4. dico me satis exposuisse mentem N.
Synodi Palæstinæ *d.* 5. Hoc miror, quòd 131.
P. Thyrsus ex tali Synodo probet suam sen- Syn. Palæst.
tentiam, cùm eâdem Synodi authoritate Baius, & Jansenius suam de ignorantiâ invincibili, quòd non excuset, sententiam probaverint. Quare omissis, quæ dixi *d.* 5. dico meritò damnatam à Synodo illam universalem negativam Cælestij, & Pelagij pro- Cælest. Pelag.
positionem, *Ignorantia, & oblivio numquam subjacent peccato;* quia negat peccata ignorantiæ, quæ utique dantur, & sæpe sunt peccata, & causa peccati; sunt peccata, quoties eam ignorantiam volumus; ut enim quis dicitur peccare homicidio, quoties liberè vult occisionem cognitam ut malam, ita etiam quis dicitur peccare peccato ignorantiæ, quoties vult negligentiam cognitam ut vetitam à virtute studiositatis obligantis inquirere veritatem. Ex hoc tamen non sequitur, quòd peccetur, quin advertatur peccari, immò implicat, ut quis peccet per ignorantiam, seu per nolitionem sciendi, quin advertat se peccare, non minùs, ac qui peccat per occisionem, advertit se taliter peccare.

Ad DD. citatos, quos ait, quòd licèt ex N.
professo impugnent Jansenium, idem tamen 132.
docere, quod ipse: dico quòd P. de Champs P. Thyrs. P. de Chàp.
evidenter sustineat oppositû, ait enim quòd ignorantia ortû ducens ex negligentiâ sciendi imputatur ad culpam, (nota 10 imputatur, quatenus est culpa ob negligentiam directè volitam) & facta, quæ ex hâc ignorantiâ contra præceptum contingunt, culpâ non vacant (intellige ratione negligentiæ, qui enim hanc vult, vult etiam, quæ connectuntur cum illâ,) nam per hoc præcisè, quòd ignorantia, & oblivio eorum, quę quis scire tenebatur, sint indirectè volita, (id est, in ipsâ ignorantiâ) imputantur ad culpam. Ecce nil clarius pro meâ, & communissimâ sententiâ. Idem exprimunt ver- P. Auba natus.
ba P. Annati, quare nescio quomodò ex illis DD. inferatur, peccari peccato novo,

cùm

cùm nullus dicat peccari peccato novo, sed unicè dicunt imputari peccatum sequens ad negligentiam ratione negligentiæ; ita ut opera contra legem facta, & sequentia ad ignorantiam volitam, sint tantùm peccata imputabilia ratione peccati negligentiæ, & ignorantiæ volitæ, quæ omnia luculenter tradidit P. Teril. doctus à P. de Champs, & P. Annato, quorum vestigijs insistit: ergo frustra hi DD. trahuntur pro oppositâ. P. Teril.

N. 133. Ad confirmationem, fateor quòd, quæ fiunt necessitate consequenti, si sint contra legem, sint peccata, dummodo ea necessitas sit *pure* consequens: attamen simul dico, quod si ignorantia antea vincibilis, hic, & nunc vinci non possit, dico, inquam, quòd opera facta contra legem, & sequentia ad ignorantiam, quę hic, & nunc vinci non potest, non sunt peccata; eamque necessitatem esse hìc, & nunc antecedentem omne liberum voluntatis exercitium: eò enim ipso quòd ignorantia sit hìc, & nunc invincibilis, eo ipso nullo modo est libera, quamvis dum vincibilis fuit, libera fuerit,

N. 134. Ad 5. dico, quòd non advertens nunc se peccare, non agit liberè formaliter contra legem, quia non advertit tale opus esse contra illam, nam libertas peccati constituitur per cognitionem peccati. Quod si dixeris, careo cognitione peccati, quia carere volo; benè est: ergo tunc volo ignorantiam; si autem volo ignorantiam, vel volo, ut culpabilem, vel non? si non, tunc non pecco, quia non datur peccatum ignorantiæ: si volo, ut culpabilem; ergo cognosco culpam in eâ ignorantiâ volitâ; ergo numquam pecco sine aliquâ cognitione peccati. Pecco quidem sine cognitione de existentiâ præcepti directi, an detur præceptum jejunandi; numquam tamen pecco sine cognitione peccati: nam qui vult culpabiliter ignorare præceptum jejunij, cognoscit culpam in tali ignorantiâ; ergo cognoscit peccatum.

N. 135. Dices 1. Ergo nulla, juxta nos, dabuntur peccata ignorantiæ: 2. quòd maiores peccatores, quia carent omni conscientiæ remorsu, & peccati advertentiâ, non peccabunt: 3. si homo esset benè affectus ad sciendum, quæ necessaria sunt, non careret scientiâ eorum; ergo carentia scientiæ, & advertentiæ est illi libera; ergo quæ ad talem inadvertentiam sequuntur, si sint contra legem, erunt peccata; adeoque contractus injusti sequentes ad liberam sciendi omissionem, an necne sint justi, erunt peccata, licèt fiant sine omni advertentiâ peccati. Hęc argumenta contra suam, & nostram, & ferè omnium sententiam trahit P. Oviedo 1.2. *tr.4. contr. 1. n.5.* P. Ovied.

eaque sunt, in quibus tantum laboris P. Eliz. P. Thyrs. Palanco, & M. Elbecqu. insumpsit, ut scias nihil novi contra antiquam sententiam excogitatum, sed quod compendiosè contra nos objiciebatur, esse ab his valdè dilatatum. In formâ nego antecedens 1. quia volitio habens pro objecto ignorantiam vetitam dicitur peccatum ignorantiæ: 2. quia omnia peccata oblita, quia sunt ignorata, sunt etiam peccata ignorantiæ: 3. quia omnia, quæ procedunt ex conscientiâ dubia, aut scrupulosâ, dicuntur procedere ex ignorantiâ; ad differentiam eorum operum, quæ si procedant ex magno animi circa objectum affectu, aut odio, dicuntur procedere ex passione. Ad 2. nego antecedens; alius est remorsus intellectus consistens in cognitione malitiæ, & judicio dictante tale objectum esse vetitum; alius est remorsus voluntatis consistens in quâdam voluntatis displicentiâ: prior in nullo etsi enormi peccatore cessat, ut rectè S. Bonav. in 2. *dist. 39. art. 2. qu. 2. per totam*, ubi resolvit quòd Synderesis *quantum ad actum remurmurationis extingui omnino non possit*, & ideo quantumcumque homo peccaverit, remanet tamen in eo tam conscientia, quàm Synderesis. Idem ait *art. 2. qu. 3.* dicens: *Synderesis, ut dicunt Sancti & Glossa, quantùm est de se, semper habet ad bonũ stimulare, & peccato remurmurare, quamdiu sumus in statu viæ.* Alter non datur, nisi in viris conscientiæ non ex toto perditæ; atque adeò carens priori remorsu excusabitur semper à culpâ, cùm eam nullo modo apprehendat. Ad 3. dico, quòd eò ipso, quòd inadvertentia sit libera in ratione peccati, eò ipso cognoscitur ut mala; & effectus ad eam sequentes, & ab eâ quodam modo pendentes sunt mali, non tantùm quia prævisi, ut effectus causandi ab eâ inadvertentiâ peccaminosâ; sed etiam, quia prævisi cum dubitatione, ut oppositi varijs legibus, & virtutibus, si fortè existunt: quod siquis sit adeò malè affectus, ut deinceps nullo modo advertat ad suam inadvertentiam, & ignorantiam culpabilem, & ejus malitiam; & sine omni advertentiâ ad suam inadvertentiam, & ignorantiam peccaminosam eligat objectum aliquod ex se malum, non peccabit novo peccato, quia peccatum incognitum non est peccatum; & voluntas id tantùm eligit, quod intellectus proponit: ergo si intellectus nullo modo proponat objectum esse malum, nec ignorantiam, quâ circa tale objectum laborat, esse malam, voluntas illud objectum eligens non peccabit, quia non eligit formaliter malum, etsi eligat objectum materialiter malum. P. Eliz. P. Thyr. Palanc. M. Elbec.

N. 136.

N. 137.

S. Bona.

§. II.

Rejicitur doctrina P.Thyrſi allata ſect.1.§.2.

SUMMARIUM.

In quo conſentiam, & diſſentiam à P.Thyrſo, n.138.

Mentiens ſub errore vincibili peccat peccato mẽdacij, & meretur pœnam diſtinctam à pœnâ debita peccato ignorantiæ, n.139.

Per hoc quòd alio peccato peccet, non infertur peccari ſine advertentiâ peccati, n.140.

S. Thom. loquitur de peccato materiali; & per eumdem latiùs patet malum, & peccatum, quam culpa, n.141. 142.

Implicat error culpabilis ſine advertentiâ, 143.

Ut actus ſub errore culpabili ſit novum peccatum, neceſſaria eſt, vel nova peccati libertas, vel quòd antiqua duret, n.144.

DD. negantes, quòd actus externus addat novam bonitatem, n.145.

Adhuc dato, quòd adderet, paritas eſt contra P. D.Thyrſum, n.146.

Etſi magis peccet, qui centies ex errore culpabili contrahit, quàm qui ſemel, non ideò ſine advertentiâ peccat, n.147.

Quid probet paritas actus externi, n.148.

Primum corollarium eſt falſum: ſecundum quo ſenſu verum; de tertio non diſputo, n. 149. ad 151.

Celladei ait, quòd D. Hieronymo à Pelagianis objectus fuerit Janſeniſmus, n. 152. 153.

Dictum D.Hieronymi, ibid.

Poteſt ignorantia fieri invincibilis; quando fiat? 155. 156.

Ignorantia eorum, quæ quis obligatione, tum phyſicâ, tum morali, ſcire tenetur, non excuſat; excuſat quæ quis obligatione tantùm phyſicâ, n. 157.

Vincibilis ignorantia eſt æquivalenter ſcientia, n.159.

Modus deponendi vincibilem ignorantiam, 160.

Non eſt neceſſaria regulariter meditatio, &c. ib.

Abuſus eorum, qui vincibilem conſcientiam non deponunt, n.161.

N. 138. P.Thyr. REſtat modò, ut impugnemus doctrinam, quam *ſect.1.§.2.* dedi ex P.Thyrſ. in quâ dicit, quòd præter peccatum negligentiæ contrahatur aliud peccatum, ſi ei negligentiæ culpabili addatur aliud opus contra aliam legem, aut virtutem. Fateor quoad hoc dicere verum, ut ego docui *ſect.2.§.2. concluſ.3.* propter rationes ibi adductas: attamen quia hìc iterum ſupponit poſſe verè, & propriè novo peccato peccari, quin ullo modo advertatur peccari, ideò in ejus doctrinæ rationibus veritatem à falſitate ſecernere oportet.

Ad 1. probationem fateor, quòd judicans per errorem culpabilem ſe teneri ad mentiendum, ſi mentiatur, peccabit; fateor etiam hoc mendacium eſſe peccatum diſtinctum à peccato negligentiæ, & novam pœnam mereri. Ratio eſt, quia negligens ſcire, an mendacium in tali caſu liceat, & ſimul mentiatur, duplicem habet in eo caſu, æquivalenter ſaltẽ, volitionem peccaminoſam: prima eſt, nolo ſcire, an detur præceptum vetans in tali caſu ſermonem falſum: altera eſt, volo proferre eum ſermonem falſum, ſive adſit, ſive non adſit præceptum: quæ duplex ſaltem æquivalenter volitio, eſt duplex peccatum: nolle enim ſupprimere illud verbum, ſuppoſitâ negligentiâ ſciendi, an ſit obligatio tacendi, eſt quid plus, quàm præcisè nolle ſcire, an detur præceptũ tacendi illud verbum falſum; plus enim eſt dicere, non volo ſcire, an detur præceptum tacendi, & non volo illud tacere, quàm dicere, non volo ſcire, an detur præceptum tacendi, volo tamen tacere: hic enim peccat tantùm peccato negligentiæ contra ſtudioſitatem; ille autem peccat tùm peccato negligentiæ contra ſtudioſitatem, tùm peccato mendacij contra veracitatem. N. 139.

Hinc non video quomodò ex hâc reſolutione P. Thyrſus deducat peccare peccato novo, licèt non advertat quis ſe peccare: aliud enim eſt, quòd peccet alio peccato; aliud quòd peccet alio peccato, licèt non advertat ſe peccare: primum eſt verum, & ideò, quia alio peccato peccat, meretur pœnam diſtinctam à pœnâ debitâ peccato negligentiæ: ſecundum eſt falſum, quia implicat peccatum ſine advertentiâ; ergo implicat novum peccatum ſine novâ advertentiâ, aut ſaltem ſine veteri durante: ergo ex hoc quòd mentiens ex negligentiâ culpabili ob famam proximi tuendam mereatur pœnam diſtinctam à pœnâ debitâ peccato negligentiæ, non infertur eum peccare peccato novo, etſi non advertat ſe peccare. In formâ concedo antecedens, & primam conſequentiam: ad ſubſumptum dico, quòd, qui mentitur nolens ſcire, an detur præceptum vetans mendacium; dico, inquam, quòd iſte non cognoſcit an detur tale præceptum non mentiendi, adhuc tamen cognoſcit ſe peccare, ſi mentiatur, quia cognoſcit legem reflexam non operandi cum conſcientiâ dubiâ de exiſtentiâ præcepti, adeòque peccat advertendo ſe peccare, & neſciendo, an exiſtat lex de non mentiendo; quæ ſi exiſtat, peccat inſuper peccato contra veracitatem. N. 140. P.Thyr.

Ad 1. confirm. concedo totam, advertendo tamen, quòd verba S.Thom. intelligenda N. 141. S. Tho.

ſunt

sunt, vel de peccato materiali, si opus contra legem fiat sine advertentiâ; vel si fiat cum conscientiâ culpabiliter erroneâ, seu cum advertentiâ, intelligenda sunt de peccato formali. Verumtamen præter ea, quæ alibi dicemus ad citatum D. Thomæ locum, *Quod est contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quòd sit juxta conscientiam*, advertere oportet, quod juxta S. Thom. latiùs patet *malum*, & *peccatum*, quàm *culpa*, N. 142. nam 1.2. *quæst.* 21. *art.* 1. ait: *Licet in actibus naturalibus* (loquitur de non liberis) *sit peccatum, non tamen est culpa:* (notet hæc verba M. Elbecque, & omnia, quæ ex S. Thom. M. de Elbec. *art.* 3. §. *unico*, *& art.* 4. trahit, facilè dissolvet, quin doceat posse peccari formaliter sine advertentiâ,) ergo juxta S.D. latiùs patet peccatû, & malum, quàm culpa; licèt enim omnis culpa sit peccatum, & malum, non tamen econtra: ergo dum S. Thom. dicit, *Quod est contra legem, semper est malum*, optimè loquitur; vult enim esse malum materiale; neque per hoc quòd illud sit juxta conscientiam, fit, quòd non sit malum materiale, adhuc enim erit materiale malum, si detur lex à parte rei. Quapropter Caram. *lib.* 4. Caram. Theolog. Mor. Fund. in Dialexi à *n.* 69. ait in eruditissimû D. Spinulam, qui deinde ad Spinula. Episcopatum Savonensem assumptus fuit, in suo Opusculo de liberâ, & prudenti electione in moralibus, *d.* 1. *sect.* 5. *pag.* 49. quòd Spinula non rectè interpretatus fuerit textum D. Thomæ ex *quodlib.* 8. in quo differit de Præbendis, & quem pro se Jansenistę centies allegant, (vide, quæso, quod hominum genus eo textu utatur) dum Spinula asserit nimiùm probare, quatenus probat ille textus, peccare eum, qui contra legem facit, licèt juxta conscientiam operetur, quod tamen est contra omnes DD. Hæc, & alia Spinula, quæ Caramueli non placent, cùm facilius sit dicere, quod qui operatur contra legem, *peccat*, sed materialiter, non autem peccat formaliter, quia operatur juxta conscientiam; cùm juxta S. Thom. non omne peccatum, putà materiale, non semper sit culpa. Omitto diffusàm æquè, & dilucidam Caramuelis ad D. Thomæ textum paraphrasim.

N. 143. Ad 2. confirm. dico repugnare in terminis, quòd dictamen conscientiæ sit culpabiliter erroneum, & quòd nulla detur advertentia ad peccatû; si enim est culpabiliter erroneum, ergo advertitur esse tale; & nego consequentiam quoad ultimam partem; nulla enim nova formalis malitia contrahitur, nisi vel accedat nova advertentia, vel perseveret antiqua.

Ad 2. probationem respondeo, quòd, ut actus sub negligentiâ culpabili commissus novam induat malitiam, non esse necesse, ut novam habeat libertatem peccati; necesse tamen est, ut habeat, vel novam peccati libertatem, vel saltem ut antiqua peccati libertas perseveret; sed hęc, ut toties dixi, includit cognitionem malitię: similiter negligentia culpabilis includit, tùm cognitionem peccati ignorantiæ, tum cognitionem de malitiâ operis, si fortè datur præceptum à me culpabiliter ignoratum: ergo implicat in terminis, ut quis peccet contra legem sub negligentiâ culpabili, quin advertat se peccare. N. 144.

Ad 1. antecedentis probationem dico cum communi, quam tuetur S. Thom. 1.2. *qu.* 20. *art.* 4. Scotus in 2. *dist.* 42. *quæst.* 4. *num.* 2. 16. 17. & 20. P. Vasqu. P. Suar. *tr.* 3. *d.* 10. *sect.* 1. qui citat D. Bonav. & Capreolû, P. Ovied. 1.2. *tr.* 4. *contr.* 8. *n.* 27. & *tr.* 9. *contr.* 2. *a n.* 70. C. de Lugo *d.* 24. de Pœnit. *sect.* 4. *a n.* 56. Herinx *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 6. per totam, & ferè omnes alij, immò ipse P. Ripalda *tom.* 1. de Ente *disp.* 68. *sect.* 4. qui actionem externam non addere novam bonitatem actui interno defendit, licèt velit addere novum meritum; (inconsequenter autem P. Ripald. concedit, quòd actus externus addat novum meritum, non autem novam bonitatem; & impugnatur à P. Ovied. sicut etiam inconsequenter P. Suar. C. de Lugo, & P. Ovied. quos impugnat P. Dicast. *d.* 13. de Pœnit. *n.* 87. concedunt, quòd opus externum augeat satisfactionem, & negant augere meritum; inconsequenter, inquam, quod enim quæritur, est, an actus externus addat novam bonitatem, quidquid sit de alijs formalitatibus meriti, & satisfactionis,) dico, inquam, cum communi, quam ferè omnes tuentur, quòd opus externum nullam addit novam bonitatem, aut malitiam interno, quidquid, ut dixi, sit de formalitate meriti, & satisfactionis: ergo paritas adducta est cõtra communem. Deinde eam retorqueo: Ut enim actus externus, adhuc dato quòd addat novam malitiam interno, licèt non addat novam libertatem, ideò addit novam malitiam, quia supponitur, quòd ipsum liberum exercitium internum perseveret in suo effectu imperato, nempe in actu externo, adeòque implicat, ut novam addat malitiam, immò implicat, ut aliquam, sive novam, sive non novam addat, si non durat virtualiter ipsa libertas interior: ita in casu nostro implicat, ut novum addatur peccatum, nisi accedat, vel nova libertas peccati, vel antiqua perseveret in ipsâ culpabili negligentiâ, quæ necessariò dicit cognitionem malitiæ; atque adeò N. 145. S. Th. Scotus. P. Vasq. P. G. Hurtad. P. Suar. D. Bonavent. Capreo. P. Ove. C. de Lugo, Herinx. P. Rip. P. Dicast. N. 146.

adeò hæc ipsa antiqua libertas, quia pluribus volitionibus peccati liberis æquivalet,
M.Tap. potest dici nova quodammodo libertas.

Quapropter M. Tapia *tom.* 1. *lib.* 1. *qu.* 7. *art.* 6. postquam probavit actionem exteriorem respondentem interiori non addere bonitatem, aut malitiam distinctam, quia vel illud superadditum distinctum est volitum ab actu interiori, vel non est volitum? si non est volitum, non erit malum, aut bonũ, quia nihil est moraliter bonum, aut moraliter malum, nisi sit voluntarium; sic enim accipitur volitum pro *voluntario* procedente à liberâ voluntate; tandem *n.* 6. ait, quid si aliquis cum Scoto *quodlib.* 18. *art.* 3. judicet, actum exteriorem adæquatè respondentem interiori addere bonitatem, aut malitiam interiori, imputabitur nè illi maior bonitas, vel malitia actus externi? Respondet, quòd imputabitur ex conscientiâ errante, aut probabili; & tamen dum sic accidit, tota ea bonitas, vel malitia in actu externo apprehensa nascitur ab actu interno, quo efficaciter vult actum externum, ut *deteriorem* aut *meliorem*; nam si illa bonitas, vel malitia non est voluntaria, non imputabitur ad meritum, vel demeritum. Unde adhuc in isto casu incidit in sententiam D. Thomæ, vel involvitur implicatio, si velis fugere ab eâ. Hæc M.
M. Elbec. Tapia, quæ legenda propono ipsi M. Elbec-
M.Tap. que; nam M. Tapia Thomista doctrinâ, religione, & prudentiâ, siquis alius insignis est, & tamen expressè docet non tantùm quòd peccari non possit, quin advertatur ad malitiam, sed ne quidem augeri posse malitiam per actum externum, quin ea cognos-
M.God. catur. Idem tradit M. Godoy 1. 2. *tom.* 1. *d.* 23. *an.* 12. qui ait, actum internum, & externum esse unum numero peccatum formaliter in esse moris, quod incipit in interiori, & consummatur in exteriori: idem Caie-
Caiet. S. Bon. vent. Ar min. Riccius. tanus 1. 2. *qu.* 20. *art.* 3. & 4. D. Bonav. in 2. *dist.* 40. *qu.* 1. Ariminẽsis *ibid. qu. unicâ concl.* 6. & 7. Riccius de Act. hum. *lib.* 3. *cap.* 43. *n.* 2.

N. 147. P. Thyr. Ad exempla, quæ P. Thyrsus trahit, dico, plùs peccare mercatorem centies ex negligentiâ culpabili contrahentem, quàm qui semel, ob rationem, quam dedi initio *hujus* §. at hinc non sequitur, quòd peccet contrahendo, quin advertat se peccare: si enim perseverat negligentia culpabilis, & contrahit cum affectu ad talem ignorantiam, utique perseverat advertentia ad peccatum ignorantiæ, & injustitiæ, si datur præceptum vetans eum contractum, esto hoc præceptum dari ignoret. Dixi enim, quòd ignorans præceptum voluntariè scit se peccare, si ponat opus; adeòque ignorantia est circa existentiam præcepti, non autem circa peccatum; in quo valde decipiuntur Contrarij, & ideò dicitur peccatum ignorantię, quia scienter ignoratur existentia præcepti, licèt non ignoretur peccatũ contra existentiam præcepti scienter ignorati: ergo si unus pluries cõtrahat, quàm alter, ille plus peccabit, quàm iste; quia ignorantia voluntaria, quam habet, qui pluries contrahit, in sui duratione toties quodammodo multiplicatur, quoties contrahit; eo modo, quo qui unâ volitione determinat occidere centum, magis peccat, quàm qui unâ volitione determinat occidere unum, quia illius volitio quadantenus multiplicatur multiplicatis homicidijs, seu objectis: ita in casu nostro ignorantia illius, & volitio contractuum, quæ sub eâ ignorantiâ fiunt, quodammodò multiplicatur, quoties contrahitur. Porrò, ut dixi, volitio contractus sub ignorantiâ vincibili est libera non tantùm libertate facti, sed etiam peccati, quia procedit à potentiâ liberâ cognoscente esse peccatum contrahere sub dubio de justitiâ contractus. Quod dixi de contrahentibus sub ignorantiâ vincibili, dico de alijs, quorũ unus sub vincibili ignorantiâ ponat opera contra plura præcepta, alius contra unum; plus enim peccabit ille, quàm iste, & tot peccata specie diversa patrabit, quot sunt præcepta, aut virtutes diversæ per ea opera violatæ. Nego tamen consequentiam, quæ infertur, nempe peccari nunc posse sine libertate peccati nunc existẽte; immò, si nunc peccatur, nunc existit libertas peccati, tum in ignorantiâ vincibili, quæ advertentiam peccati necessariò supponit; tum in dubio, an existat lex, quam ignorare vult, operando contra illam; nam licèt ignoret existentiam legis directæ, non tamen ignorat, immò scit se peccare contra legem reflexam vetantem, ne ponatur opus sub dubio de existentiâ legis vetantis, nisi dubio deposito.

Dices: Ideo volitio furti est mala, quia malum est furtum externum: ergo actus externus novam malitiam addit supra internum. Sed contra; quia sive addat, ut pauci docent, sive non addat, ut plerique, cum S. Bonav. in 2. *dist.* 40. *art.* 2. *qu.* 1. & 3. & *dist.* 47. *art.* 1. *qu.* 2. hoc scio argumentum jam fuisse à me retortum: similiter scio hâc instantiâ unicè probari, quòd aliqui actus sumant suam malitiam ab objecto, quia in se malo, non autem probatur superaddi interno malitiam formalem, hæc enim non haberetur, nisi à voluntate cognoscente malitiam objectivam; & actio externa non habet nisi malitiam, aut bonitatẽ objectivam, seu materialem ex se; moralem autem habet à voluntate N. 148. S. Bonaventur.

luntate. Demũ scio, quòd qui desiderat millies mori pro Deo, non tantùm meretur, quãtum qui millies moreretur; quia mille actus externi præsupponunt mille internos efficaces, vel unum illis æquivalentem, quod reverà est moraliter impossibile; quod idem dico de eo, qui unâ volitione desiderat mille homines occidere; hic enim non tantùm peccat, quantum si mille occideret, quia unica volitio non æquivalet mille volitionibus efficacibus: ergo paritas, & comparatio actus externi cum interno, ut aliquid concludat, diligenter consideranda est, & ad rem nihil facit.

N. 149. Ad 1. Corollarium dico esse verissimum, tantùm abest, ut falsum sit, quòd nemo peccet, dum facit, quod sine ullo conscientiæ remorsu, & scrupulo judicat esse honestum. Vide quæ dixi §. *antecedenti ad finem*.

N. 150. Ad 2. dico esse verum, si addatur *invincibiliter*, nempe omnis invincibiliter putans se non peccare, non peccat; si autem putet *vincibiliter*, peccabit; numquam tamen ignorantia est vincibilis, nisi adsit advertentia peccati, ut toties dixi.

N. 151. Ad 3. an opinio docens, quòd potest quis peccare agendo cõtra legem, licèt dum agit, firmissime judicet se benè operari, si judicet firmissimè ex errore, aut ignorantia, quæ dum operatur, vinci non potest, nec satis esse quòd olim potuerit; an hæc, inquam, opinio incidat in Jansenismum, viderint alij; ego enim à meo judicio proferẽdo abstineo. Hoc unicè dico, quòd qui eam sententiam judicat non posse accusari de Jansenismo, quia (inquit) eam tuentur S. August. S. Thom. Synodus Palæstina, nihil dicit; quia Jansenius, ut etiam fatetur P. Elizal. *2.p. lib. 5. qu. 18. pag. mihi* 126. suum errorem ijsdem S. Augustini, S. Thom. & Syn. Palæstinæ textibus probat, & ex illis infert opinionem damnatam, licèt pessimè inferat: ergo etsi ex dictis textibus probetur ea opinio, si ostendatur malè probari, & non esse ad rem, poterit de Jansenismo notari.

P. Eliz. Jansen. S. Aug. S. Th. Syn. Palest.

N. 152. P. Eliz. S. Hier. Dices ex P. Elizald. *2.p. lib. 5. qu. 17. §. 5. pag. mihi* 121. Jansenismum, quem aliquis eidem objicit, quatenus ejus opinio incidit in præceptorum impossibilitatem, objectum olim fuisse à Pelagianis S. Hieronymo, nam *lib.* 2. S. Hieronymi ita clamant Pelagiani: His enim cunctis testimonijs videris hominum accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, si tales homines condidit, ut oblivionis, & ignorantiæ peccato carere non possint. Et *lib.* 1. Aut possibilia Deus mandata dedit, aut impossibilia? si possibilia, in nostrâ potestate est ea facere, si velimus; si impossibilia, nec in hoc rei sumus, si non facimus, quod implere non possumus, ac per hoc sive possibilia dedit Deus mandata, sive impossibilia, potest homo esse sine peccato, si velit: (hęc S. Hieron.) ergo Jansenismus, quem aliqui ei opinioni objiciunt, est purus Pelagianismus.

Respondeo tria hìc esse: primum, an benè Pelagiani contra S. Hieron. arguerint: secũdum, an benè P. Elizald. inferat contra nos Pelagianismum: tertium, an benè aliqui cõtra eum intulerint Jansenismum. Ad 1. dico, Pelagianos pessimè arguisse contra S. Hieron. ex eo quòd S. Doctor admittebat peccata ignorantiæ, quæ Pelagiani negabant, non ideo sequitur peccari necessariò, ut Pelagiani volebant, nisi ad summũ necessitate consequenti, præsertim si nobiscum dixeris, ad omne peccatum etiam ignorantiæ, & sequẽtia ad illam requiri advertentiam; ignorantiæ quidem in se, sequentium autem advertentiam, ad ipsam ignorantiam tamquàm in causâ. Ad 2. dicam paulò pòst, dum solvam argumenta P. Eliz. Ad 3. dico me abstinuisse ab illatione Jansenismi ex sententiâ P. Elizal. qui autem inferunt, viderint illi. N. 153. P. Eliz.

Ad 4. dico, quòd si dum fit novum opus contra legem, ille error sub quo fit, vinci non potest, tale opus sub eo errore hìc, & nunc invincibili non est peccatum; si autem fiat sub errore, qui vinci potest, tunc est novum peccatum, at eo ipso fit cum advertentiâ peccati. N. 154.

Ex his infer 1. nullam ignorantiam malitiæ, aut prohibitionis, cum dubio malitiæ, aut prohibitionis, aut remorsu indagandi ulterius veritatem, si illud dubium, aut remorsus per prudens judicium non deponatur, nullam, inquam, talem ignorantiam esse invincibilem, sed vincibilem, & culpabilem, quia talis ignorantia est peccatum negligentiæ contra virtutem studiositatis cognitam ut obligantem ad indagandam veritatem; & est violatio alterius præcepti, de cujus existentiâ dubitatur, & vincibiliter ignoratur. Si autem ignorantia sit talis, ut nulla adsit cogitatio malitiæ, aut prohibitionis, *vel si adsit, deponatur prudenter*, opus sub eâ ignorantiâ elicitum, sive ea ignorantia sit, sive non sit pœna peccati prioris, & olim volita, numquam est *novum peccatum*, licèt sit materialis violatio legis. N. 155.

2. quòd ignorantia antea vincibilis potest decursu temporis fieri invincibilis, nempe si tollatur omnis advertentia ejus expellendæ, & tunc excusabit semper opera sequentia à peccato formali, sive talis ignorantia dicenda sit invincibilis absolutè, seu pro omni tempore, sive invincibilis respe- N. 156.

respectivè, id est, hìc, & nunc, licèt olim
N. vincibilis fuerit. 3. ignorantia eorum, quæ
157. quis scire tenetur, obligatione tùm physicâ, tùm morali, numquàm excusat à peccato, nam est moraliter vincibilis: ignorantia autem eorum, quæ quis scire tenetur obligatione purè physicâ, & remotâ, quatenus datur præceptum sciendi, quod tamen nullo modo advertitur, semper excusat à peccato denuò imputabili, etsi ea ignorantia esset pœna peccati; nam præceptum numquam obligat moraliter, nisi moraliter existat per cognitionem, seu nisi cognoscatur obligatio.
4. cur ignorantia invincibilis excuset, vincibilis non excuset à peccato, nempe quia
N. 158. opus, quod non est ex fide, seu prudenti persuasione non peccati, est peccatum, ait Apostolus; opus autem quod est ex fide, seu ex prudenti judicio non peccati, non est peccatum: sed opus elicitum sub ignorantiâ vincibili dictante tale opus non esse peccatum, est opus, quod non est ex prudenti judicio non peccati; opus autem elicitum sub ignorantiâ invincibili dictante non esse peccatum, est opus ex prudenti judicio non peccati: ergo opus elicitum sub ignorantiâ vincibili est peccatum, sub invincibili non est peccatum.
N. 159. Addo quòd quia ignorantia vincibilis est æquivalenter scientia, ut ait M. Mart. de
M.Mar. Prado, & Caram. scientia autem peccati fa-
Caram. cit, ut objectum illud cognoscatur ut peccatum, & à voluntate volitum sit peccatum; ita etiam ignorantia vincibilis hoc facit. Modus autem quo deponitur conscientia vincibiliter erronea, facilis est, ait Herincx *tom. 2.*
Herin. *d. 4. n. 19.* & tradit hanc regulam generalem, tunc tutò deponi conscientiam ex ijsdem motivis, ex quibus ab initio contraria conscientia, in quam fit mutatio, tutò concipi
Palanc. potuisset: idem ait Palanco *qu. 10. §. 2. an. 19.* dicens conscientiam vincibiliter erroneam deponendam per mutationem judicij, factâ sufficienti veritatis inquisitione, hâc enim factâ, conscientia non est erronea, vel est invincibiliter erronea.
N. 160. Non approbo autem, sicut nec approbat M. Tapia, vir verè pius, & doctus, ut suprà
M. Tap. dixi, quod tradit M. Elbecque *art. 4. nota 9.*
M. El- *pag. 88.* obligans ad sagax voluntatis studiũ,
bec. quod ait consistere in cordis rectitudine, puritate, & simplicitate, in continuâ, & irrequietâ salutis solicitudine, in pijs mentis affectibus, quibus veritas verè diligitur, in sincerâ Dei quæsitione, ad hæc enim obligat, ut tollatur ignorantia vincibilis; quæ si vera sunt, nullus in peccato mortali existens poterit deponere ignorantiam vincibilem, quia caret cordis puritate, & rectitudine, & melior esset conditio piarũm mulierculariũ in ordine ad sciendum verum, quàm viri apprimè Theologi, quantumvis pij, non tamen adeo pij. Monet autem optimè Herincx N.
l. c. n. 25. vitandum eorum abusum, qui ut 161.
medeantur post factum remorsibus conscientiæ, studeant casibus, ut faventem suo facto Herinx.
opinionem inveniant, quod planè est medicinam post mortem sperare; nam attendi debet conscientiæ dictamen, quo quis directus fuit ad operandum: si fuit invincibiliter erroneum, non peccavit; si vincibiliter, peccavit. Oppositum accidit in conscientiâ delicatâ, quæ quia invenit post factum Doctores damnantes de peccato tale opus, se peccati reos fatentur, cum tamen dictamen posterius non dirigat opus jam factum.

SECTIO IV.

Argumenta M. Joan. Martin. de Prado.

SUMMARIUM.

Ad nos accedit, dum recedere videtur, n. 162.
Quæstio erit de voce, n. 163.
Arguit ex Divo Thom. & ait, quòd debens non peccare, & non cogitans peccet, & quòd quisque teneatur scire; & quia datur inadvertentia culpabilis, n. 164. ad 168.
Expono tres D. Thomæ textus, n. 169.
Cur Hæretici ex S. Thom. suos errores sequendo, peccent, ibid.
Ille solus peccat, qui potest moraliter, non satis, si physicè, n. 170.
Jus in foro externo comparat ignorantiam scientiæ, n. 171.
Nemo tenetur scire, nisi sciendi obligationem cognoscat, n. 172.
Advertentia est circa culpabilem inadvertentiam; & hæc circa rem, quam quis non vult scire, n. 173.
Exempla peccatorum perditorum non sunt ad rem, n. 174.

HIc Doctor in quæstionibus præcipuis N.
Theol. Mor. *cap. 2.* de Peccatis *qu. 6.* 162.
postquam plures retulit Doctores affirman- M.Mar
tes ad peccatum requiri expressam malitiæ advertentiam saltem dubitativam, aut scrupulosam, tandem §. 2. ait sufficere virtualem; hæc enim habet *n. 5.* Asserendum tamen est, quòd licèt, regulariter loquendo, ad perfectam deliberationem concurrat ex parte intellectus expressa cognitio prohibitionis objecti, vel malitiæ illius; attamen sæpè contingit, quòd cum solâ advertentiâ virtuali, quasi imperceptibili, vel voluntariâ in causâ, vel voluntariâ interpretativè, aliquem peccare mortaliter, vel venialiter. Hæc M.
Mart.

Mart. Nota autem, quòd dùm doctus Author à noſtrâ ſententia diſcedere præſumit, ad noſtram accedit: quid enim eſt advertentia *quaſi imperceptibilis*, niſi advertentia actualis, non quidem expreſſa, actualis tamen? nam ſi eſt, & eſt quaſi imperceptibilis, utique eſt actu, & eſt perceptibilis, licèt modicè, nam quod actu non eſt, percipi non poteſt; ergo ſi eſt modicè perceptibilis, actu eſt; ergo eſt actualis; ergo dum omnem advertentiam virtualem, ſive voluntariam in cauſâ, ſive interpretativè reducit ad quaſi imperceptibilem, & vult hanc ſatis eſſe ad peccatum, eò ipſo vult ſatis eſſe ad peccatum advertentiam actualem, tenuiſſimam tamen.

N. 163. P. Ovie. P. Salas. Quapropter dum citatus Doctor plures DD. pro ſuâ concluſione congerit, & malè fert, quòd oppoſita à P. Oviedo dicatur communiſſima, & multò peius, quòd à P. Salas dicatur improbabilis opinio, quam tuetur M. de Prado, eò ipſo omnes, quos pro ſuâ ſententiâ citat DD. eos omnes pro noſtrâ citare poteſt; nam omnes ab eo citati docent requiri ad peccatum advertentiam ſaltem virtualem quaſi imperceptibilem; ergo requirunt actualem, etſi tenuiſſimam; ergo tota quæſtio inter DD. erit de voce, non de re: non de re, quia omnes negantes requiri expreſſam, concedunt requiri actualem, ſeu quaſi imperceptibilem; & hoc eſt punctum de re, an ad peccatum neceſſaria ſit actualis cognitio peccati; quomodo autem ea actualis cognitio vocanda ſit, an virtualis, an expreſſa, an interpretativa, quæſtio eſt de voce.

N. 164. S. Th. Quamvis autem ſatis me feciſſe putem omnibus, quæ contra nos adduci poſſunt, ſpecialiùs tamen hujus Doctoris rationes ponderandæ ſunt. Prima eſt ex S. Thom. 1. 2. *qu.* 6. *art.* 3. *ad* 3. & clariùs *qu.* 74. *art.* 7. *ad* 2. dicente, *Ex hoc ipſo quòd ratio ſuperior non dirigit actus humanos ſecundùm legem Divinam, impediens actum peccati, dicitur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æternâ, ſive non*; ergo ſive actu cogitet de malitiâ, ſive non cogitet, peccare poteſt, quia cogitare tenetur. Secùndus textus eſt ex 2. 2. *qu.* 53. *art.* 4. ubi ait, quòd *inconſideratio eſt peccatum, cùm quis contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit*. Tertius ex 2. *Sent. diſt.* 39. *qu.* 3. *art.* 1. *ad* 3. ubi docet Hæreticos peccare in his, quæ ſecundùm ſuam ſectam faciunt, licèt ſine conſcientiæ remorſu operentur, & putent ſe obſequium præſtare Deo, dum juſtos occidunt; & duas aſſignat cauſas; *quia privato lumine fidei excæcati ſunt, non remurmurat eorum Syndereſis his, quæ contra fidem ſunt. Vel dicendum quòd Syndereſis ſemper remurmurat malo in univerſali; ſed quòd in Hæretico non remurmuret huic malo particulari, hoc contingit propter errorem rationis in applicatione univerſalis principij ad particulare opus*: ergo ſine formali advertentiâ malitiæ in particulari committi poſſunt graviſſima peccata. Dein trahit Caietanum, quem laudat.

Secunda eſt: (ait *n.* 10.) Qui poteſt, tenetur, & non facit, peccat; ſed ſæpe contingit, quòd laborans inadvertentiâ, vel oblivione, poſſit, & teneatur cogitare, ſive quia antea, cùm commodè potuit, recogitare fuit negligens, ſive quia nunc in communi proponitur, & inquirere omittit ea, quibus inſtrueretur ad rectè applicandum, ſive quia cognitâ objecti ſubſtantiâ habet principia, ut conferat de ejus moralitate, & prohibitione; ergo non eſt cur excuſetur à culpâ. Confirmat: quia ignorantia vincibilis eorum, quæ tenemur ſcire, etiamſi ſit habitualis, eſt peccatum, licèt tota ejus malitia oriatur ex negligentiâ actuali acquirendi ſcientiam eorũ, quæ tenemur ſcire, ut docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 76. *art.* 2. dicens: *Omnes tenentur ſcire cõmuniter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant*; & ideo in Jure Canonico cap. *Si culpa, de injurijs*, dicitur ignorantiam non excuſare, quando quis debuit ſcire, & in eodem jure ſcire, & debere ſcire æquiparantur. N. 165. M. Joa. Mart. N. 166. S. Th. N. 167.

Tertia eſt: quia ex oppoſitâ ſententiâ ſequitur nullam inadvertentiam malitiæ eſſe culpabilem, quia ſi requiritur actualis advertentia, eò ipſo omnis inadvertentia malitiæ excuſat, & excuſatur; niſi enim excuſabilis eſſet, non excuſaret: nihil autem magis receptum, quàm dari inadvertentiam, quæ imputatur ad culpam, & ideò S. Thom. 1. 2. *qu.* 76. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Ipſa negligentia ſciendi, vel etiam ipſa inconſideratio eſt peccatum*. Hæc M. Mart. N. 168. S. Th.

Sed hęc nihil me movent à meâ, & communiſſimâ ſententia, omnes enim ſentiunt ad peccatum requiri tenuiſſimam ſaltem advertentiam; hanc autem aliqui vocant formalem, ſeu expreſſam, alij verò virtualem, quod totum eſt de voce: ergo ſi M. Mart. ait, requiri advertentiam *quaſi imperceptibilem*, eò ipſo concedit requiri *tenuiſſimè perceptibilem*; ergo concedit requiri actualem, etſi tenuiſſimam; quòd autem eam vocet virtualem, eſt quæſtio de voce.

Ad 1. reſpondeo longè plures me adduxiſſe pro meâ ſententiâ textus, ut patet ex ſect. 2. Addo 1. textum probare ignorantiam invincibilem non excuſare, ſi textus ſumatur, ut ſonat; ergo eſt neceſſariò interpretandus: N. 169.

tandus: vult igitur Sanctus Doctor posse aliquem peccare, sive actu expresè judicet de malitia, sive actu tenuissimè tantùm de eâ cogitet, vel actu cognoscens se debere seriùs cogitare, seriùs non cogitet. Ad secundum textum dico, quòd Sanctus Doctor vult inconsiderantiam tunc esse peccatum, cùm quis contemnit, (id est, dicit, volo non scire) vel negligit (id est, dicit, non volo
S.Tho scire) ea, ex quibus rectum judicium procedit: ergo ex ipso S. Thom. patet non dari peccatum inconsiderantiæ absque eo quòd quis apprehendat malitiam peccati inconsiderantiæ, seu obligationem considerandi. Ad 3. textum dico velle, quòd Hæretici sequentes proprios errores ex culpabili ignorantiâ peccare, licèt ex culpabili errore putent se non errare; immò dum S. Thom. ait, quòd Synderesis remurmurat semper malo in universali in ipsis Hæreticis, licèt non huic malo particulari, eò ipso apertè docet
Caiet. dari cognitionem actualem, nempe Synderesim peccati. De Caietano nihil dico, suprà enim *sect.* 2. §. 4. dedi evidentè pro me textum.

N. 170. Ad 2. distinguo maiorem: qui potest *moraliter*, ut toties explicui, seu liberè theologicè, nempe potentiâ præsupponente hic, & nunc cognitionem boni, & mali, tenetur, & non facit, peccat, concedo; qui potest physicè tantùm, nego maiorem, & distinguo minorem: laborans actuali, & omnimodâ malitiæ moralis inadvertentiâ potest moraliter, & tenetur cogitare, nego minorem; ut enim cogitare teneatur, debet cognoscere, quòd cogitare teneatur; ergo debet habere actualem saltem tenuem advertentiam ad talem peccaminosam inadvertentiam objecti ignorati, & peccatorum ad eam sequentium: laborans omnimodâ inadvertentiâ potest physicè, & tenetur physicè, non tamen moraliter tenetur cogitare, concedo minorem, & nego consequentiam; lex enim omnimodè ignorata, & incognita non est lex moraliter. Hinc patet ad confirmàtionem. Ad Jus
N. 171. Canonicum dico, quòd Jus in foro externo
M Mar æquiparat ignorantiam scientiæ; supponit enim, quòd noluerit culpabiliter scire, qui in officio constitutus nescit ea, saltem præcipua, quæ sui muneris sunt. Addo me non capere qualiter dictus M. quę hìc tradit, combinet cum illis, quæ tradit infrà *qu.* 12. §. 7. ubi asserit, & meritò, dari posse invincibilem ignorantiam circa ea, quæ ad propriũ statum pertinent: ego autem ita contra eum arguo: Ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est vincibilis juxta illum: sed omnis ignorantia eorum, quæ pertinent ad obligationem proprij status, est ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur; ergo est vincibilis. Sanè huic argumento satisfieri non potest, N.
nisi dicendo, neminem teneri scire, nisi cog- 172.
noscat obligationem sciendi; ergo nisi detur cognitio talis obligationis, non tenetur scire, adeòque li *tenetur*, intelligendum est moraliter; id est, tunc tantùm tenetur, quando obligatio existit moraliter, seu intentionaliter per cognitionem, non autem satis est, ut sciendi debitum existat in re extra intellectum: ergo nisi detur advertentia obligationis, nulla ignorantia scientiæ est vincibilis. Similiter non intelligo, quæ tradit *qu.* 13. §. 1. dicens cum communi ferè omnium, quòd ignorantia vincibilis eorum, quæ quis sub mortali scire tenetur, excusat interdum à mortali, si ignorantia sit tantùm peccatum veniale. Redarguo enim: Ignorantia eorum, quæ quis sub mortali scire tenetur, vel semper est mortale, vel nõ? si semper, ergo falsa doctrina; si non semper, quæro cur? Dicet: quia ipsa ignorantia aliquando est tantùm veniale. Benè est, sed contra est: ergo peccatum non est metiendum ex obligatione gravi, aut levi, sed ex advertentiâ, & cognitione repræsentante obligationem: si ergo levis advertentia, aut levis ignorantia facit, ne sit mortale, quod quis sub mortali tenetur facere, aut omittere; utique nulla advertentia, seu omnimoda ignorantia faciet, ne ullum sit peccatum, nec mortale, nec veniale.

Ad 3. nego maiorem; ad probationem ne- N.
go etiam maiorem, vel eam distinguo: si ad 173.
peccatum requiritur actualis advertentia, omnis inculpabilis inadvertentia malitiæ excusat, concedo; omnis culpabilis inadvertentia malitiæ excusat, nego. Dixi repugnare, ut peccem non considerando, quin cognoscam ipsam non considerationem talis hìc, & nunc obligationis, esse peccatum, in quo casu adverto meam inadvertentiam; ita ut inadvertentia sit circa præceptum, quod scire teneor; ex. gr. an hodie sit audiendum sacrum; advertentia autem est circa ipsam inadvertentiam, seu ignorantiam præcepti, quod scire teneor: dupliciter autem tunc pecco, nempe tum peccato negligentię, negligendo indagare veritatem, an detur præceptum audiendi sacrum, quod præceptum, an detur, ignoro; tum peccato non auditionis sacri. Sanè vellem, ut quod P. Sanch. *lib.* P. Sanc.
1. *Sum. cap.* 1. *n.* 8. *& cap.* 16. *n.* 21. impersuasibile putat, vellem, inquam, ut aliquis mihi persuaderet; nempe quòd ego tenear expellere eam ignorantiam, vel inadvertentiam malitię objecti, cujus nullum prorsus levissimum scrupulum habeo. N.

Exempla, quæ contrarij congerunt de 174.
Hæreti-

Hæreticis, de peccatoribus perditis, & malè habituatis, qui peccant, licet se peccare, se blasphemare, se in falsâ religione vivere non advertant, non sunt ad rem, quia vel plerumque aliquam advertentiam quasi imperceptibilem habent; vel si nullam habent de blasphemia ex. gr. quam proferunt, habent de omissione diligentiæ necessariæ ad blasphemiæ emendationem; atque adeo exempla nō sunt ad rem. Probent mihi Adversarij Petrum hodie omissione sacri peccare, (est enim dies festivus) etsi nullum neque heri, neque per octiduū anterius, nec hodie scrupulum habeat; ita tamen ut ante mensem sciverit hodie esse audiendum sacrum: si igitur scientia præterita præcepti hodierni non est satis, ut Petrus hodie peccet, quomodo ignorantia vincibilis, quā ante mensem Petrus interrogare potuit, an hodie sit audiendum sacrum, & noluit, faciet eumdem Petrum hodie reum peccati mortalis, licèt sit omnino immemor tum præcepti interrogandi de præcepto sacri, tum præcepti de audiendo sacro? Ergo ubi omnis abest advertentia peccati, nullum tunc est peccatum formale, juxta dicta. N. 175.

Hæc dedi, non quia putem nobis hunc Authorem opponi, immo nobis consentit, dum necessariam vult ad omne peccatum quasi imperceptibilem malitiæ advertētiam; sed ut omnem scrupulum tergerem, qui fortè alicui non perpendenti argumenta occurrere posset.

SECTIO V.

Argumenta P. Elizaldæ.

§. I.

Prima ejus Argumenta.

SUMMARIUM.

Error, & ignorantia culpabilis sanctè à Deo vetita, n. 176.

Ait, quòd hæc sententia, Nemo peccat, quin advertat esse originem scandalorum; & quòd Infideles erunt liberi à peccato, n. 177.

Longè plus ille docet, dum ait, ignorantiam vincibilem esse negationem, nos autem privationem advertentiæ, n. 178. ad 180.

Ad peccandum non est necessaria scientia, vel judicium de peccato; satis dubium, scrupulus, advertentia peccati: & in hoc errant Adversarij supponentes nos illud docere, num. 179.

Obvium est Adversarijs horrenda adducere; ut Jansenista in Catholicos; cur? n. 180.

Ait per se notum, quòd ignoranter peccans, non peccet advertenter; & quòd dubium stet cum ignorantiâ, n. 181.

Solvo, num. 182.

Contradictio manifesta; & tandem nobis consentit, quin ait esse omnium TT. n. 184. ad 188.

Ait, quòd si putans se obsequi Deo peccat, multò magis non advertens, n. 185.

Hæretici cum malâ fide credunt, n. 186.

Aliud est, quòd ut quis peccet, necesse est, ut cognoscat se peccare; aliud, quòd toto, quo peccat, tempore, debeat hoc advertere: illud tuemur, hoc negamus: & Adversarij utrumque confundunt, n. 187. 188.

Hæretici, & mali Catholici plerumque abutuntur hâc voce, nescivi, non potui; *& cur Hæretici absolvantur ab excommunicatione? hæc cum sit pœna, ut incurratur, non indiget advertentiâ*, n. 189. ad 191.

Ostendo nullam in nostris responsionibus absurditatem, sed totam in casibus pro libito factis, n. 193. 194.

Ostendo, quòd nostra sententia minùs excusat peccata, quam sententia P. Elizaldæ, n. 195. ad 198.

Vivens in concubinatu, & pejerans toto anno sine advertentiâ, quando peccat? n. 197.

In ordine ad conscientiam, utraque opinio perinde est, non quoad doctrinam, quæ est cohærentior, n. 198.

POstquam P. Eliz. 2. *p. lib.* 5. *qu.* 1. ostendit grande malum esse ignorantiam, & errorem, tum respectivè ad hominem illis laborantem, tum ad Deum, tum ad proximum, tum ad communitatem; & ideò *qu.* 2. ostendit, necesse fuisse, ut ignorantia, & error à Deo prohiberentur, non minùs quàm furtum, usura, mendacium, & cætera; tandem *qu.* 4. §. 2. *pag* 14. dicit, quòd opinio docens neminem peccare, nisi actu advertat, & cognoscat se peccare, ita ut qui ignorat esse peccatum, aut non advertat esse peccatum, non peccet; hęc, inquam, opinio est (inquit) origo plurium scandalorum, atque adeo nobis N. 176. P. Eliz.

Objicit 1. quòd suppositâ hâc opinione, sequitur Infideles excusari à peccato, immo Fideles idiotas, si à Parocho decepti credant Trinitatis Personas esse tantùm duas, aut cum Ario Filium esse Patre minorem: ergo hęc nostra sententia abolenda. N. 177.

Sed contra 1. quia si nostra sententia, modo à nobis explicato, est scandalosa, & falsa, longè magis talis est doctrina asserta à P. Eliz. nam *qu.* 3. §. 1. docet ignorantiam vincibilem esse privationem scientiæ debitæ haberi, ita ut velit, quòd ut quis laboret ignorantiâ vincibili, non satis sit, ut habeat priva- N. 178. P. Eliz.

privationem cujuſque cognitionis debitæ haberi, ſed *privationem ſcientiæ*; atque adeò docet, quòd non advertens, non conſiderans, aut obliviſcens, non habeat ignorantiam vincibilem; (de hâc enim loquitur, ut patet ex verſic. *Hinc patet*) quo poſito, ita arguo: Omnis peccans peccato ignorantiæ vincibilis debet habere privationem ſcientiæ debitæ: ſed omnis liberè non advertens, aut non conſiderans, aut voluntariè obliviſcens, non habet privationem ſcientiæ debitæ; nam privatio advertentiæ non eſt, ut ipſe vult, privatio ſcientiæ: ergo omnis talis non peccat peccato ignorantiæ vincibilis; hoc autem longè plus eſt, quàm quod nos dicimus: nos enim dicimus illum peccare, dummodo nolit conſiderare, aut advertere; ipſe autem vult tunc tantùm peccare, quando non vult

N. 179. *ſcire*. Hinc benè monui, quòd Adverſarij, dum negant neceſſariam ad peccatum actualem advertentiam, intelligunt per advertentiam, judicium, aut ſcientiam peccati, quod toto Cælo diſtat à nobis aſſerentibus neceſſariam actualem advertentiam, & per hanc intelligimus apprehenſionem, ſcrupulũ, dubitationem de peccato; ergo non mirum ſi à nobis recedant. Secundo ita arguo: Tunc tantùm, juxta Elizal. adeſt ignorantia vincibilis, quando adeſt privatio ſcientiæ debitæ: ergo tunc tantùm peccatur peccato ignorãtiæ vincibilis, quando quis habet privationem ſcientiæ debitæ: ſed cum advertentiâ ad peccatum, aut cum non advertentiâ voluntariâ peccati adeſſe poteſt privatio ſcientiæ debitæ: ergo cum advertentia ad peccatum, aut cum non advertentiâ voluntariâ peccati poteſt quis non peccare peccato ignorantiæ

N. vincibilis; quo quid abſurdius? Videat modò
180. Lector quæ doctrina ſit magis ſcandaloſa, an noſtra aſſerens peccari peccato ignorantiæ vincibilis, dummodò quis apprehendat, etſi careat ſcientiâ debitâ peccati; an ſententia P. Eliz. aſſerens non peccari peccato ignorantiæ vincibilis, etſi quis advertat ad peccatũ, dummodò non habeat privationem ſcientiæ debitæ. Similiter nos dicimus nullum peccare, niſi actu advertat; peccare tamen, ſi

P. Eliz. nolit advertere: econtra P. Elizal. dicit ignorantiam vincibilem eſſe privationem ſcientiæ; & negat eſſe privationem advertentiæ debitæ. In formâ reſpondeo, quòd cùm P. Elizal. ſæpe dicat, nil prudentius reſpectu idiotę, quàm fidere viro prudenti, eò ipſo ſequitur, quòd idiota fidens in hoc caſu ſuo Parocho, quem putat invincibiliter doctum, excuſabitur à peccato infidelitatis. Addo meam doctrinam, quòd nemo peccat, niſi aliquo modo cognoſcat ſe peccare, eſſe mihi, & pleriſque certam; an autem in caſibus particularibus, quos P. Eliz. & Contrarij trahunt, ut noſtram doctrinam ſcandaloſam reddant, (quod ipſum præſtatur à Janſeniſtis, ut doctrinam Catholicam de ignorantiâ invincibili excuſante à peccato inviſam faciant) an, inquam, in caſibus particularibus, quos trahunt, detur ullus ſcrupulus, aut advertentia peccati, aut horribiliora peccata ſine ullo malitiæ ſcrupulo, & advertentiâ ſorberi poſſint, non eſt noſtri inſtituti; quapropter ſcandalum orietur ex hypotheſi caſus, quem Contrarij trahunt, non ex noſtrâ doctrinâ.

Objicit 2. *lib. 5. qu. 5. §. 3. mihi pag. 22.* N. Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia, 181. ſive ipſa ignorantia ſit peccatum, ſive tan- P. Eliz. tùm cauſa peccati: ſed qui ſcit, cognoſcit, & advertit ſe peccare, non peccat per ignorantiam, & ex ignorantiâ: ergo peccatur, quin ſciatur, & advertatur peccari. Maior eſt de fide. Minor eſt evidens, & præterea declaratur: Peccare per ignorantiam, & ex ignorantiâ, eſt ignoranter, & neſciendo peccare; peccare verò cognoſcendo, & advertendo peccatum, eſt ſcienter, & advertenter peccare: ſed eſt per ſe notum, quòd peccare advertenter, & ſcienter opponitur cum peccare ignoranter, & neſciendo: ergo peccare per ignorantiam, & ex ignorantiâ pugnat cum peccare cognoſcendo, & advertendo peccatum: ergo peccatur, quin cognoſcatur, & advertatur peccari. Sed contra 1. quia hoc argumentum ad evidentiam ſolvi *ſect. 3. §. 1. ad 2.* Contra 2. quia N. totum argumentum militat directè contra 182. Elizal. vult enim peccatum ignorantiæ eſſe privationem ſcientię debitæ haberi: modò quæro, vel cum privatione ſcientiæ debitæ haberi ſtat advertentia ad peccatum, vel non? ſi ſtat; ergo peccatur ignoranter ſimul, & advertenter; ſi non ſtat; ergo malè definit ignorantiam vincibilem, quòd ſit privatio ſcientiæ, ſed definire debet, quòd ſit privatio omnis advertentiæ debitæ haberi. Contra 3. N. quia idem Elizal. §. 3. *verſ. Dices pag. 25.* 183. aſſerit dubitationem cohærere cum ignorantiâ, dubitatio autem licèt ſit ſuſpenſio omnis judicij, non tamen omnis cognitionis, immò aliquam præſupponit: ergo ſi dubitatio ſtat cum ignorantiâ, advertentia ſtat cum ignorantiâ.

Contra 4. quia ipſe Elizald. *qu. 5. §. 1.* N. *pag. 20.* ait: *Concors eſt omnium TT. ſententia* 184. *ad omne peccatum, & ſic etiam ad peccatum ig-* P Eliz. *norantiæ, & ex ignorantiâ prærequiri aliquam aliquando demum cognitionem, & cogitationem actualem malitiæ, vel in ſe, vel in alio, in particulari,*

culari, vel in universali, quod satis disertè quæst. præcedenti §. 2. S. Thomas declarabat. Ratio concludens est ; quia omne peccatum est voluntarium ; sed omne voluntarium est prægnitum ; ergo &c. Non autem præcise requirūt scientiam, aut cognitionem certam, aut assensum, sed saltem dubitationem, vel scrupulum. Hæc ad verbum P. Elizal. Modò rogo benignum Lectorem ut oculos in hæc intendat. Primò, quòd nostra sententia dicitur ab Eliz. *concors TT.* Secundò, ut hæc duo combinet, *ad omne peccatum etiam ignorantiæ prærequiritur actualis aliqua cognitio malitiæ : peccatur, quin advertatur peccari ;* & tamen utrumque docet P. Eliz. quæ sunt manifestè contradictoria. Si igitur omnes TT. docent ad omne peccatum etiam ignorantiæ prærequiri actualem aliquam cognitionem malitiæ, non autem solam potentiam cognoscendi, quod noto propter M. Elbecque, (licèt inter se, ut dixi, potiùs de voce discrepent, an ea actualis cognitio malitiæ debeat esse in particulari de malitiâ operis particularis, quo per ignorantiam peccatur, an satis sit actualis cogitatio malitiæ in alio, an in universali) quâ ratione P. Eliz. dicit peccari, quin advertamus peccare, cùm hæc propositio opponatur contradictoriè huic omnium TT. opinioni : non peccatur, quin advertatur peccari. Rursus quo jure paginas authoritatibus fatigat ? quę si sunt ad rem, sunt contra omnes TT. vel si sunt juxta mentem omnium TT. non sunt ad rem, immò sunt contra P. Elizal.

M. de Elbec.

N. 185. P. Eliz.

Objicit 3. *qu.* 6. *&* 7. hoc argumentum, quod §. 3. *pag.* 31. vocat insolubile : Omnis Hæreticus peccat putans obsequiū præstare Deo ; ergo multo magis peccari potest sine actuali advertentiâ peccati. Antecedens probatur ; quia Hæreticus dum assentitur suo errori, assentitur ei objecto, ut vero, & quidem, ut Deo obsequium præstet. Respondeo vel sermonem esse de Hæretico invincibiliter ignorante oppositum ; hoc autem non est ad rem, nam non peccat, dum invincibiliter putat se credere Deo ; hic autem loquimur de ignorantiâ vincibili : vel sermo est de Hæretico vincibiliter ignorante ; iste autem ex malâ fide putat se credere, & obsequi Deo, immò eò ipso dubitat, & cognoscit se teneri ad ulteriorem diligentiam, quam tamen respuit ; & ideò peccat tum peccato negligentiæ, & ignorantiæ vincibilis, tum peccato hæresis ad eam sequenti.

N. 186.

N. 187. P. Eliz.

Omitto alia argumenta, in quibus P. Eliz. *qu.* 6. totus est, ut probet adulterantem, & furantem non advertere actu ad peccatum, adeoque peccare sine actuali advertentiâ peccati. Sed contra ; quia, ut supra dixi, nullus docet, quòd quis toto tempore, quo peccat, habere debeat advertentiam ad peccatum : si enim ut quis benè operetur, non est necesse, ut toto tempore, quo ex. gr. orat, actu advertat se orare, & agere opus bonum ; multò minùs necesse erit, ut quis malè operetur, quòd actualiter cogitet toto tempore, quo malè operatur, se peccare, & in hoc hallucinatur P. Eliz. Nos cum omnibus TT. immò ipso Elizal. docemus, peccari non posse sine prævia actuali cogitatione, aut scrupulo peccati, & cum ijsdem negamus eam debere semper durare ; quomodò ergo hoc nobis objicit, immò quo jure infert, quòd quia adulter, dum adulteratur, non cogitat se peccare, peccari posse sine actuali advertentiâ peccati ? nam adulter, saltem priùs, dum adulterio se accingit, advertit se peccare, & hoc satis est ad veritatem Catholicam, & omniū TT. Addo quòd si P. Elizal. putat se ex penu SS. PP. & omnium TT. doctrinam suam hausisse, dum docet ad omne peccatum etiam ignorantiæ prærequiri actualem aliquam peccati cogitationē, eò ipso ne, dum docet peccari sine actuali cognitione peccati, ne, inquam, doctrinam Catholicam retractare videatur, debere ab hâc propositione omnino oppositâ primæ prorsus abstinuisse, vel aliter eam exposuisse dicendo, quòd actualis ea cogitatio prærequisita ex consensu omnium TT. ad omne peccatum non est necesse, ut continuetur toto tempore, quo peccatum ; & dixisset verum : dicere autem, *peccatur absque eo quòd advertatur peccari*, est omnino oppositum huic, *non peccatur sine prævia actuali advertentiâ peccati*, quam ipse, & omnes TT. sustinent : ergo ne contradictoria dicat, aut saltem non benè loquatur, satius fuisset ab eâ propositione abstinere, aut saltem eam moderari.

N. 188.

N. 189. P. Eliz.

Objicit 4. *qu.* 8. Si nostra regula, non scivi, non putavi esse peccatum, est vera, & excusat à peccato, sequitur, quòd qui non existimat se falli credendo errorem contra fidē, non peccabit, adeoque nullus Hæreticus ab excōmunicatione absolvendus erit, dum ad Ecclesiæ sinum accurrit, si excōmunicationem ignoravit ; & tamen oppositum ab Ecclesiâ practicatur : ergo falsa est nostra regula supponens omnem eam ignorantiam esse invincibilem, quoties actu non advertitur peccari. Sed contra ; quia tam certa est nostra regula, quàm certa est allegata omnium TT. doctrina prærequirentium ad omne peccatū etiam ignorantiæ actualem cogitationē peccati ignorantiæ : ergo si ex mente omnium TT. ut dixi ex eodem P. Elizal. 2. *p. pag.* 20. cujus verba dedi in 2. *object.* omnis ignorantia

N. 190.

vincibilis, & peccaminosa præsupponit necessariò actualem peccati advertentiam; sequitur quòd omnis ignorantia non præsupponens actualem peccati cognitionẽ erit invincibilis. In formâ dico, quod si aliquis nullo modo scivit, nec ullum scrupulum habuit de comparandâ sibi ejus objecti ignoti notitiâ, & tale objectum exequatur, nullo modo peccare. Attamen verum est plerosque facilè in hoc mentiri, ut patet appositissimo exemplo: quid evidentius quàm furem, aut injustè aliena bona retinentem teneri ad restitutionem? quotus tamen quisque est, qui restituat? cur autem, nisi quia familiari sibi voce adulantur, *non possum*, quæ tamen plerumque est mendacium? Sanè sicut respondens *non possum*, si reverà possit, ut plerumque potest, non est securus in conscientiâ, ita nec illi, qui in æternæ salutis negotio desides sunt, ut sunt plerumque Cathonci, & multò magis Hæretici, quibus sæpe pro fide amplectendâ, cætera bona posthabere necesse est; quòd si sæpe respondeant, non scivi, non cognovi peccatum esse, non adverti me tali lege obligari, plerumque mentiuntur, atque adeò, quia ea nescientia est voluntaria, quatenus mixta conscientiæ incitanti ad interrogandum, & interrogare negligunt, ideò ea est peccatum. De cætero si nec in generali, nec particulari ullam peccati advertentiâ habuere, est concors omnium TT. opinio eos
N. non peccare. Quod additur de excommuni-
191. catione, non est ad rem; nam pœna non pendet ab advertentiâ, culpa autem pendet: ergo excommunicatio potest sine advertentiâ incurri, non potest peccatum. Addo Ecclesiam sapienter se gerere, dum pœnas taxat pro foro exteriori, cùm hominis interiora nõ videat, & posset quilibet Hæreticus excusare se, allegando invincibilem nostrę fidei ignorantiam, quæ licèt in aliquo dari possit, ea tamen non datur in plerisque. Addo etiam, quòd P. Eliz. decipitur, dum veram doctrinam casibus falsis applicat, & ex eorum falsitate infert falsitatem doctrinæ generalis, quæ
N. tamen oritur à falsâ applicatione: quomodò
192. siquis diceret, quòd doctrina generalis liberans omnes gravi infirmitate laborantes à lege jejunij, sit falsa, quia medicus aliquis ab eâ lege liberavit hominem modicâ tussi laborãtem: nam regula est legitima; applicatio est spuria.

N. Dices: Si ad peccatum requiritur adverté-
193. tia, sequitur Confessarium, qui conscius suæ ignorantiæ initio anni proposuit non studere necessarijs ad rectam Sacramentorum ministrationem, sequitur, inquam, si mensiũ posteriorum decursu non advertat suam imperitiam, & studendi obligationem, & Sacramẽta quocumque modo ministret, non peccaturum. Similiter concubinarium æstu libidinis ferventem non peccaturum, si non advertens delectetur in objecto turpi. Idem dicendo de iracundo, de perjuro, si malum imprecetur, si pejeret, & non advertat: ergo ad peccatum non requiritur advertentia. Sed N.
contra; quia hoc ab Eliz. est solvendũ, cùm 194.
sustineat cum omnibus TT. licèt deinde argumentorũ vi abreptus sibi contradicat; sustineat, inquam, ad omne peccatum prævium aliquam cogitationem requiri: dicere autem, quod peccari potest sine prævia peccati cogitatione, non est argumentum solvere, sed cedere, & deferere doctrinam cõmunem, quam asseruerat. Dico igitur quòd casus, ut in argumento allegantur, sunt plerumque modo operandi humano impossibiles: quis enim mihi suadeat Parochũ toto anno, primo die, vel mense excepto, ne levem quidem scrupulum habuisse de suâ imperitiâ, de studendi obligatione, de pravâ Sacramentorum ministratione? Idem dico de concubinario, perjuro, & similibus; atque adeò nil mirum erit, si casui moraliter impossibili respondeã cum communi TT. nimis benignè dicendo, Parochum primo tantùm mense, quo advertit, peccasse. Quòd si responsionem accuses, accusabo ego casum: si enim tu supponis omnino gratis nullam omnino toto anni decursu bonam inspirationem excitantem ad studendum, & ad meliorem vitæ frugem revertendum, Parochum habuisse, & non nisi primo mense advertisse, ita & ego dico, non nisi primo mense peccasse; talis enim casus, qui supponit Spiritum S. & bonum Angelũ toto anni decursu otiosum, Dæmonẽ autem toto anni decursu summè vigilem, tali responsione dignus est. Quòd si finxeris casum, ut de more accidit, quatenus Deus, & Angeli tutores diligentissimi, & liberalissimi sunt in largitione gratiæ sufficientis, in peccatoribus monendis, in excitandis, in proponendis proprijs cuicumque obligationibus, præter exteriora exempla, quibus ad arctam salutis viam monentur, tum dico Parochum toties peccasse, quoties simili Syndaresi, quæ frequentissima est, laboravit.

Ut autem prorsus enervem similia popu- N.
laria argumenta, videamus, quid dicit P. 195.
Elizal. & quid nos; & sapiens Lector judicabit, an nostra doctrina excuset peccata, an potiùs opposita. Dicit P. Elizald. Parochum semper peccare, licèt non advertat toties, quoties malè Sacramenta ministrat, ita ut semper peccet novo peccato; si enim hoc non dicat, non recedit à nobis. Dicimus nos

Paro-

Parochum toties peccare, quoties advertit, ita ut ſufficiat actualis advertentia in confuſo, & ſe ad plura teneri, ut ſuum munus ſcienter obeat: adeoque ſi ab initio anni advertat ſe millies miniſtraturum Sacramenta, dicimus eum ab initio anni millies peccaſſe; nam voluntas habetur pro facto: rurſus dicimus in ſequenti Sacramentorum miniſtratione, ſi nullatenus in poſterum advertat (quod tamen eſt moraliter impoſſibile) ſe peccare, non quidem peccato novo, ſed antiquum peccatum completurum. Quæro modo, uter magis excuſet peccata, an P. Eliz. an nos? Ego volo Parochum peccaſſe millies ab initio anni, immo toties quoties miniſtraturus erit per annum Sacramenta, dummodò hoc confusè prævideri: rurſus per voluntatem non ſciendi, quæ ſui muneris ſunt, volo toties ab initio anni peccaſſe, quoties per annum munus ſuum obiturus non eſt, dummodò hoc confusè prævideri. Econtra P. Elizal. dicit, quòd Parochus ab initio anni toties tantùm peccavit, quoties Sacramenta cum advertentiâ ad ſui muneris ignorantiam miniſtravit: rurſus toties per decurſum anni peccavit, quoties ea ignorans miniſtravit, & ſine advertentiâ quòd peccaret. Ecce ſi æquo judicio locus ſit, plurium N. 196. peccatorum reum facit Parochum noſtra ſententia, quia ſi Parochus primo anni menſe obiret, immò ſi Doctoribus, & libris, quibus anni decurſu uti poſſet, ut calleret, quæ ſui inſtituti ſunt, decurrente anno privaretur, adhuc juxta nos reus eſſet mille Sacramentorum illicitè, aut invalidè miniſtrandorum, quia voluntas habetur pro facto: eo modo, quo qui projicit Breviarium prævidens ſe millies non recitaturum, reus eſt mille peccatorum. Econtra juxta P. Eliz. Parochus primo menſe non eſt reus mille ſacrilegiorum, ſed eorum tantùm, quæ tunc contraxit: ergo ſi primum menſem conſideremus, tantùm abeſt, ut noſtra ſententia excuſet, quin facit Parochum reum longè plurium peccatorum, quorum non facit ſententia P. Elizal. Quòd ſi annum cum anno comparemus, æqualium peccatorum reum facit Parochum noſtra ſententia, ac ſententia P. Eliz. dicimus enim Parochum toties peccaſſe, quot confusè prævidit Sacramenta illicitè miniſtraturum, cum hâc differentiâ, quòd ea omnia contraxit primo menſe, quo confusè advertit, etſi ſequêtibus menſibus nihil omnino advertat, non peccaturum novo peccato formali, ſed tantùm expleturũ formale antiquum. At P. Eliz. negat contraxiſſe omnia primo menſe, ſed vult toties novo peccato peccare, etſi non advertat, quoties miniſtrat Sacramentum. Hæc rectè intellecta evacuant, & moderantur zelum P. Eliz. contra nos.

Hoc idem evenit in projiciente Breviarium, qui ſi prævideat ſe pluries non recitaturum, dico eo inſtanti contrahere peccatum æquivalens omnibus omiſſionibus Officij futuris; & in ordine ad conſcientiam perinde eſt, ſive dicatur, quòd quotidie novum peccatũ contrahat, ſive dicatur, quòd quotidie novum peccatum non contrahat, ſed omnia projectionis inſtanti cõtraxiſſe. Dixi, in ordine ad conſcientiam, non tamen in ordine ad doctrinam; noſtra enim ſententia communiſſima eſt, & præterea Janſeniſmo ex toto oppoſita, ſententia autem contraria nec eſt communis, nec ſaltem, modeſtiæ memor, ita oppoſita. Idem dico de alijs caſibus, ſi res penetretur; perinde enim eſt ad conſcientiam, & multitudinem peccatorũ, ſive cum P. Eliz. dicatur perjurum toties peccare, quoties pejerat, licèt non advertat; ſive nobiſcum dicatur, perjurum, dum non advertit, non peccare novo peccato formali, peccaſſe tamen tum peccato omiſſionis diligentiæ ad emendationem perjuriorũ requiſitæ, tum patrando peccatum perjurij, & negligentiæ æquivalens omnibus negligentijs, & perjurijs proferendis. Idem de concubinario, qui prævidens ſe in objecto turpi delectaturum, niſi ſibi præſens ſit, peccavit tum contra caſtitatem, quam prævidit violaturum, tum contra obligationem ſciendi, & utendi remedijs ab Aſceticis contra tale vitium præſcribi ſolitis. Nulla igitur in noſtrâ N. ſententiâ peccatorum excuſatio, nam tot ad- 198. mittimus in non advertente, quot Eliz. & ſumma noſtræ doctrinæ cohærentia; tuemur enim non peccari peccato formali novo ſine novâ advertentiâ ſaltem in confuſo; quâ cohærentiâ caret doctrina Eliz. qui tuetur ad omne peccatum prærequiri aliquam aliquãdo cogitationem, & hanc eſſe omnium TT. mentem; & ſimul tuetur peccari novo peccato formali, quin actu advertatur, adeoque negat requiri actualem advertentiam etiam confuſam peccati ad peccandum, quæ non tantùm incohærẽtia, ſed contradictoria ſunt.

N. 197.

§. II.

Argumentum ex dictamine conſcientiæ vincibiliter erroneo.

SUMMARIUM.

Plures DD. volunt eſſe de fide, quòd parère teneamur conſcientiæ vincibiliter erroneæ, 199.
Arguit fusè, quòd vincibilis falſa nullam includat peccati cognitionem, & tamen eam ſequens

peccat, adeoque peccatur sine advertentiâ peccati, n.200. ad 205.
Rejicit Patrem Suarez tuentem, quòd ad peccatum satis sit cognitio interpretativa, n. 206. ad 208.
Concludit determinari exactè non posse, quæ cognitio sit necessaria ad peccata ignorantiæ, & dicit, quia Deus nos vult humiles, ibid.
Theologi est in re practicâ valdè obviâ aliquid definire, n.210.
Judicium prudentûm quando sit regula, n. 211.
TT. in discendo humiles, sunt in docendo ditiores, ibid.
Vult necessariam ad peccatum advertentiam, & simul vult peccari, quin advertatur, n.212.
Defendo Patrem Suarez, n.213.
Aliud est quærere, an advertentia requiratur ad peccandum; aliud, an eam habuerim, ibid.
Sæpe difficile vincibilem ignorantiam ab invincibili secernere, ibid.
Non rectè probat ex D. Paulo, esse incertum, quæ cognitio necessaria sit ad ignorantiæ peccata, n.214. 215.
Affirmat, & negat nos debere sequi conscientiam vincibiliter falsam, n.216.
P. Vasquez, & alij docent vincibilem erroneam obligare tantùm negativè, seu ne contra eam operemur, n.217.
Plerique, quos sequor, ut juxta eam operer. Doctores, n.218.
Plus peccat, qui non operatur juxta illam, quàm qui eam non deponit, ibid.
S. Thomas expresse dicit, quòd obligemur sequi conscientiam erroneam, n.219.
Nullum absurdum, quod eâ stante necessitetur homo ad peccatum, n.220. ad 223.
Necessitatur necessitate consequenti, quia eam deponere non vult, cùm debeat, & possit, 222.
Non est in statu damnationis; cur? n.224.
Ex hoc quòd non deponens conscientiam erroneâ teneatur eam sequi, non infertur peccari sine advertentiâ, n.225.
Omnes TT. aliquam, vel in se, vel in alio, peccati advertentiam requirunt, n.226.
Totus labor est combinare cum peccatis ignorantiæ advertentiam peccati, ibid.
P. Elizald. non combinat, quin destruit necessitatem advertentiæ ad peccandum necessariæ, n.227.
Expono quando pecco peccato ignorantiæ, n.228.
Pecco scienter per ignorantiam, pecco ignoranter contra legem, quam scire nolo, n.230.
Teneor non mentiri deposito errore vincibili, non eo stante, n. 231.
Quomodo mentiendo peccet, etsi judicet se non peccare, n.232.
Plura sunt, quæ in se non sunt peccata, sunt in alio; atque adeo obedire dictamini vincibili, non est peccatum in se, est tamen in dictamine, n.235.
Mentiens non simul judicat, quòd sit, & non sit peccatum, mentiri, n.237.
Expono qualiter tunc teneatur, vel deponere dictamen, vel mentiri, n.238.
Differentia inter dictamen vincibiliter, & invincibiliter erroneum, n. 239.
Minus peccat mentiendo, seu obediendo ei dictamini, quam non mentiendo, n.240.
Necessario peccat, n.241.
Etsi tunc cognoscat mendacium esse peccatum, tenetur stante eo dictamine mentiri, n. 242.
Contemnere apprehensionem ex gravi motivo non est culpa: est contemnere ex culpâ, n.243.
Explico qualiter obligari possimus, ne agamus contra conscientiam dictantem tale opus esse peccatum, n.244. 245.
Laborans conscientiâ vincibiliter erroneâ duos habet remorsus, ibid.
Non deponitur conscientia vincibiliter erronea per cognitionem dictantem, quòd ea sit vincibilis, n.247.
Erronea non est dubia de opere, quod dictat, sed de sui ipsius veritate, n.248.
Ignorans vincibiliter duas videt in se obligationes, n.249.

OBjicit 5. *qu.* 11. *per totam*: Tenemur sequi dictamen vincibiliter erroneum, adeo ut sit peccatum ei non parere; ergo peccatur sine advertentiâ peccati. Antecedens suadet ex P. Vasquez 1.2. *disp.* 59. qui post- P. Vasq.
quam *cap.* 3. retulit sententiam, quæ negat esse peccatum operari contra conscientiam erroneam, subdit, quòd opposita sententia adeo communis, & certa sit, ut sententia negans esse peccatum non obedire conscientiæ erroneæ, hæretica ab omnibus jure censeatur. Dein *d.* 60. quærens, an conscientia erronea propriè obliget, respondet idem P. Vasq. obligare, ne quid fiat contra illam. Similiter P. Suar. & P. Sanch. asserunt esse de P. Suar.
fide, quòd teneamur parere conscientiæ erroneæ; & P. Granado 1.2. *contr.* 2. *tr.* 12. *d.* 7. P. Sanch. P. Gran.
sect. 3. ait, esse intrinsecè malum non obedire conscientię vincibiliter erranti, nec Deum, nec Prælatum posse in hoc dispensare: ergo tenemur obedire conscientiæ vincibiliter erranti. Quòd autem, suppositâ hâc doctrinâ, quæ juxta plerosque est de fide, sequatur peccari sine ullâ advertentiâ peccati, probat P. Eliz. quia conscientia vincibiliter erronea non habet secum conjunctam ullam cognitionem probabilem, aut dubitativam, quâ cognoscatur esse peccatum id, quod ea conscientia vincibiliter errans dictat: si enim aliquam talem cognitionem haberet, non esset N. 199. P. Eliz.

pecca-

peccatum ei conſcientiæ non obedire: detur enim conſciẽtia vincibiliter erronea dictans eſſe neceſſarium mentiri ob vitam tuendam: ecce talis conſcientia nullam habet ſibi conjunctam cognitionem oſtendentem, quòd ſit peccatum tunc mentiri; ſi enim haberet, non poſſem eam conſcientiam ſequi; ſed non tantùm poſſum, ſed teneor eam ſequi, adeoque teneor tunc mentiri: ergo conſcientia vincibiliter erronea nullam habet ſecum cognitionem peccati: ergo peccatur ſine cognitione peccati; cùm certum ſit, quòd conſciẽtia vincibiliter erronea non excuſet à peccato.

N. 200. Confirmat 1. Vel Petrus ex conſcientiâ vincibili erroneâ judicans ſe teneri ad mentiendum, ut famæ, & vitæ propriæ, aut alienæ conſulat, cognoſcit, ſive probabiliter, ſive dubitativè, quod mendacium tunc ſit peccatum, vel nullo modo cognoſcit? Si nullo modo cognoſcit, habetur intentum, nempe tum, quòd Petrus tunc mentiendo peccet, nam omnis ſequens conſcientiam vincibiliter erroneam peccat; tum quòd peccet ſine omni cognitione peccati. Si aliquo modo cognoſcit, ſequitur, quòd tunc conſciẽtia vincibiliter erronea non obligat ad mentiendum, quia nullus obligatur ad id, quod cognoſcit eſſe peccatum. Confirmat 2. mihi N. 201. *pag.* 50. (eſt enim error Typographi, quo frequentiſſimè non minus, quàm ſolœciſmis ſcatet impreſſio, ponens numerum 52. pro 50.) quia dici non poteſt Petrum peccare tunc mentiendo, quatenus operatur contra ſcrupulos, & conſciẽtiæ remorſus, qui ſtant cum judicio conſcientiæ vincibiliter errantis, dictante non eſſe peccatum, immò eſſe obligatorium tunc mentiri: non, inquam, dici poteſt, quia vel illi ſcrupuli, & remorſus ſunt puræ apprehenſiones peccati, vel ſunt judicia? ſi ſunt puræ apprehenſiones, ſequitur quòd Petrus mentiendo tunc non peccavit, quia agere contra apprehenſiones ſeorſim ab omni judicio rationis non eſt peccatum: ſi ſunt judicia, contra eſt; quia ſi Petrus tunc judicat peccatum eſſe mentiri, non poteſt ex conſcientiâ vincibili erroneâ obligari ad mentiendum; ſed obligatur, ut ſupponitur: ergo dicendum eſt dari conſcientiam vincibiliter erroneam ſine his remorſibus, quam tamen qui ſequitur, peccat, quia vincibilis eſt.

N. 202. Confirmat 3. pag. 51. quia nullus obligari poteſt ſub peccato, ut agat contra remorſum conſcientiæ dictantis, quòd ſit peccatũ agere illud; nam per hunc ipſum remorſum cognoſcit ſe non teneri ad agendum illud: ergo implicat, ut cum conſcientiâ vincibiliter erroneâ obligante ad mentiendum, ſtet conſcientiæ remorſus obligans ad non mentiendũ: ergo peccatur ſequendo conſcientiam vincibiliter erroneam, abſque eo quòd aliquis remorſus peccati detur. Confirmat 4. quia N. conſcientia vincibilis erronea eſt judicium 203. obligans ſub peccato ad aliquid faciendum, aut omittendum; ergo implicat, ut cum eâ ſtet quodcumque judicium de malitiâ rei, ad quam obligat. Similiter implicat, ut cum eâ ſtet dubitatio, aut fluctuatio de malitiâ ejuſdem rei, quia affirmatio unius excludit negationem contrariam, aut contradictoriâ ejuſdem objecti, atque etiam dubitationem: ergo affirmatio bonitatis mendacij, quam habet, qui ex conſcientiâ vincibiliter erroneâ judicat eſſe mentiendum, excludit negationem contrariam, & contradictoriam ejuſdem bonitatis, nec non etiam dubitationem; implicat enim, ut, cùm judico eſſe bonũ mentiri, dubitem eſſe bonum: ergo conſcientia erronea vincibilis eſt expers earum cognitionum, & remorſuum malitiæ, & tamen peccatur ſequendo conſcientiam vincibiliter erroneam; ergo peccatur ſine omni remorſu, & actuali cognitione malitiæ.

Confirmat 5. quia dici non poteſt, omnem N. conſcientiam vincibilem erroneam deponi 204. poſſe, & per hoc differre ab invincibili; non poteſt autem deponi, niſi tunc adſit actualis aliqua cognitio malitiæ; ergo tunc adeſt aliqua. Non (inquit P. Eliz. *pag.* 51.) hoc dici P. Eliz poteſt; tum quia hoc non eſt ſolvere argumenta, ſed arguere, argumentum autem per argumentum non ſolvitur; tum quia tunc nulla adeſt cognitio, ut patet ex dictis ab Eliz. tum quia ſi aliqua talis cognitio adeſſet, eò ipſo per illam cognitionem conſcientia erronea non eſſet deponibilis, ſed actu depoſita; & ſic non eſſet erronea, nam per eam cognitionem actu judicaret, quòd malum eſſet mentiri; ergo non eſſet conſcientia erronea deponibilis, ſed depoſita: ergo non adeſſet conſcientia erronea. Confirmat 6. *pag.* 52. §. 2. Conſcientia vincibiliter erronea, N. nec eſt dubia, nec eſt ſcrupuloſa; ergo cum 205. eâ nulla eſt cognitio proponens, quòd malum ſit mentiri. Antecedens probatur: non eſt dubia, quia ſine ullo dubio dictat eſſe tunc mentiendum; non eſt ſcrupuloſa, quia tunc nullus ſcrupulus adeſt; ergo nec eſt dubia, nec eſt ſcrupuloſa, adeoque cum eâ nulla adeſt cognitio peccati. Rurſus conſcientia vincibilis erronea ita obligat, ut ſit peccatũ contra illam agere: econtra conſcientia dubia ita obligat non agere, ut ſit peccatum juxta eam agere: ergo conſcientia vincibilis erronea non eſt peccati dubia. Quòd ſi nos recurramus ad cognitiones aliquas apprehẽſivas

sivas peccati, compossibiles cum judicio vincibili erronco non peccati, illæ apprehensiones (ait P. Elizal.) non sunt ad rem, nec ob ipsas peccatur, nam sciunt omnes, quòd quando fidei mysteria credimus, habemus sæpe apprehensiones contrarias proponentes mysterium esse falsum, nec tamen ideo peccamus, eò quòd contra illas credimus mysteria.

N. 206. P. Suar. Post hæc cum magnâ Lectorum cruce fusissimè producta, ait 1.*pag*.53. §. 3. quòd P. Suar. opinionem de necessitate cognitionis actualis ad peccandum potenter debellarit; & 1.2.*tr*.2.*d*.4. rejecerit doctrinâ eorum, qui tunc tantùm volunt inadvertentiam esse voluntariam, quando intellectus supra eam reflectit, & reflexè advertit se non satis considerasse eam rem, & se teneri ad exactiùs cõsiderandum, vel saltem reflexè dubitat de sufficienti consideratione, & de obligatione ulteriùs considerandi. De quâ opinione ait P.Suar.*n*.21. quòd si hic modus verus esset, facile esset expedire difficultates positas, & P. Eliz. declarare, quãdo oblivio sit culpabilis. Attamen *n*. 22. dicit hunc modum esse moraliter incredibilem, cùm ex eo sequãtur incommoda illata *n*.14. (ait P.Suar. & cum eo P.Eliz. §.4.) quia aliàs in infinitũ iretur, quia hanc ipsam reflexam cognitionem de considerandi obligatione potest quis culpabiliter omittere: ergo necessaria erit alia reflexior cognitio in infinitum: ergo ut quis peccet ex ignorantiâ vincibili, non est eo tempore, quo quis ex eâ peccat, necessaria cognitio obligationis considerandi. Quapropter dubium est, N. 207. (subdit P.Eliz.) an saltem necesse sit, ut aliquo priori tempore habuerit cognitionẽ de obligatione considerandi magis Divinam legem, & quidem, an ea cognitio debeat esse in particulari circa eam rem, in quâ per ignorantiam peccatur, an satis sit in universali, ut si Fideli occurrat, se plura, quæ scire tenetur circa Dei legem, & proprium statum, ignoraturum, nisi magis Deo, & animæ saluti invigilet? Respondet *pag*. 54. satis esse voluntarium indirectum, ut ignorantiæ, & errores sequentes sint peccata; adeoque satis esse, ut quis priori tempore dubitaverit saltem, se non eo, quo debet, studio, Deo, & saluti vacare. N. 208. Addit tamen §. 5. non ideo sequi satis esse, quòd habuerit cognitionem rei, ignorando ejus malitiam, ut satis esse docuit P. Suar. à *n*.28. & P.Sanch. *lib*.1. *Sum*. *cap*.16. *n*.20. & communiter TT. qui dicunt ad voluntarium indirectum satis esse cognitionem virtualem, & interpretativam; ita ut satis sit, si alicui in mentem veniat illud objectum ut commodum, aut noxium; hâc enim cognitione positâ, potest homo magis applicari ad considerandum illud, an sit moraliter bonum, vel malum: quâ applicatione omissâ, tunc homo præcipitanter, & imprudenter operatur; ita ut, si objectum sit malum, sibi imputare debet, si ejus malitiam non novit, potuit enim, sed noluit. Sed hoc rejicit P. Eliz. 1. quia etsi interpretativa cognitio modo declarato satis sit, ut ignorantia, error, & oblivio ad illam sequentes sint aliquando culpabiles, ut accidit, quoties aliquis præcipitanter consilium capit, aut dat, aut operatur, non utendo diligentiâ, nec ulteriori cõsideratione pro materiæ gravitate: attamen absolutè ea cognitio interpretativa non semper satis est, ut error sequens sit culpa; quia ea cognitio interpretativa non est satis, ut sit peccatum ipsa ignorantia, & inadvertentia malitiæ earum rerum, quæ non sunt in se malæ, sed tantùm quia vetitæ; ea enim cognitio, quando sunt vetitæ, talis est, qualis foret, si non essent vetitæ; sed si non essent vetitæ, ea cognitio nullam vim habuisset ad excitandam cognitionem malitiæ, quæ nulla esset; ergo neque quando sunt vetitæ. 2. quia cognitio rerum indifferentium talis est, qualis sunt ipsæ res; sed ipsæ sunt indifferentes ad bonum, & malum; ergo etiam earum cognitio; ergo earum cognitio non potest inducere in cognitionem malitiæ. Omitto alias P.Elizald. rationes.

Tandem §. 6. quando putabam eum aliquid certi dicturum, quæ cognitio requiratur, ut ignorantiæ sequentes sint peccatum, N. 209. P. Eliz. nam impugnavit ut insufficientem cognitionem interpretativam admissam à P. Suar. & ut repugnantem cum ignorantiâ, & errore vincibili cognitionem actualem, qualem nos admittimus: postmodũ concludit, non posse exactè determinari, quæ cognitio sit necessaria ad peccata ignorantiæ, quia Deus nos vult humiles. Idem respondet *lib*.6.*qu*.19. ubi postquam refutavit doctrinam communem de quantitate scientiæ in Confessario necessariæ, tandem §. 7. & 8. quid obscurius respondet, ait enim talis, ut plerumque dicat verum: Obstupui ad hæc, & vidi contigisse N. Patri Eliz. id, quod frequentissimum est in 210. materijs difficilibus, nempe omnes sententias destruere, & nullam asserere, cùm tamen in re adeò necessariâ, practicâ, & frequenti, ut sunt peccata ignorantiæ, erroris, oblivionis, & inconsiderationis culpabilis, necesse sit viro Theologo aliquid decidere circa cognitionem prærequisitam ad ea peccata; non minùs, ac Theologi est decidere, quæ advertẽtia sit necessaria ad mortale, quæ ad veniale, quæ, & qualis libertas, & similia; imo Theologi

logi est definire circumstantias, & alia non tantùm ad peccatũ in genere, sed ad peccata particularia in omni specie magis hominibus saltem familiari, & necessariâ, cùm omnes istæ quæstiones practicæ sint, nec Deus contentus est, ut Theologus humilis sit, sed præterea ut doctus sit. Quare S. Jacob. *Ep.* 1. monet, quod *qui indiget sapientiâ, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter;* atque adeo qui caret illâ, argui potest negligentiæ, inquit S. Bonav. *tom.* 3. *serm.* 2. de S. Gregor. Papâ, concludens cum Valer. Maximi epiphonemate, qui laudãs Socratem, scribit, *quod quia ad discendum semper se pauperem credidit, ad docendum fecerit se locupletissimum.* Sint ergo Theologi humiles, credendo se semper in discendo pauperes, ut in docendo sint ditiores. Quod si in aliquibus materijs Theologi appellant ad judicium prudentum, tunc est, quia ea materia subest innumeris circumstãtijs, & pro quolibet casu particulari, cùm innumeri sint, non potest dari doctrina generalis, nisi in eo, in quo genericè conveniunt, non autem in quo singulariter differunt, & ideo Theologi, ne tunc omittant dare aliquam regulam, pro regulâ dant judiciũ viri prudẽtis, cujus muneris est considerare particularitates hujus, vel illius casus: ergo satius fuisset P. Eliz. aliquam pro re tam universali, & necessariâ sententiâ fundare, quàm omnem destruere, & multò magis, quàm dicere, quòd ad peccatum necessaria sit advertentia, & simul dicere, quòd peccari potest sine advertentiâ. Humilitas, ad quâ appellat, & pro ratione dat, poterit quilibet dare pro omni materiâ, quam ignorat, & sic renuntiandum erit omni studio, subrogando in favorem nescientiæ humilitatem; immò etsi quis definiat, quę cognitio prærequiratur ad hoc, ut peccetur per ignorantiam, potest esse humilis non minùs quam qui nihil definit. Hoc rogo Lectorem meum, ut sciat me in compendium redegisse, quę fusissimo calamo legi in P. Eliz. ut discat, Theologo tæpe non minori opus esse patientiâ, quàm ingenio. Legi tamen, ne quid à nobis omissum vitio verteretur.

N. 211. S. Jacob. D. Bonavent. Valer Maxim Socrat.

N. 212.

N. 213. P. Eliz. P. Suar.

Ait itaque 1. P. Eliz. quòd P. Suar. 1. 2. *d.* 4. *sect.* 3. *n.* 27. dicat, sæpe discerni exactè nõ posse, quando ignorantia fuit voluntaria. Sed P. Eliz. duo confundit; aliud enim est, quæ cognitio, & advertentia necessaria sit, ut ignorãtia sit peccatum; aliud, an ego eam advertentiam habuerim. Primum est, quod modò quæritur, & hoc exactè determinat P. Suar. dicens requiri, & satis esse advertentiam interpretativam. Secundum non est ad rem, certum enim est sæpe nos nescire, an advertentiam requisitam habuerimus: ergo pro rebus adeo inter se diversis non benè citatur P. Suar. & P. Sanch. & multò magis non benè illæ duæ res confunduntur; & hoc ipsum constat ex eodem P. Eliz. 2. *p. lib.* 6. *qu.* 20. §. 4. *pag. mihi* 339. ubi citat P. Suar. & P. Valent. dicentes esse difficile discernere ignorantias vincibiles, & invincibiles, ita ut ea discretio sæpe humanum modum excedat.

P. Eliz. P. Suar. P. Sanc. P. Val.

Ait 2. defectum certitudinis oriri potissimè, tum ex eo, quia nescimus, an nobis sint remissa omnia peccata, & quia nimiùm nos amamus, & fallo zelo peccamus. Sed contra: vel enim loquitur de defectu certitudinis cognitionis prærequisitæ ad peccata ignorãtię, vel de defectu certitudinis justificationis propriæ, de quâ sermo erat Apostolo 1. *ad Cor.* 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* Si de secundo, non est ad rem, hic enim loquimur de primo. Si de primo, ea, quæ affert, non probant nisi incertitudinem justificationis propriæ; non autem incertitudinem regulæ de qualitate cognitionis prærequisitæ ad peccata ignorantiæ: ergo nova confusio.

N. 214.

Ait 3. quòd si S. Paulus sciviset, quæ & qualis exacta cognitio prærequiratur ad peccata ignorantiæ, non dixisset, *Non sum justificatus, me ipsum non judico.* Sed contra; quia etsi sciam cum omni Theologo quid requiratur ad peccatum mortale, tæpe tamen judicare non possumus, an de facto ea omnia requisita habuerimus; immò etsi quis sciat se mortaliter peccasse, nescit tamen se justificatum per dolorem sequentem: ergo ex incertitudine justificationis, & ex incertitudine judicij, an necne peccaverim, non benè infertur incertam esse qualitatem cognitionis requisitę ad peccatum. Omitto plura similia, quę sicut æquali confusione peccant, ita æquali solutione infirmantur. Nolo tamen omittere contradictionem; nam *lib.* 5. *qu.* 11. ut arguat contra nos, citat plures dicentes esse de fide nos teneri ex præcepto sequi cõscientiam erroneam vincibilem: at *lib.* 5. *qu.* 18. §. 3. *ad finem pag.* 141. postquam quęsivit, an Deus præcipiat, ut sequamur conscientiam erroneam invincibilem, & attulit rationes sententiæ affirmantis, ait: *Nihilominus difficultates istæ neminem movere debent ad dicendum*, (Deum jubere, ut sequamur conscientiam erroneam invincibilem) *quia ad verbum probant etiam de conscientiâ erroneâ vincibili; Deus porro jubere nequit hanc sequi;* quę contradictoriè opponuntur doctrinæ, quam asserit esse de fide, nempe nos teneri sequi conscientiam vincibiliter erroneam.

N. 215. N. 216. P. Eliz.

Venio modò ad argumentorum solutionem,

N. 217.

nem, quæ per integras quatuordecim paginas spissis characteribus impressa contra nos tamquam summè efficacia proponit. Prius itaque trãsmitto non tantùm, quod tradit P. Vasqu. 1.2.d.60. cap.2.n.4. quem sequitur P. Palao tr. 2. de Consc. d. 2. qu. 2. & 3. nempe conscientiam vincibiliter erroneam obligare tantùm negativè, non autem positivè; id est, obligat tantùm, ne contra illam opereris, non autem obligat, ut juxta illam opereris; immò transmitto conscientiam vincibiliter erroneam, si non deponatur, (tenetur tamen operans eam deponere) obligare te, ut opereris juxta illam, ita ut magis pecces operando contra illam non depositam, quàm pecces eam non deponendo, ut expressè docent M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 3. & 4. & lib. 3. qu. 9. art. 5. & 11. & qu. 17. art. 4. cujus verba dedi suprà sect. 2. §. 4. & Caram. tom. 4. Theol. Mor. Fund. in quæst. proœmiali n. 22. & fusè in Prodromo à n. 117. & in Dialexi de possessionis regulâ tom. 4. pag. mihi 343. Herinx tom. 2. d. 4. à n. 16. Reding tom. 2. qu. 9. art. 3. contr. 2. pag. 241. Medina, P. Valent. Corduba, P. Azor, P. Salas, P. Thyrs. dis. 8. adeo ut P. Vasq. 1.2.d.59.n.6. dixerit, *Catholica sententia est, esse peccatum operari contra conscientiam erroneam in quàcumque materiâ;* & P. Sanch. lib. 1. Summæ cap. 13. n. 12. ait: *Quando conscientia erronea est vincibilis, seu culpabilis, & dicat aliquid esse sub præcepto, quod quidem peccatum erat, ut si dicat quemquam furari debere, ut pauperi subveniat, peccati reus erit, sive furetur, sive non furetur; furando quidem contra præceptum non furandi, a cujus transgressione ignorantia illa culpabilis excusari nequit; non furando autem, quia contra conscientiæ dictamen agit.* Hæc P. Sanch. Quare absolutè judico conscientiam vincibiliter erroneam, si non deponatur, teneor tamen deponere, non tantùm obligare, ne contra eam operemur, ut putat P. Vasq. sed etiam ut juxta eam operemur, ut putat M. Tapia, & alij.

P. Vasq. P. Pal. N. 218. M. Tap. Caram. Herinx. Med n. P. Val. Cordu. P. Azor. P. Sas. P. Thyr P. Vasq. P. Sanch.

Patet hoc 1. ex S. Thom. qui *qu.* 17. de Veritate ait: *Conscientia quantumcumque erronea obligat ad peccatum;* ergo sive sit vincibilis, sive invincibilis obligat sub peccato ad sui sequelam; & 1.2. *qu.* 19. *art.* 6. *ad* 3. ait: *Supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantiâ non excusante, necesse est, quòd sequatur malum in voluntate, nec tamen homo est perplexus, quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Ecce ex primo textu S. D. peccat, qui non sequitur conscientiam vincibiliter erroneam; ex altero textu peccat, qui eam sequitur, quatenus potuit eam deponere, & noluit. Similiter *quodlib.* 8. *art.* 13. *in corp.* ait: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur, uno modo faciendo contra legem, alio modo faciendo contra conscientiam;* ut accidit in habente conscientiam vincibiliter erroneam, peccat enim contra illam, si operetur contra illam; si autem juxta illam conscientiam vincibiliter erroneam operetur, peccabit contra legem: ergo juxta certam TT. sententiam peccatum erit operari contra dictamen conscientiæ, sive invincibiliter, sive vincibiliter erroneæ: nec est inconveniens, quòd, stante conscientiâ culpabili erroneâ, homo necessitetur ad peccandum, quia vult hanc necessitatem, dum non deponit errorem, quem potest, & debet deponere; quia, ut loquitur S. Thom. 1.2. *qu.* 19. *art.* 6. *ad* 3. error ille est vincibilis. Similiter ergo non tantùm obligor ad non agendum contra conscientiam vincibilem erroneam, sed etiam obligor ad agendum juxta illam, quia per illam, ut ait Palanco *qu.* 6. proponitur hoc principium, Faciendum est, quod lex Dei præcipit; & quia ex S. Thom. obligor ad eam sequendam; ergo non tantùm teneor non agere cõtra illam, sed teneor agere juxta illam: atque adeo si Petrus ex conscientiâ vincibili erroneâ judicet furandum esse, ut pauperi succurrat, ea conscientia, si non deponatur, obligat Petrum, non tantùm, ne omittat furtum, sed ut furetur, si enim omittat, putabit se peccare contra charitatem proximi, & contra conscientiam; si autem furetur, peccabit contra legem. Non tamen hinc sequitur peccare necessariò, nam si vult, potest eam conscientiam dimittere, adeoque sive furetur, sive non furetur, peccabit semper: peccabit non furando, quia putat se teneri ad furandum, ut proximo succurrat; & quia tenetur operari juxta dictamen, quod tunc habet: peccabit furando, quia vult ignorare præceptum non furandi, & non vult dimittere dictamen erroneum, quod potest, & debet dimittere; ergo non necessariò peccabit, quia potest conscientiam erroneam dimittere.

N. 219. S. Th. N. 220. Palanc. N. 221. N. 222.

Dices: Repugnat, ut quis in conscientiâ obligetur ad peccandum: ergo conscientia culpabiliter erronea non obligat sub peccato ad sui sequelam. Distinguo antecedens: Repugnat, ut quis ex suppositione sibi liberâ obligetur ad peccandum, nego; sibi non liberâ, concedo antecedens: cùm ergo ea conscientia erronea sit libera operanti, est enim vincibilis, & eam non velit deponere, cùm possit, non mirum si eâ conscientiâ sibi liberâ suppositâ peccet, sive furetur, sive non furetur; furando enim peccabit contra legé vetan-

N. 223.

vetantem furtum ; non furando peccabit contra legem obligantem ad agendum quòd
N. 224. conscientia præcipit. Ne tamen dicas quòd homo ille, quia est in statu, in quo non potest non peccare, sit in statu proprio damnatorum, qui ex suppositione sibi liberâ necessitantur ad peccandum; ne, inquam, hoc dicas; tum quia homo ille potest eam conscientiam deponere, non ita damnati suum statum; tum quia necessitas ad peccandum, quæ inest damnatis, est ex suppositione eis liberâ in via; non autem liberâ in statu damnationis, ut benè Palanco *qu.6.n.104.* Palanc.

N. 225. Transmitto igitur dari obligationem sequendi dictamen vincibiliter erroneum, si non deponatur, potest tamen, & debet deponi; nego tamen consequentiam à P. Eliz. ex eo antecedenti illatam, nempe peccari sine peccati advertentiâ, immò dico peccari cum advertentiâ peccati, ut omnes TT. docent, licèt in hoc discrepent, quòd plerique velint necessariam esse advertentiam actualem peccati in se; alij verò cum P. Suar. velint, satis esse interpretativam, quæ tamen est advertentia actualis in alio, licèt respectu peccati vocent interpretativam: ex. gr. est actualis advertentia commodi, quod habet objectum, quod sequor; quia tamen illud, ut supponitur, est verum, & peccatum, & ego ulterius non considero ut debeo, & debere cognosco, ideo P. Suar. dicit esse advertentiam P. Suar. N. interpretativam peccati. Quare omnes TT. 226. aliquam advertentiam actualem peccati requirunt, sive peccati in se, ut plerique; sive in alio, ut P.Suar. qui ideo vocat interpretativam: cùm ergo omnes TT. hoc doceant; rursus, cùm omnes etiam doceant, quòd sequens dictamen vincibiliter erroneum peccet, & quod dentur peccata ignorantię, inadvertentiæ, & oblivionis, tota difficultas stat in combinatione utriusque doctrinæ receptissimę. Inferre autem, ut vult P.Eliz. ex
N. 227. eo quia dantur peccata ignorantiæ, dari peccata sine advertentiâ peccati, est negare id ipsum, quod idem P.Eliz. cum omnibus docet, ad omne peccatum etiam ignorantiæ requiri advertentiam actualem; quapropter rotundè nego eam consequentiam, *ergo peccatur sine advertentiâ peccati*; quæ non potest concedi, nisi negetur hoc antecedens, *Ad omne peccatum etiam ignorantiæ prærequiritur aliqua cognitio actualis malitiæ, vel in se, vel in alio*; quod antecedens dixerat *pag.* 20. esse concordem omnium TT. sententiam. Recurrere autem ad cognitionē actualem ante mensem elapsam, ut ignorantia, quæ hodie committitur, sit hodie peccatum, est facere hominem peccātem hodie sine libertate peccati hodie; & ad summum ignorantia hodie est denominative peccatum à cognitione elapsa ante mensem, non autem novum formale peccatum; præsertim cùm potuerim toto hoc mense oblivisci obligationis sciendi, quam ante mensem noveram, ex. gr. audiendi hodie sacrum.

Cùm igitur res tam gravis, & tam obvia, N.
& scitu necessaria, qualis est, quandonā pec- 228.
cem peccato ignorantiæ, clarissimè exponi possit, & si potest, debet; potest autem, ut nos facimus, dicendo tunc peccari, quando adest actualis aliqua cogitatio obligationis sciendi, eaque obligatio negligitur, non est quòd difficultati cedamus, & recurramus ad cogitationem præteritam, contra quam stant tot robusta argumenta, & periculum, ne Jansenistæ Catholicos se jactent, aut Catholicos Jansenistas vocent. Sanè si Pater Eliz. N.
combinaret cognitionem actualem pec- 229.
cati cum peccato ignorantiæ, credo quod P. Eliz.
ad cognitionem præteritam non appellasset. Hoc autem, quàm facile sit, constat ex dictis; dixi enim, quòd peccans peccato ignorantiæ non ignorat peccatum ignorantiæ, immò scit se peccare peccato ignorantiæ: quod ergo ignorat, est, quod sequitur ad ignorantiam; & ideo peccat ponendo illud objectum, non tantùm quia vult ponere, sive sit, sive non sit peccatum, sed etiam, quia cognoscit se posse, & se teneri scire an sit peccatum, & negligit scire: ex. gr. ignoro, an hodie sit audiendum sacrum; suppono dari præceptum de eo audiendo, & illud omitto; ecce in hoc casu peeco tùm scienter, tùm ignoranter: scienter respectu peccati ignorantiæ, quatenus possum, & cognosco me teneri ad interrogandum, & nolo interrogare; ignoranter, quatenus nescio, an detur præceptum audiendi: ignorantia igitur est respectu præcepti audiendi, nescio enim, an detur: scientia est respectu tùm peccati ignorantiæ, quatenus scio talem voluntariā ignorantiam esse peccatum; tùm peccati omissionis sacri, quatenus scio me peccare omittendo sacrum, quod an sit audiendum scire negligo.

Ad probationem, quâ dicit, non stare ullā N.
cognitionem, vel apprehensionem peccati 230.
cum vincibili ignorantiâ, aut errore, nego antecedens, immò si non stat, non est vincibilis, ut toties dixi, sed invincibilis: ergo implicat ut peccem ignorantiâ vincibili, quin actu cognoscam saltem confusè me peccare. Immò eumdem P.Eliz. redarguo, qui *lib.* 6. P. Eliz.
qu. 20. §. 3. *ad finem pag. mihi* 339. laudat Adrianum in *4.qu.5.* de Confess. *dub.6.& 7.* Adrian.
dicentem, Ignorantia juris Divini excusat solùm,

solùm, quando est invincibilis; non manet autem invincibilis quando adest, à quo posset discere veritatem, si vellet, nempe quando adest Confessarius, de hoc enim loquitur: ergo ex Adriano, ut ignorantia sit vincibilis, debet quis posse velle discere; quomodò autem velle possit, nisi habeat cognitionem
N. 231. prævia ad volitionem? Ad hujus probationem, quâ infert, quòd si cum errore vincibili, quòd mendacium non sit nunc peccatum, staret aliqua peccati cognitio, nempe quòd mentiri sit peccatum, tenerer nunc non mentiri, distinguo antecedens: tenerer nunc non mentiri, deposito dictamine vincibiliter erroneo, concedo antecedens; eo stante, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quòd stante in Petro dictamine vincibiliter erroneo, quòd mentiri non sit peccatum, immò sit necessarium, ut vitam tueatur, dico, inquam, Petrum teneri ad mentiendū, quia datur obligatio sequendi dictamen vincibiliter erroneum sub conditione, quòd non deponatur; sed tunc non deponitur, ut suppono; ergo tenetur mentiri.

N. 232. Quomodo autem Petrus tunc peccet mētiendo, licèt judicet se non peccare, ratio est; quia cum eo dictamine directo vincibiliter erroneo stat apprehensio, aut, si mavis, judicium reflexum intimans Petro obligationem ulterius inquirendi, an tunc sit licitum mendacium, ut vitam tueatur; quam obligationem ulterioris inquisitionis, quia Petrus respuit, ideo directè peccat peccato ignorantiæ, & erroris, quatenus omittit debitam ulteriorem inquisitionem; & indirectè peccat peccato mendacij cum eâ omissione necessariò connexo, & sequēti ad eam omis-
N. 233. sionem. Duo itaque in eo casu præcepta concurrunt, unum absolutum propositum per apprehensionem, aut judicium reflexum, quod dicit, *Depone illud dictamen vincibile erroneum, vel ulterius inquire, an hoc dictamen*, mentire, ut vitam tuearis, *sit verum*: aliud conditionatū, *si dictamen non deponas, mentire:* cùm autē Petrus, ut supponitur, nolit deponere dictamen, nec ulterius inquirere, consequēter licèt, *præcisè loquendo*, mendaciū, quatenus est cōforme ei dictamini vincibili erroneo, non sit in se peccatū, eo enim dictamine posito, tenetur ei conformari; attamen mendacium etiam tunc est peccatū in alio, nempe in dictamine vincibili erroneo, nam cum tali dictamine vincibili erroneo stat dictamen reflexum, *Depone illud, vel ulterius inquire.*

N. 234. Hoc idem patet in sexcentis casibus; potest enim aliquid non esse peccatum in se, immò esse necessarium, & idem ipsum esse peccatum in alio. Qui voluntariè reddit se impotentem jejunandi, vel restituendi, suppositâ eâ impotentiâ non peccat non jejunando, & non restituendo; atque adeo omissio jejunij considerata præcisè ad solam impotentiam, præscindendo an hæc sit, an non sit voluntaria, ea, inquam, jejunij omissio non est in se peccatum; est tamen ea ipsa jejunij omissio peccatum indirectè, & in alio, nempe in ipsa impotentiâ sibi liberâ, & voluntariâ, tenetur enim non reddere se impotentem jejunandi, & restituendi; etsi eâ impotentia suppositâ non teneatur, immò nec poteſt jejunare, & restituere. Idem accidit in N.
casu nostro: mendacium posito dictamine 235.
erroneo, quod tunc sit necessarium, non est in se peccatum relativè præcisè ad dictamen; quia tamen illud dictamen est voluntarium, quia vincibiliter erroneum, ideo idem mendacium est peccatum in ipso dictamine, quod deponere non vult, cum possit, & debeat. Dum ergo Theologi dicunt, quòd tenemur sequi tunc dictamen vincibiliter erroneum, & quòd illud sequendo non peccemus, loquuntur de peccato contra dictamen, non autem contra legem, & loquuntur ex hypothesi, seu sub conditione, quod quis nolit deponere; opus enim sequens ad dictamen, quatenus præcisè est huic conforme, non est peccatum in se; at non negant esse peccatum in alio, immò affirmant esse peccatum in alio, nempe in ipso dictamine erroneo culpabili, adeoque voluntario, quod teneor, & nolo deponere.

Hinc facile est concordare omnes TT. N.
quorum aliqui dicere videntur, quòd men- 236.
dacium, stante dictamine vincibili erroneo, quòd necessarium sit ad vitæ tutelam, non sit peccatum; alij autem dicunt esse peccatum. Qui negant esse peccatum, considerant præcisè mendacium, ut conforme ei dictamini vincibili erroneo, præscindēdo ab hoc, quòd tale dictamen sit peccatum, & dicunt, quòd tunc mendacium non est peccatum in se. Qui autem affirmant tale mendacium esse peccatum, dicunt esse peccatum in alio, nempe in dictamine vincibili erroneo, hoc enim non deponere, & non ulterius inquirere est peccatum. Recole paritatem non jejunij, quod in ordine ad solam impotentiam non est in se peccatum; est tamen in ipsa impotentiâ culpabili. Ex quibus patet Petrum laborantem vincibili errore, quòd mendacium in vitæ tutelam non sit peccatum, patet, inquam, primò, non peccare in se, quatenus sequitur, immò tenetur sequi illud dictamen, dato quòd deponere nolit. Patet 2. absolutè eum peccare mentiendo; peccare, inquam, in dictamine culpabili, quod deponere

deponere non vult. Patet 3. numquâ peccare sine advertentiâ ad peccatum, tunc enim cognoscit obligationem deponendi illud dictamen, adeoque licèt vincibiliter judicet mendacium non esse peccatum, judicat non esse peccatũ, stante dictamine vincibili, & relative ad hoc dictamen, adeoque judicat in ordine ad idem dictamen, mendacium non esse peccatum in se; adhuc tamen simul, & semel apprehendit saltem, vel judicat esse peccatum in alio, seu in ipso dictamine, quatenus apprehensivè, vel judicativè cognoscit se teneri deponere illud dictamen, aut ulteriùs indagare, an sit rectum, an erroneum.

N. 237. Dices 1. Ergo Petrus judicat simul, & semel mendacium esse, & non esse peccatum. Nego consequentiam; nam judicare mendacium non esse peccatũ in se, stante eo dictamine erroneo; & judicare dictamen erroneum esse peccatum, & mendaciũ esse peccatum in eo dictamine, non sunt judicia contradictoria, cùm sint de diversis objectis. Addo, ut dixi, non esse necesse, ut Petrus reflexè judicet, satis est, ut dubitet tale dictamen, & opus sequens esse peccatum, immò satis est, ut cognoscat se teneri ulteriùs inquirere, an tale dictamen sit rectum, an erroneum.

N. 238. Dices 2. Ergo Petrus non potest, tantùm abest, ut debeat, tunc mentiri ob vitæ tutelam; cognoscit enim, quòd mendacium sit peccatũ in ipso culpabili dictamine. Distinguo consequens: non potest mentiri stante eo dictamine, nego, immo debet mentiri; tenetur enim, ut suppono, obedire dictamini culpabili eo persistente: non potest deposito eo dictamine, concedo consequentiam; quo modo, stante impotentiâ voluntariâ non restituendi, quatenus pecunias in superflua expendere volo, non teneor restituere, nam non possum; & stante impotentiâ non jejunandi, quatenus volo venari, non teneor jejunare, quia non possum: depositâ hâc impotentiâ, quam deponere teneor, & possum, tunc possum, & teneor restituere, & jejunare: ita stante dictamine culpabili, quòd teneat mentiri, mentiri teneor; eo dictamine deposito, quod teneor deponere, teneor non mentiri. Hinc apparet discrimen inter dictamen vincibiliter, & invincibiliter erroneũ; licèt enim utrique teneat obedire, & neutri contravenire, attamen vincibiliter erroneum teneor deponere, invincibiliter erroneum, quia non possum, ideo nec teneor deponere. Igitur cum dictamine vincibiliter erroneo stat judicium reflexum de eo deponendo, vel saltem apprehensio proponens obligationem ulteriùs inquirendi, an illud sit rectum, an non: econtra cum dictamine invincibiliter erroneo nihil horum adest. Itaque opus dictatum à dictamine vincibiliter erroneo est peccatum indirectè, seu in ipso dictamine, quod est peccatum, licèt opus, ut huic dictamini conforme, non sit peccatum: opus autem dictatum à dictamine invincibiliter erroneo nec est peccatum relativè ad dictamen, cui conformatur, nec in ipso dictamine, quod non est culpabile.

N. 240. Dices 3. Ut Petrus teneatur non mentiri, satis est, ut cognoscat mendaciũ esse peccatũ in alio: sed juxta nos Petrus cognoscit, quòd mendaciũ sit peccatũ in alio, nempe in dictamine culpabili: ergo Petrus tenetur tunc non mentiri; vel si tenetur mentiri, non debet tunc cognoscere, quòd mentiri sit peccatũ in alio, seu in ignorantiâ culpabili, adeoque dabitur peccatum ignorantiæ sine advertentiâ peccati. Nego maiorem; dico enim non esse satis, ut cognoscat mendacium esse peccatũ in alio, sed præterea nullũ habere debet præceptum urgentius obligãs ad ipsum mendacium; in nostro autem casu supponitur, quòd Petrus habeat obligationem parendi dictamini vincibili erroneo obligãti ad mentiendum: ergo absolutè tenetur mentiri; peccat autem mentiendo, quia hoc dictamen obligans ad mentiendum est ab eo volitũ. Quare dixi suprà, quòd stante dictamine vincibili erroneo, quòd nunc sit mentiendũ, ut vitam tueatur, Petrus, sive mentiatur, sive non mentiatur, peccabit: peccat mentiendo, quatenus vult causam mendacij, nempe dictamẽ culpabile obligãs ad mentiendũ: peccat non mentiendo, quatenus tenetur conformari dictamini, quod tunc habet, & cui tunc non conformaretur, si tunc non mentiretur. Minùs tamen peccat mentiẽdo, quàm non mentiendo, quia maiorẽ habet obligationem cõformandi suum opus ultimo conscientiæ dictamini, cùm ultimũ dictamen sit formalis, & immediata regula operationis, cui semper tenetur conformari; econtra non habet tantã obligationem conformandi se judicio remoto reflexo, aut cognitioni repræsentanti tale dictamen ultimum esse culpabile, adeoque mendacium ad illud sequens esse peccatum; ergo tunc minùs peccat, si mentiatur, quàm si stante dictamine vincibili erroneo de mentiendo, omittat mendacium.

N. 241. Dices 4. Ergo Petrus necessariò peccat, peccat enim sive mentiatur, sive non mentiatur. Distinguo, necessitate antecedenti, nego; consequenti, concedo consequentiam; ea enim necessitas mentiendi oritur ex dictamine culpabili, adeòque voluntario; ergo est necessitas consequens ad libertatem Petri.

N. 242. Ad 1. confirm. dico, quòd Petrus habens dictamen vincibile erroneum, quòd mendacium sit tunc ad vitæ tutelam licitũ, non judicat directè, quòd mendacium tunc sit peccatum, imò directè judicat non esse peccatũ: rursus dico non esse necessarium, ut Petrus indirectè, & reflexè judicet mendacium esse peccatum, sed satis est, ut apprehendat se teneri examinare veritatẽ sui ultimi dictaminis, vel saltem reflexè dubitet de ejus veritate; quia tamen inquirere negligit dictaminis veritatem, & negligit satisfacere obligationi ulterioris examinis, ideo indirectè, & in alio cognoscit mendacium, non præcisè ut mendacium, sed ut substans dictamini culpabili, esse peccatum. Ad illationem, quòd si Petrus cognoscit mendacium esse indirectè peccatum, non tenebitur mentiri, seu obedire cõscientiæ vincibili erroneæ, nego hanc illationem; tenetur enim quilibet, ut suppono, & probavi, obedire ultimo dictamini conscientiæ, quod est regula proxima, & formalis, & immediata operationis, licèt obediendo peccet, non quidem quatenus ei obedit, sed quatenus vult illud dictamen culpabile, cui deinde tenetur obedire; ut dixi de impotente restituere, & jejunare, peccat enim non restituendo, non quidem, quatenus conformatur ei impotentiæ, sed quatenus vult eam impotentiam, cui deinde stare tenetur.

N. 243. Ad 2. confirm. dico scrupulos illos, quòd dictamen illud sit erroneum, esse posse, vel apprehensiones de obligatione inquirẽdi ulteriùs veritatem ejus dictaminis, an sit rectũ, vel falsum; vel judicium reflexũ supra illud idem dictamen. Ad id, quod dicitur, quòd si sunt apprehensiones, Petrus mentiendo non peccabit, quatenus agere contra apprehensiones ab omni rationis judicio separatas, non est peccatum: dico non esse peccatum agere contra apprehensiones, quas ex rationabili motivo contemno, quatenus certus sum de oppositio ejus, quod illæ proponunt, ut accidit in materiâ fidei: esse autem peccatum, dum eas ex culpâ contemno, ut accidit in casu nostro; contemno enim illas ex pigritiâ non inquirendi ulteriùs veritatem, cujus ulteriùs indagandæ apprehendo obligationem. Ad aliud, quòd si cognitiones, seu scrupuli sunt judicia, quòd mentiri tunc sit peccatum, non poterit Petrus obligari à conscientiâ erroneâ ad mentiendum, quia nullus obligatur ad id quod cognoscit esse peccatum, distinguo hoc: nullus obligari potest, obligatione sequenti ad suam voluntatem, ad id quod cognoscit esse peccatum, nego; obligatione antecedenti, concedo: Petrus autem vult liberè dictamen illud culpabile erroneum, quo stante obligatur mentiri; ergo est obligatio peccandi consequens ad liberam propriam voluntatem, quâ vult dictamen illud obligans ad mentiendum.

Ad 3. confirm. dico neminem obligari N. 2. 4.
posse directè, ut agat contra remorsum conscientiæ dictantis aliquid esse peccatum; potest tamen obligari indirectè, & ex suppositione obligationis à se liberè contractę, ut agat contra remotum conscientiæ remorsum dictantem aliquid esse peccatum. Quare P. P. Eliz.
Eliz. duo confundit; modò considerat remotum conscientiæ remorsum dictantem mendacium esse peccatũ, & ex hoc infert Petrũ non posse tunc mentiri; modò considerat ultimũ tantùm Petri dictamen vincibile obligans ad mentiendum, & ex hoc infert teneri ad mentiendũ, cùm tamen utrumque simul considerari debeat. Dico igitur, quòd si re- N.
motus tantùm conscientiæ remorsus dictans 245.
mendacium tunc esse peccatũ consideretur, tenetur indirectè non mentiri; & tenetur immediatè examinare veritatem ultimi dictaminis: si autem ultimum tantùm dictamen vincibiliter erroneum consideretur, tenetur mentiri. Quòd si simul, ut debet, consideretur, tum remotus conscientiæ remorsus immediatè dictantis tale dictamen esse culpabile, & mediatè mendacium ab eo dictatum esse peccatum; tum dictamen ipsum vincibile erroneum: dico, quòd cùm maior sit obligatio obediendi ultimo conscientiæ dictamini, quod est regula formalis, & proxima operationis, qualecumque illud sit, sive invincibile, sive vincibile sit, quàm sit obligatio obediendi dictamini remoto, aut cognitioni proponenti obligationem inquirendi ulteriùs ultimi dictaminis veritatem; consequenter Petrus tenetur mentiri, & ipsum mendacium, quatenus est ultimo dictamini conforme, non est peccatum, licèt sit peccatum in alio, seu in ipso dictamine, quod cognoscitur, aut dubitatur esse erroneum.

Ad 4. confirm. concedo antecedens, & di- N.
stinguo consequens: implicat, ut cum dicta- 246.
mine vincibili erroneo obligante ad mentiẽdum stet judiciũ directum de malitiâ mendacij, concedo; stet judicium reflexum, seu immmediatè reflectens supra culpabilitatem ejus dictaminis, & indirectum de malitiâ mendacij, nego consequentiam.

Ad 5. confirm. in quâ præcipuè dicitur, N.
quòd si cum conscientiâ vincibili erroneâ 247.
staret cognitio repræsentãs eam esse vincibilem, sequeretur, quòd per eam cognitionem conscientia erronea non esset deponibilis, sed deposita, nego antecedens, quod est evidenter fallum; possum enim ego dubitare, num

verum

verum sit dictamen deobligans me à sacro, & adhuc suppositâ, & stante priori apprehensione de falsitate dubiâ ejus dictaminis, & de obligatione inquirendi ulteriùs, an hodie sit dies festivus, negligere ea omnia, & formare dictamen de non obligatione sacri, quod simul, & semel cognosco me deobligare à sacro, & cognosco esse culpabile, quia cognosco ulteriorem, ad quam tenebar, diligentiam me neglexisse.

N. 248. Ad 6. confirm. dico conscientiam vincibilem erroneam non esse dubiam, nec scrupulosam directè, & immediatè respectu operationis, ad quam proximè, & immediatè dirigit, & obligat; esse tamen dubiam remotè de sui ipsius veritate; nam laborans dictamine vincibili erroneo simul, & semel cognoscit se teneri ad opus ab eo dictamine præscriptum, & se teneri ad illud dictamen deponendum, vel ad ulteriùs illud examinandum. Itaque judicat, dubitat, vel apprehendit (nam omnia defendi possunt, ut constat ex dictis) se peccare retinendo illud dictamen, aut omittendo ulteriorem ejus dictaminis veritatis indagationem; & simul judicat se non peccare obediendo illi dictamini, dato quod illud retinere velit: duplicem igitur cognoscit in se obligationem; N. 249. unam examinandi ulteriùs veritatem dictaminis, aut illud deponendi, & dum non examinat, aut retinet, cognoscit se peccare contra hanc obligationem; immò se peccare ponendo id, ad quod obligat illud dictamen, si fortè datur lex deobligans ab eo opere: aliam obediendi tali dictamini, dato quod non deponat; quatenus autem præcisè dictamini obedit, cognoscit se non peccare, immò se peccaturum si non obediret, licèt simul cognoscat se peccare ponendo illud opus, si fortè sit lex illud vetans: atque adeò directè cognoscit, quòd mendacium, ut conforme dictamini obliganti mentiri, non est peccatum; & cognoscit reflexè, & in alio, mendacium esse peccatum in ipso dictamine, quod judicat, aut dubitat esse culpabile, & esse posse contra legem directâ illud vetantem. N. 250. Ad ultimum dico conscientiam erroneam non esse directè dubiam, nam est dictamen; est tamen reflexè dubia, quatenus dubitat de veritate ejus dictaminis, & tenetur illud suspendere, quòd si non suspendat, tenetur mentiri, ut ei pareat.

§. III.

Reliqua ejusdem P. Elizal. argumenta.

SUMMARIUM.

Negat se incidere in Jansenismum; cur? n. 251. 252.

Dixi repugnare peccatum sine aliquâ advertentiâ, n. 253.

Nulla est differentia, quam inter se, & Jansenium, quoad præcipuum punctum dat, ibid.

Intentum Pontificum est definire libertatem pro omni peccato necessariam, n. 254. 255.

Non est necessaria nova ratio, ut deponi possit ignorantia vincibilis, n. 257.

Continuatio peccati non est novum peccatum, & ideo opus non est, ut advertentia toto tempore duret, n. 258. 259.

Ex S. Thom. volitio occidendi, & occisio sunt unum peccatum; & hæc à volitione denominatur peccatum, n. 260.

Paritas actus externi nulla, n. 261. ad 265.

Expono qualiter continuata perjuria sint peccata, n. 262.

Ad peccatum propriè tale satis, ut vel in se, vel in causâ sit volitum, n. 263.

Etsi sit denominativè peccatum, adhuc est verè peccatum, n. 264.

Deus non vetat actum externum præcisum ab interno, n. 266.

Ostendo, quòd Adversarij longè plus dicant, quam nos, n. 267.

Ait, quòd ignorantia vincibilis fiat invincibilis per confessionem: rejicio, n. 269. ad 274.

Vincibilis tunc tantùm est peccatum, cum moraliter vinci potest, n. 273.

Non dicimus hæresim sequentem ad superbiam, esse hæresim à superbiâ, n. 274.

Non nego, quòd opus sequens ad vincibilem ignorantiam, sit propriè peccatum; est enim in ipsâ ignorantiâ, n. 276.

Furans, ut adulteret, est fur, & adulter; magis tamen adulter, quàm fur, n. 277.

Differentia inter P. Elizal. & nos, n. 278.

Inter Pelagianos, & nos, n. 280.

Nego, quòd quæstio de conscientiâ erroneâ erit de subjecto non supponente, n. 281.

OBjicit 6. *2.p. lib. 5. qu. 12. pag. mihi* 64. N. 251. nullatenus ex ejus sententiâ, quâ docet P. Eliz. peccari, absque eo quòd advertatur peccari, sequi Jansenismum. Primò, quia notum est apud omnes quarum virium illa particula, *in præsenti vires*, sit in Jansenio correlativa, nempe virium, quas in statu præsenti naturæ lapsæ non habemus, habuimus tamen in amisso innocentiæ statu, ut patet ex Jansenij impugnatoribus: ergo (ait de se P. Elizal.) licèt doceam hominem peccantem ex ignorantiâ non cognoscere tunc malitiam peccati, adeoque secundùm præsentes, quas habet, vires non posse non peccare, non tamen incurro Jansenismũ, quia per tò *secundùm præsentes vires* non venit status correlativus ad N. statum innocentiæ amissum. Secundò, quia 252. damnata

Jansen.

damnata loquitur de homine justificato, dānatur enim hęc, *Homini etiam justificato volenti, & conanti secundum præsentes, quas habet, vires, aliqua Dei præcepta sunt impossibilia; deest illi quoque gratia, quâ possibilia fiant*; ego verò (ait P. Eliz.) loquor de peccatore, ac in pœnam peccati; ergo ineptè hæc duo confunduntur. Tertiò, quia Jansenius, & damnatio loquuntur de volente, & conante; ego verò (ait Elizal.) de ignorante, & errante, seu de non volente, & non conante, immò de volente contrarium. Quartò, quia Jansenius vires negat seorsim ab omni suppositione personali; ego autem (ait Eliz.) ex suppositione, ac in sensu composito conscientiæ erroneæ vincibilis, & voluntariæ. Quintò, quia Jansenio sermo est de viribus, mihi autem (ait Eliz.) de cognitione. Omitto alia.

N. 253. Sed contra 1. quia evidēter ostendi, quòd nisi ille, qui peccat ex ignorantiâ, eo instanti peccatum cognoscat, aut cognoscere possit, non potest autem cognoscere, aut cognoscere velle, & debere, nisi proponatur saltem confusè per aliquam cognitionem obligatio cognoscendi ulteriùs; ostendi, inquam, non N. 254. posse secundùm præsentes, quas tunc habet, vires, implere præceptum, quod non cognoscit; licèt autem aliqua sit inter Jansenium, & Adversarios differentia, videtur purè materialis, cùm eadem esse debeant, & sint principia libertatis necessariò requisita ad potentiam peccandi, sive ea ad personale, sive N. ad originale peccatū sequantur. Quod enim 255. Pontifices præcipuè intendunt definire contra Jansenium, idem est, ac quod alij Pontifices contra Calvinum, Lutherum, Baiū definiere; nempe quæ libertas requiratur ad peccatum, sive nunc in statu naturæ lapsæ post statum innocentiæ amissum per originale; sive in eodem statu post statum gratiæ amissum per personale: quapropter sive ignorantia sequatur ad peccatum personale, sive ad originale, perpendi debet, quòd sicut, ut ignorantia sequens ad originale sit mihi peccatum, debet esse à me cognita, & in meâ manu eam nunc expellere; ita à pari ut ignorantia, quâ ego in pœnam personalis ante mensem commissi nunc laboro, sit nunc novum, & verum peccatū, debet à me cognosci, ut eam expellere possim. Sanè mihi compertum est, quòd si P. Eliz. posset cum peccato P. Eliz. ignorantię combinare scientiam peccati, non docuisset, quod docuit: quàm facilè autē ea duo combinētur, patet ex dictis; quapropter totus est in dicendo, quòd si nos requirimus advertentiam peccati, dum ex ignorantiâ peccatur, evertimus omnia ignorantiæ peccata contra Scripturam. Quæ omnia sunt falsa; numquā enim Scriptura, vel PP. dicunt cum ignorantiæ peccato repugnare advertentiam peccati; immo Scriptura, PP. & TT. dicunt ad omne peccatum etiam ignorantiæ requiri aliquam advertentiam: aliud ergo est ignorantia peccati; hæc autem negat advertentiam peccati; aliud peccatum ignorantiæ; hoc autem supponit advertentiā circa ipsam ignorantiam culpabilem, & inadvertentiam voluntariam eorum omnium, quæ ad ignorantiam volitam sequuntur, quæ tamen omnia sunt peccatum in ipsā ignorantiā, cum quā sunt necessariò connexa. De Jansenismo judicent alij, cùm meum non sit Catholicos Adversarios judicare, sed ab illis judicari.

Objicit 7. *l. c.* §. 3. *pag.* 65 Si cum conscien- N. tiā erroneā vincibili stat advertentia peccati, 256. potest ea conscientia eo instanti deponi, quod P. Eliz. implicat; nam dato quòd sit, non potest pro eodem instanti non esse. Sed contra; quia totum hoc est ab eo solvendum; quæro enim, an qui advertēter peccat, possit non peccare? si dixeris posse; ergo potest pro eodem instāti simul esse peccatum, & non peccatum, quod repugnat: sicut ergo dicet peccantem pro eo instanti, quo peccat, posse potentiā antecedenti, non autem consequenti non peccare, quia libertas non est potentia simultatis ad peccatum, & non peccatum, sed est simultas potentiæ ad peccatum, & non peccatum seorsim; ita qui habet errorem vincibilem non potest potentiā consequenti, potest potentiā antecedenti eo carere, quatenus potuit pro priori, quo eum advertit, eum non habere, vel pro instanti sequenti eum deponere.

Dices deponi non posse, nisi adsint nova N. motiva, quæ sæpe non occurrūt. Sed contra; 257. quia ut deponi possit, & debeat, satis est, ut advertatur obligatio ulterioris examinis; ut enim quis non operetur, modicum requiritur, licèt plura requirantur, ut intellectus oppositum dictamen verum concipiat.

Objicit 8. *l. c.* §. 4. & 5. Peccamus non N. tantùm in exordio, sed etiam in continua- 258. tione actus; sed cùm continuatur, sæpe abest P. Eliz. advertentia; ergo peccatur sine advertentiā. Confirmat: quia dici non potest, quòd homicidia, imprecationes, blasphemiæ, ex iracundiæ furore prolatæ, non sint propriè peccata, sed tantùm denominativè ab omissione diligentiæ in furoris moderatione, ita ut sola ira sit propriè peccatum, reliqua autem ad iram sequentia sint tantùm denominativè peccatum: ergo peccatur sine advertentiā; illę enim blasphemiæ sunt sine advertentiā, & sunt peccata.

Respondeo duo confundi à P. Eliz. aliud N. est, quòd ad peccatum requiratur advertētia 259. pec-

peccati, & hoc asserimus; aliud, quòd requiratur advertentia toto tempore, quo peccatur, & hoc negamus; sicut autem ex hoc secundo malè intulit peccari sine advertentiâ, ita etiam ex primo malè infert secundum.

N. 260. Ad confirm. dico, hoc argumentum solvendum ab omnibus, qui defendunt actiones externas non habere novam bonitatem, & malitiam, meritum, & demeritum distinctum ab internâ; hi enim omnes tuentur homicidium exterius esse tantùm denominativè peccatum ab actu interno, quo imperatur; & ita sentit S. Thom. *qu.* 3. de Malo S. Th. *art.* 8. dicens, *Voluntas, & actus exterior dicuntur unum peccatum*; de se enim hominis occisio est indifferens ad bonum, aut malum morale, & ad summum est materialiter mala, ut dixi *sect.* 3. §. 2. quapropter dum P. N. 261. Eliz. objicit tamquam quid singulare, sequi ex nostrâ sententiâ, quòd homicidium sit tantùm denominativè malum, malè objicit; sive enim ad peccatum necessaria sit advertentia, sive non, semper hoc sequitur, dummodo sustineatur actus externos nullam habere bonitatem, aut malitiam moralem ex se, præter eam, quam ab actu interno habent: ergo argumentum non est ad rem. Demde dico, quod dum nos dicimus, homici- N. 262. dium non esse, nisi denominativè peccatum ab advertentiâ fervescentis iræ, quam reprimere debemus, non ideo negamus esse propriè peccatum, immò asserimus esse propriè peccatum; qui enim advertit se immodico N. furore agitari, ut vitam proximo eripiat, 263. peccat tum peccato iræ, tum peccatis ad eam sequentibus, quæ confusè in irâ tamquam in causâ cognoscit; ut enim aliquid sit propriè peccatum, satis est, ut directè in se, vel indirectè in alio sit voluntarium, seu cognitum, vel in se, vel in causâ, & ideo peccata tam directè, quàm indirectè voluntaria sunt N. confessioni obnoxia. Sanè nil magis obvium 264. Logicæ studiosis, ad quam sæpe P. Elizal. appellat, quàm parietem esse denominativè album, nec tamen sequitur non esse, immò est propriè albus, sive albedo immediatè inhæreat quantitati, sive immediatè lateribus; & hanc assignant differentiam inter parietem, qui dicitur visus, & qui dicitur albus; unus enim est talis purè denominativè, nempe visus à visione extrinsecâ parieti; alter est denominativè talis, nempe albus ab albedine mediatè, vel immediatè intrinsecâ parieti. In casu nostro actus externus est peccatum à libertate intrinsecâ peccanti, licèt non intrinsecâ actui externo, & hoc sufficit, ut dicatur propriè peccatum, adeoque quando dicitur actum externum esse denominativè peccatum, non negamus esse propriè pec- N. catum modo, quo esse potest, sed to *denomi-* 265. *nativè* contraponitur tò *formaliter*, non tò *propriè*; negamus enim esse ex se formaliter peccatum, nisi ab actu interno formali voluntatis supponentis advertentiam peccati. Addo tò *propriè* esse æquivocum; potest enim aliquid esse propriè, & impropriè tale respectu diversorum; ita externum furtum, vocalis blasphemia, & homicidium sunt propriè peccatum respectivè ad objecta ex se materialiter non mala, licèt idem furtum externum respectivè ad internum, quia non est formaliter malum, non sit propriè peccatum, ut aliàs dixi.

Dices: Deus dicit, Non furtum facies, N. non autem dicit, noli furari: ergo vetat 266. actum externum præcisum ab interno. Nego consequentiam; Deus enim vetat peccatum, hoc autem supponit constitutiva peccati; ergo libertatem, quæ est in actu interno; ergo non vetat actum externum præcisum ab interno.

Objicit 9. *qu.* 13. *à pag.* 78. per nos sequi, N. quòd siquis propter superbiam, & luxuriam 267. incidat in hæresim, non incurrat novum P. Eliz. hæresis peccatum, quia tunc non adest nova libertas. Sed contra; quia si non adest nova libertas, neque adest novum peccatum: sicut igitur ipsa hæresis, juxta P. Eliz. est libera libertate præteritâ, ita per nos est peccatum in præterito superbiæ peccato. Miror hæc nobis objici, quasi Theologiæ ignorantes simus, quia dicimus ad novum peccatum novam requiri libertatem peccati, & non sufficere novam libertatem facti; sit autem egregius Theologus, qui dicit hæresim hodie admissam ob superbiam anni præteriti esse hodie novum peccatum absque ullâ libertate novâ peccati hæresis. Rursus pessimos nos conclamari, quia dicimus hæresim non esse novum formaliter peccatum, sed esse tantùm denominativè peccatum hodie à superbiâ præteritâ, in quâ hæresim timui, & ipsam hæresim esse imputabilem ab imputabilitate superbiæ; optimus autem sit, qui dicit hæresim esse hodie liberam per libertatem peccati præteritam. Certè si ad peccatum superbiæ præteritum non satis fuit libertas facti, sed per P. Eliz. & omnes Contrarios necessaria fuit libertas peccati, non video cur ad peccatum hæresis hodiernum necessaria non sit hodie nova libertas peccati, sed satis sit nova libertas facti. Confirmo: Duo tradit P. Eliz. primum, quòd peccata sequentia ad ignorantiam vincibilem sint nova peccata sine novâ libertate peccati, & hoc suadet totâ *quæst.* 12. & 13.

secundum, quòd si ignorantia vincibilis remittatur per confessionem sacramentalem, aut contritionem, eo ipso de vincibili transit in invincibilem, & de esse peccatum ad esse purè pœnam, ut docet *qu.* 13. §. 5. *pag.* 85.

N. 268.

His positis, quæro, quomodo ignorantia vincibilis per confessionem fiat invincibilis? quòd enim per confessionem remittatur peccatum ignorantiæ, intelligo; at non intelligo, quomodò eadem ignorantia, quæ in suo esse physico manet post confessionem eadem ipsa, quæ erat ante confessionem, licèt non maneat eadem quoad esse morale, seu esse peccatum, ut ante confessionem erat; non, inquam, intelligo, quomodò de vincibili transeat in invincibilem. Explico: Dicit P. Elizald. quòd laborans ignorantiâ vincibili, & ex eâ labens in hæresim, sit verè Hæreticus; subdit, quòd si confiteatur, tollitur ab eâ ignorantiâ non tantùm ratio peccati, sed etiam ratio vincibilis; sed addo ego, demus quòd post absolutionẽ idem homo in eâdem ignorantiâ persistens labatur iterum in hæresim; ecce in hoc casu, quia, juxta Adversarium, ignorantia per absolutionem transivit in invincibilem, ille homo neque iterum peccabit peccato ignorantiæ, neque peccato hæresis. Hoc, inquam, non intelligo; si enim ante absolutionem eadem ignorantia, & hæresis ad eam sequens erant peccatum, quomodò post absolutionem, quæ purè tollit rationem peccati, eadem ignorantia omnino invariata non erit novum peccatum? absolutio enim tollit quidem peccatum, at non facit, ut quod ante illam erat peccatum, post illam, si iterum ponatur, non sit peccatum. Ecce in quot angustias P. Eliz. se, & alios conjicit, quia negat advertentiam esse necessariam ad hoc, ut ignorantia sit vincibilis.

N. 269.

Nos verò facilè nos expedimus dicendo, ignorantiam fieri vincibilem per advertentiam; & per confessionem remitti peccatum ignorantiæ antecedentis; quod si post illam perseveret eadem ignorantia cum advertentiâ intimante obligationem sciendi ignoratum, si homo huic obligationi pareat, non peccabit peccato ignorantiæ; si non pareat, peccabit iterum peccato ignorantiæ, & aliorum sequentium ad illam, ut in causâ prævisorum.

N. 270.

Adde contra P. Eliz. *pag.* 85. qui postquam docuit ignorantiam per confessionem fieri invincibilem, subdit: Non dicimus cum Recentioribus fieri hunc transitum per consultationem Doctoris, & similia. Ecce iterum dat confessioni vires mutandi ignorantiam, & negat consultationi; quæ inaudita mihi sunt: audivi quidem quòd idiotæ adire debeant libros, & DD. à quibus illuminari possunt, & hoc ipsum legi in P. Eliz. qui consulit idiotis, ut adeant viros fide dignos; at numquam audivi, quòd ignorantia tollatur directè, seu fiat invincibilis per confessionem. Fac enim, ut quis oblitus peccati ignorantiæ vincibilis reliqua omnia peccata confiteatur, & habeat omnia ad validam confessionem requisita: ecce tunc omnia mortalia remittuntur, directè quidem, quæ confitetur, indirectè autem, quæ obliviscitur; sanè in hoc casu, quo Confessarius purè absolvit, & non instruit pœnitentem, absolutio nil aliud facit, quàm remittere peccata, & relinquere ignorantem in suâ ignorantiâ, ad quam si post confessionem redeat advertentia cum obligatione morali expellendi illam, ea ignorantia fiet iterum moraliter vincibilis; si advertentia sine eâ obligatione morali, erit tantùm physicè, non moraliter vincibilis; si autem nulla advertentia redeat, erit tum physicè, tum moraliter invincibilis. Neque enim omnis ignorantia vincibilis est peccatum, sed ea tantùm, quæ est moraliter talis; talis autem est, quoties advertitur obligatio eam expellendi. Demùm hâc doctrinâ, quòd ignorantia vincibilis per absolutionem fiat invincibilis, infringuntur argumenta, quę contra nos sine jure adducit, putans nos negare, quòd peccata sequentia ad ignorantiam, sint peccata, cùm tamen affirmemus esse peccata, non in se directè, nec nova peccata, nisi nova libertas peccati accedat; esse tamen peccata in ipsâ ignorantiâ, in quâ sunt prævisa: dico, inquam, argumenta in eum retorqueri; nam Hæreticus absolutus poterit iterum labi in hæreses, furibundus in homicidia, & blasphemias, sine novo peccato hæresis, & homicidij, quatenus per absolutionem ignorantia transivit in invincibilem.

N. 272.

N. 273.

Dices cum Eliz. *pag.* 83. stolidum esse dicere, quòd hæresis, aut idolatria secuta ad actum superbiæ habeat speciem hæresis à superbiâ præcedente, non minùs, ac siquis diceret equum fieri equum per speciem bovis. Sed contra, quia nemo hoc somniavit; quod dicimus est, hæresim habere rationem peccati à superbia præteritâ, non ut superbia est, sed ut peccatum est; contrahere autem hæresim speciem hæresis ab oppositione cum fide. Addo hoc esse contra Eliz. quæro enim quomodò libertas peccati superbiæ præterita det hæresi hodiernæ rationem peccati? si autem non habet rationem genericam peccati, nec potest habere specificam, hæc enim illam supponit.

N. 274. P. Eliz.

N. 275. P. Eliz.

Objicit 10. *qu.* 13. §. 7. *pag.* 85. sequi, quòd pecca-

peccatum mortale ignorantiæ, juxta nos, ſtare poſſit cum perfectâ Dei dilectione, quia, juxta nos, quod oritur ex ignorantiâ, non eſt propriè, ac verè peccatum, ſed tantùm denominativè, ſeu impropriè: ſed non eſt inconveniens, quòd perfecta Dei dilectio ſtet cum peccato impropriè tali: ergo &c. Sed contra 1. quia hoc potiùs ſequitur in ejus ſententiâ; aſſerit enim, quòd ignorantia per abſolutionem fiat invincibilis: fac enim, ut homo abſolutus ex eâdem ignorantiâ in eſſe phyſico perſiſtente labatur iterum in ſuos errores; ecce ſi ſimul continuet poſt abſolutionem actus charitatis, & ſimul etiam putet licitum eſſe pejerare, ut mortem evadat, ſimul ſtabit amor Dei perfectus cum perjurio. Quòd ſi dixerit, perjurium tunc non eſſe peccatum, contra eſt; quia ſi ante abſolutionem ob ignorantiam fuit peccatum, cùm eadem perſeveret, licèt non in ratione peccati, ſed in ratione phyſicâ, & in ratione cauſæ peccati, perjurium etiam poſt abſolutionem erit peccatum. In formâ nego N. 276. maiorem; ad probationem dixi, quod oritur ex ignorantiâ, eſſe verè peccatum in ignorantia; & quando dicimus non eſſe propriè peccatum, ſi tamen dicimus, tò *proprie* eſt comparativum reſpectu peccati magis propriè talis; ita ex Ariſt. & S. Thom. notum N. 277. eſt, quòd furans, ut adulteret, eſt fur, & adulter, etſi magis propriè ſit adulter, quàm fur; ita qui ex irâ labitur in blasphemiam, & ex ignorantiâ vincibili in omiſſionem ſacri, ſimul eſt iracundus, & blasphemus, ſed magis eſt iracundus, quàm blasphemus; & ſimul eſt ignorans, & inobediens Eccleſiæ præcepto, ſed magis eſt ignorans, quàm inobediens. Omitto quæ exaggerat *qu.* 14. de cæcitate mentis, & iterum §. 6. *pag.* 99. ubi N. 278. totus eſt in malè credendo, quod nos dicamus ipſam voluntariam cæcitatem, vel ſaltem culpas ad eam ſequentes, eſſe tantùm peccatum impropriè, ſeu pœnas peccati, hoc enim millies negamus; ſunt enim non tantùm pœna, ſed propriè peccata, quæ in ipſâ cæcitate, ut in cauſâ, ſaltem confusè prævidentur, quæque deinde ſucceſſu complentur. Quare tota differentia inter nos, & P. Elizal. eſt, quòd ipſe putat peccari tunc, cùm ponuntur, licèt ſine ullâ advertentiâ peccati ponantur; nos autem dicimus non eſſe nova peccata formalia tunc, cùm ponuntur, ſi ſine advertentiâ peccati ponantur, tunc enim tantùm complentur; ſed eſſe peccata tunc cùm prævidentur in ignorantiâ, & cæcitate tamquam in cauſâ; quare nos reum facimus eo inſtanti, quo futura prævidentur, & non impediuntur in ipſâ cauſâ, ſeu ignorantiâ; reum, inquam, facimus omnium peccatorum, quæ ſecutura ſunt ipſum ignorantem; at P. Eliz. reum facit, dum patrantur deinde ſine advertentiâ.

Objicit 11. 2. *p. lib.* 5. *qu.* 17. §. 4. *à pag.* 119. identitatem noſtræ opinionis cum errore Pelagianorum; 1. quia error iſtorum erat, non peccari ſine conſcientiæ reatu, quod ipſum nos dicimus: ergo opinio noſtra ab eorum errore non differt. Maior patet ex S. Hieron. qui ita querelam Pelagianorum, ſeu Critobuli Pelagiani proponit: *Rogo, quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & cujus rei, quam neſcio pœnas, luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero?* Secundò, quia non habere conſciétiæ reatum, idem eſt per Pelagianos, ac neſcire ſe peccare; ſed hoc idem noſtra ſententia dicit, quòd non peccet, qui neſcit ſe peccare: ergo noſtra ſententia, & hæreſis Pelagianorum non diſtant. Tertiò, quia Pelagiani nòn negabant peccata malitiæ, & infirmitatis, ſed tantùm hoc tertiũ peccati genus, nempe peccata ignorantiæ: ſed noſtra opinio tollit peccata ignorantiæ; ergo incidit in Pelagianorum hæreſim. Minor probatur; quia ſciendo, & advertendo peccare, non eſt peccare neſciendo, & ignorando: ſed noſtra opinio vult omne peccatum ſcienter, & advertenter patrandum eſſe, ut ſit peccatum: ergo &c. N. 279. P. Eliz. D. Hier. Pelag.

Reſpondeo nos tantùm diſtare à Pelagianis, quantùm peccatum à non peccato: Pelagiani negabant peccata ignorantiæ, nos concedimus; negabant ſequentia ad ignorantiam eſſe peccata in ipſâ ignorantiâ, nos concedimus: ergo ſine jure Pelagianiſmus obtruditur. In formâ diſtinguo maiorem: Error Pelagianorum eſt non peccari ſine metu conſcientiæ, ſeu ſine remorſu, nec in ſe, nec in cauſâ, nego maiorem; eſt, quòd ad omne peccatum requiratur remorſus directus, nec ſufficiat indirectus, & in cauſâ, concedo maiorem, & nego minorem, & cõſequentiam; quia nos dicimus ad omne peccatum requiri, & ſatis eſſe advertentiam peccati, vel in ſe, vel in cauſâ; ita qui ex ignorantiâ vincibili ſcire negligit an talis contractus ſit licitus, ut peccet per uſuram, ſatis eſt, ut ea cognoſcatur non in ſe, ſed in ignorantiâ. Hinc patet ad ſecundum, & tertium, cui ſæpius reſpondimus, quòd ipſa ignorantia ſcitur, dum peccatur per ignorantiam, & in ipſâ ignorantiâ tamquam in cauſâ confusè cognoſcuntur peccata ad eam ſequentia, & in eâdem ſunt voluntaria, & tunc omnia, quæ videntur neceſſariò, etſi confusè ſubſecutura, contrahuntur, licèt N. 280.

per

per opera exteriora sequentia, eadem peccata compleantur, ex. gr. homicidium, usura &c. quæ sunt formaliter imputabilia in ignorantiâ. Addo quòd si P. Eliz. 2.p. *lib.5. qu.* 18. §. 4. *pag.* 126. fatetur Jansenium pro suo errore uti illis, quæ Synod. Palæstina, S. Augustin. S. Hieron. contra Pelagianos adduxerunt, quomodò idem P. Eliz. utitur contra nos ijsdem argumentis, quibus Jansenius contra nos utitur?

P. Eliz.

N. 281. Dices cum Eliz. *qu.* 16. §. 6. *à pag.* 122. ubi exagitat Joan. Pontium, quòd si ad omne peccatum requiritur advertentia, quæstio de conscientiâ erroneâ erit de subjecto non supponente, nam ea per talem advertentiam tollitur. Nego antecedens, & probationem; licèt enim advertam, aut dubitem, an conscientia sit erronea, adhuc tamen est erronea circa ea, quæ sequuntur, & scire negligo.

N. 282.

SECTIO VI.

Argumenta M. Palanci.

SUMMARIUM.

Tam pejerans cum scientiâ, quàm cum ignorantia vincibili, peccat perjurio; ille in se, hic in ignorantiâ, libero, n. 284. 285.

Hoc ipso, quòd obedire tenemur conscientiæ vincibili, perjurium non est novum formale peccatum, n. 286.

Nostra sententia tantùm abest, quòd laxa sit, quin est longè strictior oppositâ, n. 288. 289.

Ostendo manifestè, quòd Palancus sibi contradicit, n. 291.

Accedit ad ipsissimam nostram doctrinam; inductio eorum, quæ dicit, n. 292.

Adversarij, dum considerant peccatum, dicunt, quod nos; dum peccata ignorantiæ, negant, quod dixerunt, n. 293.

Dum asserimus ad mortale requiri plenam cognitionem, non venit certum, aut evidens judicium malitiæ, cùm satis sit scrupulus, vel apprehensio non deposita, vel sine justâ ratione deposita, n. 294.

Arguit, quia liceret suadere, ut quis operetur juxta vincibiliter erroneam, n. 295.

Evidenter retorquetur, n. 296.

Directè suadendum alteri, ut vincibilem deponat, n. 297.

Totum argumentum est contra Palanco, n. 298.

N. 283. DOctus iste Salmanticensis *qu.* 7. docet primò, actum sequentem ad conscientiam vincibiliter errantem esse novum peccatum distinctum à peccato ignorantiæ, & habere novam rationem peccati quoad malitiam, non quoad voluntarietatem: ex. gr. siquis ex conscientiâ vincibili erroneâ juret falsum, ait perjurium esse novum peccatum distinctum à peccato ignorantiæ vincibilis, quâ judicat sibi pejerandum, quia si non esset novum peccatum ipsum perjurium, totum peccatum intelligeretur patratum pro signo conscientiæ erroneæ, ita ut voluntas amplius non peccaret sequendo eam conscientiam. Sed contra; quia jam dixi illud perjurium esse peccatum, sed tantùm in causâ, nempe in conscientia vincibili erroneâ, non autem in se, & adæquatè distinctum à peccato ignorantiæ.

Secundò ait *n.* 3. Siquis sciret perjurium esse peccatum, pejerando peccaret; ergo etsi ex ignorantiâ vincibili nesciat esse peccatum, pejerando peccabit. Concedo totum cum hâc differentiâ, quòd qui sciret, peccaret novo adæquatè peccato, ponendo perjurium, quod scit esse peccatum; qui autem vincibiliter nescit perjurium esse peccatum, peccat tum peccato ignorantiæ, tum peccato perjurij, ita tamen ut perjurium sit peccatum in causâ, seu in ignorantiâ, à quâ sicut per Palanco denominatur voluntarium, ita per me idem perjurium denominatur peccatum.

N. 284. Palanc.

Tertiò ait *n.* 11. Ubi est nova difformitas distinctæ, & novæ legi, est novum, & distinctum peccatum: sed posito judicio culpabili erroneo dictante esse pejerandum, est in perjurio nova difformitas novæ legi, nempe legi vetanti perjurium, quæ lex per judicium erroneum de perjurio non erat antecedenter violata; ergo est novum peccatum in tali perjurio. Sed contra; quia lex obligans ne pejerem, obligat quoque ne laborem ignorantiâ vincibili dictante perjurium non esse peccatum, atque adeò non tantùm perjurium, sed etiam peccatum ignorantiæ vincibilis dictantis esse pejerandum, est contra illam legem, ne pejeres. Hoc tamen transmisso, dico, novam dari in perjurio difformitatem, quæ tamen totam rationem peccati formalis habet à libertate dictaminis culpabiliter erronei, dictantis esse pejerandum; ut enim per Palanco ea nova difformitas perjurij habet rationem liberi à libertate ignorantiæ, ita etiam rationem peccati: quæ instantia semper ad manus esse debet, quia insolubilis est. Sanè S. Thom. 1. 2. *qu.* 17. S. Th. *art.* 6. *in corp.* ait: *Peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus; quòd sit humanus, habet ex eo, quòd sit voluntarius; quòd sit malus, habet ex eo, quòd careat debitâ commensuratione ad legem.* Ecce ex hoc textu tantùm abest, ut nostra sententia infirmetur, ut putat Palanco *n.* 13. quin nostra firmatur, & oppo-

N. 285.

oppositа Palanci infirmatur; quæro enim, an ad rationem peccati formalis satis sit, ut actus careat debitâ cum lege conformitate? si satis est, sequitur ignorantiam invincibilem non excusare à peccato formali: si non satis est; ergo ad hoc ut perjurium sit peccatum formale, non satis est, ut sit contra legem, sed necesse est, ut sit contra legem voluntariè ignoratam: ergo perjurium prolatum ab ignorante vincibiliter perjuriû esse peccatum formale, habet totam rationem peccati formalis ab ipsâ ignorantiâ voluntariâ; ergo est peccatum formale in ipsâ ignorantia voluntariâ, licèt ut præcisum à libertate ignorantię sit in se peccatum materiale. Miror autem, quòd Palanco, ut solvat argu- P. Ter. menta P. Terilli *qu.* 17. de Conse. prob. à *n.* 31. volentis idem perjurium procedere posse, modò ab invincibili, modò à vincibili ignorantiâ; sicut autem cùm procedit ab invincibili, perjurium non est in se formaliter peccatum, ita neque cùm ab ignorantiâ vincibili procedit, erit in se formaliter peccatum; miror, inquam, quòd Palanco, ut se solvat ab hoc argumento, & suam tueatur sententiam, recurrat ad doctrinam, quòd actus non sint intrinsecè liberi, quia non dependent essentialiter à cognitione retrahente, adeoque eadem volitio furandi potest haberi, sive adsit, sive desit cognitio proponens illud ut inhonestum. Toto enim hoc concesso, retorquetur: Ut enim idem furtum sit formaliter peccatum, si adsit cognitio inhonestatis, non est formaliter peccatum, si desit; ita dico de perjurio, quòd si adsit ignorantia invincibilis, non est formaliter peccatum; si adsit ignorantia vincibilis, est formaliter peccatum, ita tamen, ut tota ratio formalis peccati oriatur ab ipsâ voluntarietate ignorantiæ, quo modo tota ratio furti formaliter inhonesti oritur non à solâ volitione furti, sed à volitione furti cognitâ, ut inhonestâ; ita ut cognitio inhonestatis non sit cõnotatum, sed pars constituens furtum in ratione formaliter inhonesti, non minùs, ac sit pars constituens furtum in ratione liberi.

N. 286. Confirmo: quia suppositâ conscientiâ culpabiliter errante, vel datur, eâ stante, obligatio pejerandi, vel non datur hæc obligatio? si datur, perjurium non potest esse novum formale peccatum, nam quod est juxta legẽ, & obligationem non est formale peccatum: sed stante conscientiâ vincibiliter errante de pejerando, datur lex, & obligatio pejerandi: ergo perjuriû non est novum formale peccatũ: si non datur obligatio pejerandi, stante dictamine culpabiliter errante de pejerando, non datur tale dictamen, hoc autem est contra hypothesim. Sanè Palanco *qu.* 6. *n.* 97. docet esse peccatum operari contra conscien- Palanc. tiam vincibiliter errantem; ergo non potest dicere, quòd qui juxta eam operatur, peccet novo peccato, quia ut ait *qu.* 10. *n.* 9. ratio universalis erronea (loquitur de vincibiliter erroneâ, ut constat ex titulo quæstionis) quamdiu durat, existimatur recta, & vera à judicante, aliàs non erraret: sed ratio errans, ut sæpe docuit, obligat, quia existimativè est recta, & vera; ergo non minùs obligat, quàm si esset recta, & vera: ergo dicere non potest, quòd peccet novo formali peccato, sequens vincibiliter erroneam, nam existimativè est recta.

Quartò ait *qu.* 8. *à n.* 1. stupendę laxitatis N. esse sententiam, quæ docet ad peccatum pro- 287. priè tale requiri advertentiam malitiæ, ita ut Palanc. nemo peccet, nisi malitiam in suo actu advertat, & ideo Facultas Parisiensis anno Sorben. 1641. doctrinam dicentem, *quòd ad peccandum requiratur, ut penetres, inquiras, examines, & reflectas ad qualitatem, seu malitiam operis*, dixit esse *falsam, & aperire portam ad excusandas excusationes in peccatis*: & Facultas Lovaniensis anno 1657. de eâdem doctrinâ Lovan. censuit *esse contra communia Religionis Christianæ principia, & excusare immanissima peccata*: ergo nostra doctrina est laxissima.

Respondeo, quòd si intelligatur in sensu, N. quo intelligi non debet, esse laxissimam, & 288. falsissimam; esse autem veram in nostro sensu, ut luculenter dixi *sect.* 5. *in object.* 4. Non enim dico, quòd ut peccem requiratur toto tempore advertentia; nec dico, quòd requiratur advertentia reflexa supra advertentiam directam; nec dico, quòd requiratur advertentia perfecta, seu certum judicium malitiæ, sed dico requiri aliquâ actualem advertentiam, aut scrupulum, aut dubium, vel in se, vel in causâ de malitiâ objecti, aut actionis; unde, qui non vult, aut negligit advertere se pejerare, se luxuriosè loqui, se licentiosè vivere, se murmurare, & similia, peccat juxta me mortaliter, quoties pejerat, vel murmurat in re gravi, & quidem non tantùm mortaliter peccat peccato ignorantię voluntariæ, quatenus omittit advertere, & scire, dum cognoscit se teneri advertere ad ea, quæ loquitur, & operatur, sed etiam peccat peccato perjurij, in causâ tamen, ut dixi, ita ut perjurium hodie patratum sit peccatum ex voluntate illâ malè affectâ, & in se peccaminosâ, & in sui causâ, unde tantùm abest, ut nostra doctrina sit laxa, quin est N. strictior oppositâ, ut dixi latè *l. c.* Ego enim 289. volo negligentem nunc scire, an perjurium in materiâ levi sit mortale, & pejerantem

toto

toto deinde anno, peccare nunc mortaliter, non tantùm peccato negligentiæ voluntariæ, sed etiam peccato perjurij, ita ut re ipsâ nunc reus sit omnium perjuriorum, quæ per annum prolaturus est, eaque perjuria sine advertentiâ prolata denominantur peccata à voluntariâ hodiernâ ignorantiâ, in quâ tamquam in causâ sunt peccata formalia: econtra Contrarij dicunt, quòd dum hodie negligo scire, an perjurium per menses sequentes proferendum sit peccatum, dicunt, inquam, me hodie non peccare, nisi peccato negligentiæ, non autem perjurij, nisi dum pejero, ita ut perjurium post mentem proferendum sit peccatum formale in se à libertate hodiernâ, non autem sit peccatum formale in ipsâ libertate hodiernâ tamquam in causâ. Nemo ergo laxat, vel siquis laxat, Adversarij laxant; nam per nos habitualiter pejerans est, veluti fluvius perennis perjuriorum procedens tamquam à fonte ab ipsâ libertate ignorantiæ vincibilis anni elapsi, in quâ est peccatum, & à quâ dicitur peccatû.

N. 290. Palanc. Quintò ait §. 1. *qu.* 8. Certum est dari vera, & propria peccata cum ignorantiâ malitiæ commissa: ergo peccatur sine advertentiâ malitiæ: tale fuit peccatum Sauli, qui licèt ex ignorantiâ persequeretur Fideles, mortaliter tamen peccavit. Nec dici potest Saulum peccasse mortaliter in suo errore, quo tamen supposito non peccavit novo peccato, immò Deo placuit; nam sequitur ex hoc (ait *n.* 13.) Saulum peccasse tantùm peccato negligentiæ, ex quâ ortus est conscientiæ error, non autem peccato blasphemiæ, & crudelitatis in Fideles, adeoque consecutum misericordiam de negligentiâ, non autem de eo, quod ignorans fecit. Imò sequitur Saulum Deo placuisse persequendo Fideles, quatenus supposito errore putabat obsequium se præstare Deo. Rursus nec dici potest Saulum, & alios persecutores sufficientem malitiæ notitiam habuisse; vel enim ad peccandum mortaliter requiritur plena malitiæ notitia, ut nos volumus, hâc autem caruit Saulus, dum Ecclesiam persequebatur; vel satis est ad mortaliter peccandum aliquis scrupulus de malitiâ? & hoc non, tùm quia ultimum conscientiæ dictamen cùm juxta Reflexistas sit evidenter verum, non potest esse scrupulosum; tùm quia scrupulus ex se non facit, quod actio sequens sit mortale, cùm sæpe liceat contra scrupulos operari; tùm quia si scrupulum habuisset, non operatus esset ex ignorantiâ, sed ex malitiæ advertentiâ, & malè allegasset ignorantiam, ut misericordiam consequeretur. Demum dici non potest nostram responsionem, quòd vincibilis ignorantia non excusset à peccato, esse bonam, nam laborat fraude, (ait *n.* 18.) si enim rogemur, quid requiratur, ut error, & ignorantia sit vincibilis, utique dicturi sumus, requiri, quòd adsit aliqua actualis advertentia, aut suspicio malitiæ, quibus deficientibus, error, & ignorantia erunt invincibiles: ergo tandem docemus neminem peccare formaliter, nisi hic, & nunc judicet de malitiâ.

Respondeo hunc Doctorem eò magis ad nostram accedere, quò magis à nostrâ recedit sententiâ; immo se implicat in propriâ, docet enim contradictoria; nam *n.* 21. postquam sibi objecit, quòd peccatum non potest esse liberum, nisi sit cognitum, ait, quòd ut aliquid sit peccatum, *etiam mortale*, & formale, non debet esse voluntarium directè, & formaliter, immò paucissimi sunt peccatores, etiam gravissimi, qui peccent directè, & formaliter volentes peccare, & malè agere; nemo enim intendens in malum operatur, sed satest, quòd sit liberum, & voluntarium indirectè, virtualiter, aut interpretativè, seu in causâ, ut omnes TT. fatentur. Hæc Palanco. Ecce primò, in terminis nostra sententia, quòd, ut perjurium sit peccatum, satis est, ut in causâ sit peccatum, seu in ipsâ ignorantiâ voluntariâ. Ecce secundò, quòd perjurium totam rationem peccati formalis habet ab ipsâ causâ, nó ergo in se, & ratione sui dictum perjurium (prolatum ex errore vincibili, quòd non sit peccatum) est peccatum. Ecce tertiò, contradictoria illis omnibus, quę nobis opponit. Ecce quartò, confusio terminorum, quòd putat peccatum tunc dici directè voluntarium, quando quis peccat, ut peccet, seu ex eo motivo, ut malum faciat; hoc enim pacto vix aliquis peccabit directè: ergo ut peccatum sit directè voluntarium, non est necesse, ut quis ex eo fine peccet, ut peccet, sed satis est, ut cognoscat illud esse in se peccatum, licèt ex aliquo alio motivo illud exequatur. Ecce quintò, dum sequitur communissimam nostram sententiam, quòd ut peccatum sit liberum, satis sit, ut sit liberum indirectè, & virtualiter, & interpretativè, seu in causâ, eò ipso concedit eatenus aliquid esse peccatum, quatenus est liberum: ergo si aliquid sit tantùm liberum in causâ, (ut est perjurium prolatum ex errore vincibili de non malitiâ) eò ipso perjurium erit tantùm peccatum in causâ. Quare dum Adversarij nostras rationes considerant, dicunt quod nos; dum considerant quomodò cum illis cohæreat doctrina de peccatis ignorantiæ, recedunt à nobis; non oportet autem

N. 291. Palanc.

N. 292.

N. 293.

recedere,

recedere, sed combinare, ut nos facimus, doctrinam Catholicam de peccatis ignorantiæ, cum aliâ doctrinâ Catholicâ, quod omne peccatum debet esse liberum, adeoque cognitum, vel in se, vel in causâ: ergo nullum datur peccatum, nisi ejus malitia sit cognita, vel directè in se, vel indirectè in sui causâ; sicut nullum datur, nisi ea malitia sit libera, vel in se, vel in causâ. Omitto, quæ habet à Palanc. P. Eliz. *num.* 22. *ad* 25. nam partim dicit, quod nos, nempe satis esse, ut malitia potuerit actu in causâ prævideri; non potest autem, nisi menti occurrat obligatio prævidendi, aut levis suspicio de tali malitiâ; partim revertitur ad difficillimam doctrinam Eliz. quem tamen non citat, quòd nobis quasi semper occurrere possit notitia malitiæ.

N. 294. In formâ fateor dari peccata commissa cum ignorantiæ malitiâ, & dico esse peccata in ipsâ ignorantiâ, ut enim libera sunt libertate theologicâ, seu instructâ cognitione malitiæ, in ipsâ ignorantiâ, ut etiam Contrarij fateri debent; ita per me sunt peccata in ipsâ ignorantiâ. Rursus, ut non sunt libera in se libertate theologicâ, quia supponitur, dum pejero, nullam adesse cognitionem, nec scrupulum malitiæ perjurij, ita non sunt peccata in se; si enim non sunt libera in se, ut fatentur Adversarij, libertate theologicâ, ita nec sunt peccata in se. Ad reliqua patet; moneo tantum, quòd dum dicimus requiri ad peccatum mortale plenam malitiæ cognitionem, per tò *plenum*, non venit evidens, certum, & perfectum malitiæ judicium; cùm certum sit, quod qui operatur cum scrupulo peccati mortalis, & eum per prudens judicium non deponat, peccabit mortaliter, quia licèt non cognoscat perfectè, ex. gr. an perjurium sit mortale, pertectè tamen cognoscit, quòd pejerare cum scrupulo, aut dubio, an sit mortale, eo scrupulo, & dubio per prudens judicium non depositio, est mortale.

N. 295. Palanc. Sextò ait *qu.* 12. ubi postquam *n.* 2. docuit non esse licitum inducere proximum conscientiâ vincibili erroneâ laborantem, ut juxta eam operetur, subdit hoc ipsum licitum fore juxta P. Teril. & nos, qui docemus non esse intrinsecè malum operari juxta conscientiam vincibiliter erroneam, nec opus ad eam sequens habere novam rationem malitiæ superadditam peccato erroris; nam, juxta nos, datur lex reflexa jubens sequi conscientiam vincibiliter erroneam, & voluntatem Dei complacere in illo actu, quo operor juxta dictam conscientiam: ergo licitum erit suadere proximo conscientiâ vincibili erroneâ laboranti, ut eam sequatur. Consequentia probatur primò; quia, juxta nos, non induceret ad peccatum, cùm supposito conscientiæ errore nullum à nobis in ejusdem conscientiæ sequelâ cognoscatur peccatum. Secundò, quia licitum est cuique suadere, ut sequatur, quod Deus jubet: sed Deus, per nos, jubet suâ lege reflexâ, ut sequamur conscientiam erroneam: ergo &c. Tertiò, quia licitum est suadere actum, in quo Deus sibi complacet; sed complacet in sequelâ conscientiæ erroneæ; ergo &c. cùm autem hæc absurdissima sint, etiam antecedens tale erit.

Sed contra evidenter retorquetur primò: N. 296. quia Palanco *qu.* 11. docet conscientiam magis obligare, quàm præceptum Prælati, loquitur autem de vincibili erroneâ, & dat rationem; quia conscientia obligat non virtute propriâ, sed vi legis Divinæ, quam nobis intimat, ait *n.* 2. quod clariùs repetit *num.* 9. immò *qu.* 6. §. 6. *n.* 97. dixerat, quod conscientia vincibiliter erronea obliget ad sui sequelam, ita ut si non deponatur, peccatum sit eam non sequi. Ecce igitur sive detur lex Dei reflexa obligans (ut ait P. Teril.) sequi conscientiam quamcumque, sive rectam, sive erroneam, vincibilem, aut invincibilem; sive ea lex reflexa non detur, sed ad summum detur lex Dei reflexa obligans sequi conscientiam rectam, sive sit verè recta, sive putativè recta, ut vult Palanco *quæst.* 6. §. 4. *num.* 59. certissimum tamen hoc est tam juxta Palanco, quàm juxta P. Teril. & nos, quemlibet teneri sequi conscientiam vincibiliter erroneam, eâ non depositâ: ergo homini conscientiâ vincibili erroneâ laboranti licitum cuique erit suadere illi, ut si eam non deponat, juxta eam operetur: quia licitum est suadere id, ad quod Deus obligat: sed Deus hominem conscientiâ erroneâ vincibili non depositâ laborantem obligat ad eam sequendam: ergo licitum mihi erit suadere homini laboranti errore vincibili, eo non depositio, ut juxta illum operetur. Ecce igitur vel nullum absurdum in asserendo quòd liceat suadere laboranti ignorantiâ vincibili, ut eâ non depositâ, juxta eam operetur; vel siquod est absurdum, idem sequitur, tam in sententiâ Palanci asserente novum omnino formale peccatum in sequendo, & exequendo opus conforme conscientiæ vincibili erroneæ, quàm in nostrâ negante. Contra secundò, dico enim non licere directè suadere alteri, ut sequatur conscientiam vincibiliter erroneam, sed directè suadendum, ut eam deponat; quòd si deponere nolit, eo ipso homo ille jam habebit notitiam sufficientem, & actualem advertentiam malitiæ insitæ operi dictato à conscientiâ N. 297.

entiâ erroneâ, & sic jam cognoscet se peccare novo peccato : non est autem licitum suadere alteri, ut ponat opus, quod suadens cognoscit esse peccatum: ex. gr. putat quis per errorem vincibilem quòd perjurium in re levi non sit mortale: ego teneor eum directè docere, quòd sit mortale;eò autem ipso quod illi dico esse mortale, immò cùm, juxta nos, numquam detur novum peccatum sine novâ advertentiâ, & numquam detur ignorantiâ vincibilis, quòd perjurium non sit mortale, sine advertentiâ actuali de ipso peccato in ipsâ causâ perjurij, seu in ipsâ ignorantiâ vincibili, eò ipso non licet suadere alteri, ut pejeret, non tantùm, quia suaderet rem ex se intrinsecè malam, sed etiam ab ipso pejerante cognitam saltem ex levi advertentiâ ut malam : nam, juxta nos, qui laborat ignorantiâ vincibili, quòd perjurium non sit mortale, eò ipso advertit in ipsâ ignorantiâ se peccare, nec non etiam se peccare ponendo opus, quod non examinavit, ut debet, an sit peccatum. Hinc totum argumentum est potiùs contra Palanco, qui negat necessariam esse actualem advertentiam ad ignorantiam vincibilem, & ad peccatum. Imò, quod mirabile est, *qu.* 12. *n.* 7. quærit, quid faciendum, quando proximus laborat ignorantiâ invincibili; & ait in eo casu nos nec licitè posse consulere, quod juxta eam, nec quòd contra eam operetur, sed tenemur eum ab errore liberare. Hæc Palanco. Sanè si tenemur liberare ab errore docendo verum illum, qui est in errore invincibili, qui plerumque longè difficiliùs eraditur, quam error vincibilis, quia ignorantia invincibili laborans nullum habet prudentem de suo errore scrupulum, & judicium; quantò magis tenebimur liberare illum, qui errore vincibili laborat, cùm, juxta nos, omni vincibili errori semper jungatur actualis prudens formido de eodem?

N. 298. Palanc.

SECTIO VII.

Argumenta M. Norberti de Elbecque.

SUMMARIUM.

Laudatur P. Gabriel de la Chiusa, n.299.
Argumenta M. Elbec. n.300. 301.
Solutio, ibid.
Non dico, quòd ad peccatum necessaria sit cognitio reflexa, satis est exercita malitiæ, n.302.
Trahit S. Bernardum, n.303.
Trahere deberet Patres dicentes non esse de necessitate peccati, & ignorantiæ vincibilis advertentiam, n.304.
Utrumque dogma salvandum, quòd ad peccatum necessaria sit advertentia, & quòd dentur peccata ignorantiæ; Adversarij primum non salvant, n. 305.
Quo sensu Sorbona, & Lovanium damnent necessitatem advertentiæ ad formale peccatum, n.306.
Juxta me satis advertentia in se, vel in causâ, n.307.
DD. quos pro se trahit, stant pro nobis, n.308.
Arguit, quia dantur peccata ignorantiæ, & hanc rationem vocat peremptoriam, n. 309.
Ut dentur peccata ignorantiæ, satis per nos est, ut ea non cognoscantur directè in se, necesse tamen, ut in sui causâ cognoscantur esse peccata, n.310.
Nostrum fundamentum confirmat, dum infirmat, n.311.
Propriâ doctrinâ convenitur, n.312.
Peccatum Philosophicum, n.313.

REverendissimus P. Gabriel de la Chiusa, Sereniss. Mariane Caroli Secundi Regis Hispaniarum prædilectæ Consortis Confessarius, vir ob religiosi instituti austeritatem, & morum probitatem Deo æquè, ac hominibus charus, cuique nihil est, quod Societas Jesu non debeat, cùm nihil sit, quod non mereatur, & quod mirere, non rogatus ultrò eam ubique, sive præpotenti Reginæ suæ, sive religioso suo patrocinio, aperto Marte, tuetur, legendam mihi obtulit Theologicam dissertationem M. Elbecque, doctissimæ Prædicatorum Familiæ illustre decus; licèt autem certum mihi sit vix aliquid objici posse, quod solutum non sit, nolo tamen præterire, quæ diserto calamo contra nostrâ sententiam edisserit. N. 299. P. de la Chiusa.

Itaque *art. 6. conclus.* 1. ait non requiri ad formaliter Theologicè peccandum actualem advertentiam ad peccati malitiam, imò *conclus.* 2. ait, nec requiri advertentiam virtualem. N. 300. M. Elbec.

Probat primò; quia de fide est dari peccata ignorantiæ : ergo peccatur, quin advertatur. Sed contra; quia quàm falsâ sit consequentia, constat ex dictis.

Probat secundò ex PP. nam S. August. *lib.* 1. *Retract. cap.* 15. ait : *Qui nesciens peccavit, quia voluit fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit : ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate factâ, non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit*: ergo (ait §. 2. *n.* 1. *pag.* 251.) opera ex ignorantiâ juris naturalis facta non sunt involuntaria, etsi sic operans, nesciens peccaverit; cùm enim ipsi facto, quod cognoscit, sit intrinseca malitia, eò ipso quod cogno- N. 301. S. Aug.

cognoscit factum, cognoscit peccati sui speciem. Sed contra primò, quia si cognoscit peccati speciem, eò ipso peccat cum cognitione peccati; ergo non peccat sine cognitione. Contra secundo, quia sicut S. August. dividit voluntatem facti à voluntate peccati, ita etiam cognitio facti separanda est à cognitione peccati. Contra tertiò, quia nos non N. 302. dicimus, quòd ut quis peccet cum advertentiâ, reflectere debeat supra malitiam, non enim idem est advertentia peccati, ac cognitio reflexa peccati, cùm satis sit advertentia exercita, ut supra dixi; ergo sibi tribuat, si nos non intelligit, confundens advertentiam exercitam peccati, quam volumus necessariam, cum reflexâ, quam negamus necessariam. Addo me suprà explicuisse eum S. Augustini textum, & eo contra Catholicos, nec non etiam alijs, quos trahit *l.c.* M. Elbecque, ututur Janienistæ, ut contra Catholicos probent invincibilem ignorantiam non excusare.

N. 303. M. de Elbecq. Sorben. Probat tertiò ex S. Bern. *lib. 1. de Præcept. & dispens. cap. 14.* dicente, *Sive malum putes bonum, quod forte agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum est.* Sed contra, tum quia hoc probat invincibilem ignorantiam non excusare; tum quia dum S. Bern. ait, *putes*, quod idem est, ac *judices*, eò ipso ad summum negat non esse de necessitate ignorantię vincibilis judicium, non autem non esse necessariam advertentiam peccati; quare Elbecque trahere debet textus Patrum dicentes non esse de necessitate peccati, nec ignorantiæ vincibilis advertentiam. Omitto textum S. Hieron. quem antè explicui. Miror autem quomodo Elbecque N. 304. *n. 9. pag. 256.* dicat, nihil amplius desiderari posse ad nostri dogmatis refutationem, quandoquidem Scriptura, & PP. non tantùm nostram sententiam, sed etiam nostrum loquendi modum, & terminos, & phrasim refutant; dicunt enim nesciendo peccare, qui per imperitiam cadunt, qui sibi licere putant, quod malum faciunt. Sed contra; quia quod PP. dicunt, verum est, at ubinam dicunt, per hoc quòd ignoranter peccetur, ideo peccetur sine omni advertentiâ, cùm semper asserant advertentiam esse necessariam, ut objectum sit voluntarium, liberum, N. & peccatum. Debet igitur utrumque dogma salvari, nempe quòd ad peccatum necessaria sit advertentia, & quòd adhuc peccent homines sæpe ex ignorantiâ: dicere autem, quòd dum peccatur ex ignorantiâ, peccetur sine advertentiâ, est negare primum: quare aliud est, quòd non advertatur peccatum in opere sequente ad ignorantiam, & hanc advertentiam esse necessariam negant PP. & nos; aliud quod non advertatur peccatum in opere sequente ad ignorantiam; non advertatur, inquam, in ipsâ ignorantiâ, & in ipsis malis passionibus, & affectibus liberis, ad quos sequuntur plura peccata; & hanc advertentiam esse necessariam docent PP. & nos: igitur ignorantia est non advertentia peccati in opere sequente ad illam; non autem est non advertentia peccati in ipsâ ignorantiâ, aut liberâ pravâ passione, & operis in ijsdem. De Synodo Palæstinâ latè dixi suprà.

Dices ex Elbecque §. 3. *n.* 3. opinionem, N. quę ad peccandum formaliter requirit ad- 306. vertentiam ad malitiam, fuisse sæpe damnatam ab Universitate Sorbonensi, & Lovanienſi, & pluribus Episcopis, tamquam scandalosam, falsam, pernicioſam &c. Respondeo in hoc sensu esse damnatam, nempe quòd requiratur semper advertentia peccati in se, ita ut non satis sit advertentia peccati in suâ causâ; non autem esse damnatam, nec damnabilem in sensu disjuncto, quòd necessaria sit advertentia peccati, vel in se directè, vel indirectè in suâ causâ. Igitur qui inferunt, ex eo quia affirmamus ad omne peccatum requiri semper advertentiam peccati, inferunt, inquam, nos affirmare, quòd semper requiratur advertentia peccati in se, nos non intelligunt: nos enim affirmamus ad N. peccatum necessariam semper esse adverten- 307. tiam, sive in se, sive in causâ; negamus autem esse semper necessariam determinatè advertentiam peccati in se; & quia sæpe non distinguitur non tantùm ab Adversarijs, sed etiam ab aliquibus, qui non omnia verba ponderant in suâ doctrinâ, ideo isti dederunt occasionem damnatę; Adversarij autem, quia non est necessaria advertentia peccati in se, intulerunt ad peccandum formaliter nullam peccati advertentiam necessariam esse.

Probat quartò ex S. Thom. & Thomi- N. stis. Sed contra; quia suprà ostendi pluribus 308. D. Thomæ textibus, eum stare pro nostrâ M. de sententiâ. Contra secundò, quia quidquid sit Elbecq. an DD. quos citat Elbecque §. 5. reverà S. Th. doceant non dari invincibilem juris naturæ ignorantiam; quidquid, inquam, sit, hoc scio non esse ad rem: aliud enim est non dari invincibilem juris naturę ignorâtiam, atque adeo peccare omnem, qui contra jus naturæ operatur; aliud quòd ille peccet sine advertentiâ; immò si omnis juris naturę ignorantia est vincibilis, eò ipso datur advertentia ad ignorantiam: ergo ex eo quòd omnis, qui contra jus naturæ operatur, peccet, non infertur peccare sine advertentiâ peccati; imò

infertur peccare semper cum aliquâ peccati advertentiâ, cùm omnis juris naturæ ignorantia sit, ut vult, vincibilis. Contra tertiò: Longè plures, & fortè nobiliores retuli pro me Thomistas, quàm pro se Elbecque refert, immò quos refert, sunt contra eum; nam Conradus eò ipso quòd dicit, *permittit peccatum, & non cogitat, sed tantum deberet cogitare, & imputatur sibi propter negligentiam peccatum*, dicit quòd nos, nempe peccare in negligentiâ, quia non cogitat ut debet; tò autem *debet*, intelligendum est, *debet moraliter*; ergo debet cognoscere tale debitum. Similiter Gonetus stat pro nobis, nam expresè ait, quia licèt talis carentia cognitionis, seu advertentiæ malitiæ peccati, & difformitatis ejus ad legem naturalem, non sit voluntaria directè, & in se, benè tamen indirectè, & in suâ causâ, nempe in pravis affectibus concupiscentiæ, & in passionibus, quas aliqui voluntariè non reprimunt, & quibus Divinę illuminationi obstaculum culpabile ponunt, ut ait S. Ambros. *Errat oculus, ubi errat affectus, affectûs ergo deceptio, est deceptio visûs.* Hæc ferè ad verbum Gonetus. Ergo qui ex ignorantiâ voluntariâ operatur contra legem, peccat in eâdem ignorantiâ, & cognoscit se suis peccaminosis affectibus cæcare intellectum, adeoque ea opera cognoscit esse peccata in ipsis ignorantiæ causis, quæ sunt, & quas cognoscit esse peccaminosas. Demum Sylvius tuetur nostram sententiam, dum asserit ad peccatum satis esse inadvertentiam indirectè voluntariam, quando alicui per ejus negligentiam accidit, quòd nulla ei cogitatio obvenerit. Ecce refundit peccatum sequens ad negligentiam in ipsam culpabilem cogitandi negligentiam, quæ non potest esse sine advertentiâ.

Conrad.

Gonet.

S. Amb.

Sylvius.

N. 309. M. Elbec.

Probat quintò, §. 6. *pag.* 284. hâc ratione, quam *n.* 1. vocat peremptoriam, immò *n.* 2. dicit esse demonstrationem veluti Mathematicam. Dantur peccata ignorantiæ: ergo peccari potest sine ullâ peccati advertentiâ. Antecedens est de fide; consequentia, inquit, est evidens: nam si ad peccandum formaliter requiratur notitia malitiæ; ergo solùm peccat, qui novit; ergo non peccat, qui non novit; ergo non peccat, qui ignorat; ergo nemo peccat ignorans: ergo non dantur peccata ignorantiæ. Confirmat: quia ignorantia, & scientia opponuntur privativè, & consequenter mutuò se excludunt, adeo ut, quantum substituis cognitionis in operante, tantum ignorantiæ detrahas, necesse sit: ergo si ad peccandum requiritur scientia, numquàm *verè* ex ignorantiâ peccabitur. Peccatum enim ignorantiæ dici nequit, quod peccatum esse negatur, nisi in quantum cognoscitur; & hoc est, quòd SS. PP adeo urgebant contra Hæreticos, nimirum peccata ignorantię nulla dari, si ad peccandum peccati notitia requiritur. Respondeo N. 130. hoc argumentum ad evidentiam solutum esse: ut tueamur peccata *verè* ex ignorantiâ, satis est, ut ea non cognoscantur directè in se, ut sunt omnia, quę sequuntur ad ignorantiam vincibilem, hæc enim omnia ignorantur esse in se peccata; non autem ut *verè* dentur peccata ignorantiæ, necesse est, ut non cognoscantur indirectè, & in sui causâ esse peccata, immò necesse est, ut cognoscantur esse peccata in sui causâ, nempe vel in causis ignorantiæ, quales sunt omnes voluntariæ passiones, & pravæ affectiones, vel in ipsâ ignorantiâ culpabili. Judicet modò discretus Lector, an ratio sit peremptoria, an sit demonstratio Mathematica, an talis sit ut à nobis infirmari non possit.

Probat sextò, evertendo nostrum fundamentum. Si ad peccandum requireretur aliqua peccati notitia, ideo esset, quia aliàs peccatum non foret satis voluntarium: atqui etiamsi nulla adsit peccati notitia, peccatum potest esse sufficienter voluntarium: ergo ruit præcipuum nostrum fundamentum. Maior, inquit, est noster veluti Achilles. Minor probatur ex S. Thom. 1.2. *qu.* 6. *art.* 3. Tunc dicitur aliquid voluntarium indirectè, & reducitur sicut in causam in agens, ex eo quòd non agit, cùm potest, & debet agere; sive, ut ait *art.* 8. *cùm aliquis actu non considerat, quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens; sive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere.* Sed non infrequenter contingit peccantè sic esse pravè dispositum, nempe quoties *scienda nescit, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi*, ut loquitur D. Bern. aut etiam negligentiâ orandi, atque reverà sic semper contingere, dum ex ignorantiâ quidpiam sit legi naturali adversum, ut fusè probavit *art.* 4. ergo sufficiens voluntarium ad peccatum reperiri potest, etiam dum nulla habetur peccati suspicio. Sed contra; quia tantùm abest, ut ratio adducta evertat nostrum fundamentum, quin evertit sententiam oppositam; ut enim expresè asserit *art.* 7. §. 3. *n.* 2. *pag.* 318. vult ad peccatum necessarium esse, & sufficere voluntarium indirectum, & illud voluntarium reperiri in eo, qui quidpiam agit intrinsecè malum, quamvis non attendat ad actionis suę perversitatem; quia nimirum semper ex negligentiâ

N. 311. M. Elbec.

S. Th.

S. Bern.

N. 312. M. de Elbec.

gentiâ ejus est, quòd non reflectat ad actionis suæ malitiam; ignorantia autem, quæ est ex negligentia, est indirectè voluntaria, & ad culpam imputatur. Similiter *l.c.n.*3. postquàm explicuit axioma, Nihil volitum, quin præcognitum, nempe nihil volitum directè, quin præcognitum, verum est; nihil volitum indirectè, falsum, si debeat esse præcognitum actu, satis enim est, ut sit præcognitum potentiâ; subdit: *Sufficit igitur, quod possit aliquid cognosci, ut censeatur indirectè volitum, ad volitionem scilicet ejus, quocum indivisibiliter conjunctum est.* Et si hoc sit Adversarijs velle, & cognoscere virtualiter, & interpretativè, nihilque aliud requirant ad peccandum formaliter, nobiscum, & (utì reor) cum Ecclesiâ Catholicâ loquuntur. Hæc Elbecque. Ecce vult ad peccatum satis esse voluntarium indirectum; & quoad hoc verum dicit, non tamen quoad hoc, quòd voluntarium indirectum non prærequirat cognitionem indirectam, seu in causâ; ut enim directè volitum debet esse directè præcognitum, ita indirectè volitum debet esse indirectè præcognitum; immò sicut omne indirectè volitum supponit aliud directè volitum, in quo illud, quod dicitur indirectè volitum, sit volitum; ita à pari omne indirectè præcognitum præsupponit aliud, quod est directè cognitum, & in quo illud, quod dicitur indirectè præcognitum, sit cognitum. In casu nostro opera sequentia ad ignorantiam vincibilem cognoscuntur ut mala in dictâ ignorantiâ; ipsa autem ignorantia cognoscitur ut mala in negligentia, & alijs causis ejusdem ignorantiæ: ergo sicut opera sunt libera indirectè in ignorantiâ, & causis ignorantiæ directè volitis, ita cognoscuntur indirectè in eâdem ignorantiâ, & hujus causis directè cognitis ut malis.

N. 313. M. Elbec. Alex. VIII.

Probat 7. quia sequitur (ait *pag.* 287. §. 7. *n.* 1.) *quòd qui Deum ignorat, aut de Deo actu non cogitat, quantumvis grave peccatum committat, non peccabit*, nisi fortè philosophicè, quæ est opinio damnata ab Alexandro VIII. Sed contra; quia cùm per me, & ferè omnes invincibilis ignorantia Dei repugnet, eò ipso omnis talis ignorantia erit vincibilis, vel in se, vel in sui causâ; ergo semper habebit aliquam Dei cognitionem, vel directe, vel indirectè in causâ dictæ ignorantiæ, & in ipsâ ignorantiâ. Omitto alia absurda, quæ sunt ad evidentiam soluta.

SECTIO VIII.

Dubium Theologicum, quandonam omissio imputetur ad culpam?

§. I.

Prima sententia.

SUMMARIUM.

Occasio dubij, & status quæstionis, n.314.
Prima sententia ait, omissionem imputari ad culpam, quando instat præceptum, n.315.
Rationes, n.316. 317.
Rejicitur, quia implicat peccatum externum sine interno, n.318.
Omne præceptum affirmativum duo dicit, unum directè, aliud indirectè, n.319.

OCcasione peccati ad ignorantiam vincibilem sequentis, seu peccati in causâ sua tantùm voluntarij, oritur dubium, quãdonam imputetur ad culpam peccatum sequens ad vincibilem ignorantiam, seu peccatum in suâ tantùm causâ voluntarium? Hoc autem tam quæri potest de peccato omissionis, ex. gr. quandonam omissio sacri imputetur ad culpam illi, qui se somno tradit, ob quem prævidet omissurum sacrum; quàm de peccato commissionis, ex. gr. quandonam homicidium imputetur ad culpam ei, qui se inebriat, & ad ebrietatem secuturum homicidium, aut pollutionem prævidet. Porro, ut distinctè procedam, afferam quid alij Theologi inter se pugnantes sentiant; deinde meam mentem explicabo; puto enim plurimùm misceri de nomine, & parùm de re; & conscientiæ perinde esse quãcumque sententiam. Quia autem prę alijs hoc egregiè tractat M.Godoy *tom.* 1. *in* 1. 2. *d.* 24. pleraque ex eò sumam, neque enim pudet me tam præclari Magistri discipulum esse, cùm ejus doctrina quantum trahit ad se intellectum meum, tantundem ejus modestia meam captivat voluntatem. N. 314. M.God.

Prima sententia ait, tunc tantùm omissionem imputari ad culpam, quando instat præceptum omittendi actum externum. Ita Marsil. in 2. *qu.*21.*art.*2. *concluſ.*4. Altisiod. *lib.* 2. *tr.* 29. *cap.* 1. & solet etiam tribui S. Thom. 2.2. *qu.*79. *art.*3. *ad* 3. N. 315. Marsil. Altisiodor.

Probant primò ex S.Thom. 1. 2. *qu.* 71. *art.*3. *ad* 3. *Dicendum, quòd peccatum omissionis contrariatur præcepto affirmativo, quod obligat semper, sed non ad semper, & ideo solùm pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat*: ergo cùm præceptum affirmativum audiendi sacrum non obliget ante horam duodecimam, quâ quis N. 316. S. Tho.

quis se somno tradit, ante illam horam illud non violatur: ergo dans causam omittendi non peccat ante eam horam.

N. 317. Secundò, quia præceptum non violatur, nisi pro tempore, pro quo obligat: sed præceptum audiendi sacrum non obligat pro semper, sed tantùm pro horâ duodecimâ; ergo tunc tantùm violatur; ergo ponens causam omissionis ante dictam horam non peccat.

N. 318. Verùm hæc sententia nullatenus sustineri potest; 1. quia implicat peccatũ externũ sine peccato interiori: sed si qui dat causam omissionis sacri, non peccaret, nisi quando instat tempus audiendi sacrum, nempe horâ duodecimâ, sequeretur, quòd daretur peccatum exterius sine ullo peccato interiori, nam horâ duodecimâ, supponitur, quòd omittens dormiat, implicat autem, ut dormiens peccet formaliter; ergo implicat, ut tunc tantùm peccet omittendo sacrum, quando est hora duodecima; ergo peccavit priùs, dum se somno dedit, prævidens ab eo secuturam omissionem sacri, quæ omissio incepit esse peccatum in somno, tamquàm in causâ liberâ. Secundò, quia sicut volitio, sive expressa, sive interpretativa, occidendi (idem dico de alijs præceptis) est peccatum, etsi non sequeretur homicidium; ita volitio, sive expressa, sive interpretativa, omittendi sacrum, est peccatum, etsi ad eam non sequeretur omissio sacri: ergo falsum est, tunc tantùm omissionem imputari ad culpam, quando instat præceptum, & actus omittitur; cùm certum sit priùs saltem contrahi peccatum, dum volo, sive expressè, sive interpretativè, (ut accidit in nostro casu) omissionem sacri, in ipso somno tamquam in causâ impeditivâ sacri.

N. 319. S. Tho. Rationes oppositæ non urgent. Non prima; quia S. Thom. vult tantùm, quòd præceptum affirmativum sacri non violetur per omissionem, nisi cùm instat præceptum; non autem vult, non violari illud idem per positionem causæ usque ad illud tempus; nam omne præceptum affirmativum duo importat, quorum unum præcipit directè, nempe talem actum Fidei, Spei, Religionis &c. aliud præcipit indirectè, seu potiùs vetat, nempe, nè ponatur causa impeditiva actus præcepti pro tempore præcepto. Hinc patet ad secundam rationem; qui enim somno se tradit, violat præceptum sacri, quatenus vetat somnum impeditivum sacri, adeoque dum somno se tradit, violat præceptũ illud affirmativum, quâ parte est negativum, & ideo, etsi quis expergefactus ante duodecimam retractaret suam voluntatem, & postea sacrum audiret, adhuc teneretur in confessione aperire, se habuisse volitionem omittendi sacrum; peccavit igitur, dum voluit omittere, & non tantùm, dum omisit.

§. II.

Secunda, & vera sententia.

SUMMARIUM.

Vult tunc tantùm peccari, cùm ponitur causa omissionis, non cùm ponitur omissio, quæ est tantum effectus peccati, DD. n.320.

Arist. ait, per vitæ dimidium felicem à misero non differre, n.321.

Ut somnus est tantùm denominativè liber, ita omissio sequens ad illum, n.322.

Responsio M. Godoy, n.323.

Impugnatur, n.324.

Non repugnat, ut aliquid sit effectus, & recipiat denominationem à suâ causâ, n.325.

Sicut voluntarium aliud in se, aliud in causâ, ita liberum, n.326.

Omne liberum in se est à se liberum; omne liberum in causâ est a sui causâ liberum, n.327.

Tota differentia erit de voce, n.328.

Confirmatio doctrinæ, n.329.

Absurda ex sententiâ citandâ, quia implicat, ut duo æquali malitiâ idem volentes, unus magis peccet, quam alter, & quia homo dormiens ritè absolveret, n.330. 331.

Licèt ad meritum plus requiratur, quàm ad demeritum, eadem tamen libertas, n.332.

Responsio M. Godoy, n.333.

An videns se reddi impotentem ad jejunium, contractâ infirmitate toties peccet, quoties non jejunat, n.334.

Quid dicat M. Godoy, n.335.

Eadem in re utilitas, sive hanc, sive citandam sequamur sententiam, n.336.

SEcunda sententia ex toto oppositæ primæ N. 320. P. Vasq. P. Gran. ait, tunc tantùm peccari, quando ponitur causa voluntaria omissionis, non autem quando sequitur pro suo tempore omissio, ita ut omissio sit tantùm effectus peccati, non peccatum. Ita P. Vasq. 1.2. *d.* 34. *cap.*3. P. Gran. *tr.*4. *de Peccat. d.*3. *n.*7. & alij.

Pluribus hæc sententia probatur: primò, N. 321. S. Th. quia S. Thom. 2.2. *qu.*154. *art.* 5. *in corp.* ait: *Nocturna pollutio numquam est peccatum, sed quandoque sequela peccati præcedentis*: idem docet in 4. *dist.* 9. *qu.* 1. *art.* 4. ergo etiam omissio actus debiti contingentis in somno numquàm erit peccatum, licèt aliquando sit sequela peccati antecedentis. Accedit Arist. *lib.* 1. *Eth. cap.* 2. *&* 3. dicens, *quòd secundum dimidium vitæ, seu somnum, non differat felix à misero,* Arist.

misero, nec vitiosus à studioso, differret autem, si omissio sacri in dormiente voluntariè, esset peccatum: ergo &c.

N. 322. Secundò, quia de ratione peccati est libertas, & prout est peccatum, talis debet esse libertas: ergo de ratione peccati actualis est libertas actualis: ergo cùm omissio sequens ad somnum non sit actu libera, eò ipso non est actuale peccatum; immò sicut eadem omissio non est libera nisi denominativè à libertate præteritâ, ita eadem omissio non erit nisi denominativè peccatum à volitione præteritâ peccaminosâ imperante somnum impeditivum auditionis sacri, atque adeo omissio sacri erit peccatum tantùm in causâ, non in se. Confirmo: Somnus, qui immediatè procedit à volitione peccaminosâ, non est nisi denominativè liber: ergo multò magis omissio, quæ procedit immediatè à somno, non erit nisi denominativè libera: ergo non nisi denominativè erit peccatum, seu non erit nisi peccatum in causâ, non autem in se.

N. 323. Neque verò sufficit dicere cum M. Godoy à *n.* 28. *ad* 31. quòd licèt hoc argumentum petitum à libertate sit urgens, attamen unicè probat, quòd omissio secuta ad somnum non sit peccatum à se, quod ultrò concedit; at non probat non esse peccatum in se à causâ denominante; & subdit, quòd Doctores secundæ sententiæ taliter docent omissionem esse voluntariam, & peccaminosam in causâ, quòd denominatio peccati sistat in causâ, nec transeat à causâ ad omissionem in se; nos autem (inquit) dicimus denominationem peccati non sistere in causâ omissionis, sed transire ad ipsam omissionem, ut à causâ distinguitur, non ita quòd ei omissioni conveniat libertas, & malitia à se, sed taliter, quòd illi conveniat in se per denominationem à causâ. Hæc Godoy.

M God

N. 324. Sed contra primò: quia nullus ex Patronis secundæ sententiæ negat omissionem denominari peccatum ab ipsâ volitione formaliter peccaminosâ, imperante somnum prævisum impeditivum auditionis sacri; immò omnes apertè docent eamdem omissionem esse denominativè peccatum à dictâ volitione; ita ut ipsa volitio somni sit formaliter in se, & per se ipsam peccatum: ipsa autem omissio sacri prævisa sit denominativè peccatum à volitione peccaminosâ, & sit formaliter peccatum in ipsâ volitione: eo modo, quo volitio occidendi est formaliter in se, & per se ipsam peccatum; occisio autem, seu actus exterior est denominativè peccatum ab eâdem volitione, & est formaliter peccatum in ipsâ volitione. Neque verò obesse potest, quòd eadem omissio sacri sit effectus peccati, seu volitionis peccaminosæ; ergo non potest esse peccatum denominativè à volitione. Non, inquam, obest, ut aliquid sit effectus, & simul suscipiat denominationem à suâ causâ, ut patet in occisione, quæ est effectus volitionis occidendi ab hâc volitione peccaminosâ imperatus, & simul ab eâdem volitione ea occisio denominatur peccatum: similiter effectus denominatur *productus* à causâ efficiente ejusdem effectus: ergo per hoc quòd omissio sacri sit quasi effectus imperatus à volitione peccaminosâ somni cum ea omissione connexi, non fit, quòd ab eâdem volitione peccaminosâ ea omissio non denominetur, immò denominatur peccatum. Hoc eò magis urget, quò verior est opinio, quòd nulli actui præterquam voluntatis conveniat intrinseca formaliter honestas, & malitia; atque adeò omnis actus exterior, aut ejus actus exterioris omissio, in se, nec est formaliter peccatum, nec est formaliter honestum, sed purè denominativè honestum, aut peccatum à volitione formaliter per se, & in se inhonestâ, aut honestâ, & ijdem actus, vel omissiones potentiarum à voluntate diversarum sunt tantùm in volitione, à quâ procedunt, inhonesta, vel honesta, seu tantùm peccatum in ipsâ volitione peccaminosâ.

N. 325.

Contra secundò: quia sicut per omnes TT. duplex est voluntarium, aliud in se, aliud in causâ; ita duplex est liberum, aliud in se, ut sunt actus immediatè procedentes à potentiâ liberâ, nempe actus voluntatis; aliud in causâ, ut sunt actus imperati ab ijsdem voluntatis actibus: ergo etiam duplex est peccatum, aliud in se, aliud in causâ. Vel igitur omissio sequens ad somnum est libera in se, & hoc non; immò implicat ut sit libera in se, cùm procedat immediatè à somno, qui tollit omnem libertatem, & cognitionem prærequisitam ad libertatem: ergo neque omissio erit peccatum in se. Vel eadem omissio sequens ad somnum est tantùm libera in causâ, nempe in volitione imperante somnum prævisum impeditivum sacri, & sic eadem omissio erit tantùm peccatum in sui causâ, & non nisi denominativè erit peccatum à causâ. Dicere autem eam omissionem sequentem ad somnum esse liberam in se, sed non à se, est tollere celebrem divisionem liberi, in liberum in se, & liberum in causâ: omnes enim supponunt omne liberum in se esse à se liberum; & omne liberum in causâ esse à sui causâ liberum, omne enim liberum, præter Primum Liberum,

N. 326.

N. 327.

berum, est ab aliquo efficienter liberum, nec de hoc dubitatur : ergo omne liberum in se, est à se liberum : ex. gr. volitio est libera à se, non quòd non sit producta, est enim producta ; sed dicitur libera à se, quatenus est libera à voluntate in se liberâ; & omne liberum in alio est ab alio liberum, non quòd ab alio non sit productum, de hoc enim non dubitatur, sed quia est liberum à voluntate imperante.

N. 328. Contra tertiò : quia tandem tota differentia inter secundam sententiam relatam, quæ affirmat omissionem esse tantùm formaliter peccatum in volitione peccaminosâ, & non nisi denominativè peccatum ab eâdem volitione; & inter tertiam referendam, quæ admittit omissionem esse formaliter, & verè peccatum, tota, inquam, differentia erit de nomine. Nam utriusque opinionis DD. in hoc conveniunt, quòd ea omissio sit peccatum in ipsâ causâ, & sit in confessione explicanda : quare tota differentia erit, an omissio sit etiam peccatum in se; hoc autem secundæ sententiæ DD. negant, quòd sit formale peccatum in se, sed purè denominativè, innixi urgenti rationi adductæ, quia nullum in se non liberum potest esse in se peccatum : tertiæ autem sententiæ DD. affirmant, & adducto argumento impetiti dicunt esse denominative in se peccatum ; ergo isti coincidunt cum illis, cum hâc differentiâ, quòd illi meliùs discurrunt.

N. 329. Confirmo hoc ipsum: Demus, quòd quis post efficacem volitionem omittendi, quocumque eventu superveniente, sacrum, occupetur negotio gravissimo, liberante eum à sacri auditione, ex. gr. ut moribundo opituletur : quæro ab Adversarijs, an instante horâ audiendi sacrum, peccet illud non audiendo ? Negabunt utique ; quia assistentia necessaria eum liberat : & tamen probo eum peccaturum non tantùm per volitionem omittendi sacrum, sed etiam per ipsam omissionem ; nam ille vult omittere sacrum in quocumque casu, ita ut licèt non teneretur moribundo assistere, adhuc sit determinatus illud omittere : ergo tenetur in eo casu non tantùm confiteri se voluisse, sed se omisisse sacrum : ergo ipsa omissio est peccaminosa; sed non est formaliter in se peccaminosa, ut docent Adversarij ; ergo est peccaminosa tantùm in volitione. Subsumptum probatur : quia causa legitimè excusans eum ab auditione sacri, liberat eam omissionem ab omni peccato ; ergo ea omissio in se non est formaliter peccaminosa ; ergo habet totam suam malitiam à volitione, quæ reddit eam omissionem denominativè peccaminosam, adhuc in eo casu, quo ea liberatur à formali malitiâ, quam Adversarij adstruunt.

Omitto alia argumenta ; & venio ad inconvenientia, quæ sequuntur ex tertiâ sententiâ referendâ. N. 330. Primum est, quòd unus homo magis peccaret, quàm alter, licèt uterque idem malum æquè vellent: fac enim, ut duo ante somnum determinati omittere sacrum, unus à somno excitetur, & sacrum audiat, alter non excitetur, & non audiat; magis peccaret hìc non audiens ratione omissionis, quàm ille per volitionem omittendi sacrum, quia iste omisit, ille non omisit: licèt enim verum sit, quòd unus præter peccatum habuerit deinde actum bonum, nempe volitionem audiendi sacrum, quam alter non habuit, & in hoc illi homines sunt inter se dispares ; attamen ego purè loquor de peccato utriusque ; & quæro, an magis peccarit, qui omisit, an æquè, ac qui audivit? Si æquè ; ergo ipsa omissio in se non est peccatum : si inæqualiter ; ergo ex duobus cum æquali libertate, & malitiâ volentibus omittere sacrum, plus formaliter peccavit omittens, quàm audiens : quod videtur repugnare, quia jam non esset æqualis malitia utriusque. Scio M. Godoy *num.* 48. dicere, M. God. quòd omittens sacrum non magis peccavit intensivè, & peccato interiori, quàm non omittens; peccavit tamen magis extensivè, seu peccato exteriori, quàm non omittens. Sed contra primò : quia argumentum adhuc est integrum, nempe quòd duo idem omnino, & eâdem advertentiâ, & malitiâ volentes, inæqualiter peccarent; nam tota malitia, quæ est in ipso peccato exteriori, seu omissione, est formaliter in ipsâ volitione omittendi sacrum : ergo uterque æquè peccavit: ergo omissio in se non est peccatum. Contra secundò : quia vel illud peccatum exterius habet aliquam maiorem malitiam formalem distinctam ab ipsâ malitiâ volitionis omittendi, vel non ? Si habet; ergo omittens magis formaliter peccat, quàm non omittens ; cùm tamen M. Godoy neget quòd unus homo magis peccet, quàm alter, si uterque idem vult: si non habet ; ergo omissio in se nullam habet malitiam formalem.

Secundum inconveniens est, quòd sicut N. homo liberè dormiens per omissionem sacri 331. peccat, & demeretur; ita à pari homo liberè dormiens, si prævidisset se actus bonos operaturum in somno, per eos mereretur, imò, si sciens se in somno formam absolutionis, aut Baptismi prolaturum, validè in somno absolveret, & baptizaret præsente materiâ Sacramenti, & alijs requisitis : ut enim intentio omittendi sacrum moraliter continuatur

nuatur per somnum, & ideo omissio sacri sequens ad somnum liberum est peccatum; ita intentio baptizandi continuaretur moraliter per somnum, & ideo, si reliqua adsint,
N. erit validus Baptismus. Neque verò com-
332. munis responsio, quòd ad meritum plus requiratur, quàm ad demeritum, aliquid prodest; licèt enim hoc verum sit, nam ad meritum de condigno requiritur status gratiæ, & ad de congruo requiritur, & satis est, ut actus procedat à principio supernaturali; attamen eadem libertas, quę est necessaria ad meritum, eadem requiritur ad demeritum, & econtra: ergo vel omissio sacri in somno non est in se peccatum; vel si est, etiam auditio sacri in somno erit meritoria: si enim, ut ea omissio sit in se demeritoria, satis est, ut sit libera in causâ, seu volitione imperante somnum, etsi in se non sit libera, nam accidit in somno; ita à pari, ut auditio sacri contingens in somno sit meritoria in se, satis erit, ut sit libera in causâ, seu volitione imperante somnum, cum prævisione auditionis, seu præsentiæ sacri in somno. Quapro-
N. 333. M.God. pter M.Godoy totum hoc advertens ait *n.* 49. solutionem datam, si velit omne opus meritorium relegare ab homine dormiente, sibi apparere difficilem, & ideo concedit actum bonum in somno esse meritorium ratione actus somnũ antecedentis, licèt non sit ratione sui meritorius. Hæc insignis Theologus. Sed reverà hoc non est, nisi dicere, quod nos, esse meritorium in causâ, & à causa denominari meritorium; quod idem judicamus dicendum de omissione. Deinde
M.God. M.Godoy procedens ad solutionem absurdi deducti ex Sacramentis, ait *num.* 51. difficile esse assignare rationem, cur prævidens se in somno verba constituentia Sacramentum Eucharistiæ proferre solitum, & habens volitionem proferendi in somno ea verba, & faciendi, quod facit Ecclesia, non conficiat validum Sacramentum: tandem *num.* 53. dat rationem appellans ad voluntatem Christi D. qui licèt prolationem verborum voluntariam tantùm in causâ inevitabili potuerit elevare ad conficiendum verum Sacramentum, noluit tamen hoc facere; quod constat ex communi TT. consensu. Sed contra; quia si iste est communis TT. consentus, non debet idem consensus per aliam doctrinam everti; immò omnis talis doctrina, quæ eum evertit, negari debet ut falsa: sed sententia asserens satis esse ad peccatum in se, ut opus sit liberum in causâ, etsi non sit liberum in se, eum consensum evertit, ut con-
N. 334. stat: ergo talis sententia est neganda.

Tertium inconveniens, omissis alijs, quæ trahit, & solvit M. Godoy, est; quia sequi- M.God.
tur infirmum, qui voluntariè infirmitatem contraxit prævidens ex illâ secuturam esse omissionem sacri, peccaturum peccato omissionis sacri toto tempore, quo infirmitas sacrum impeditura durabit. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela probatur: Ut enim omissio sacri sequens ad somnum prævisum impediturum sacrum, est peccatum tunc, cùm instat præceptum audiendi illud; ita à pari omissio sacri sequens ad infirmitatem voluntariam prævisam impediturum sacrum, toties erit peccatum, quoties occurret dies festivus, & instabit hora audiendi sacrum. Minor autem probatur, tùm quia est nimis rigidum censere infirmum toties graviter peccaturum, quoties occurret hora obligans ad audiendum sacrum; tùm quia idem dicendum erit de voluntariâ infirmitate, ad quam secutura videtur omissio jejunij, & propter quam curandam secutura videtur impotẽtia solvendi debita ante eam contracta; toties eum infirmũ peccaturum mortaliter non jejunando, & non restituendo, quoties dies jejunij occurret, & impotentem se reddit propter remediorum emptionem, ad solvendum debita anteriora; tum quia si dicti infirmi omittendo sacrum, & jejunium peccant mortaliter novo peccato eo die, quo sacrum non audiunt, & non jejunant, sequeretur, quòd dicti infirmi, stante eâ gravi infirmitate, tenerentur ire ad sacrum, & jejunare, nè eo die mortaliter novo peccato peccent; immò tenerentur medicum non solvere, & pharmaca non emere, ne reddant se impotentes solvendi debita anteriora; hoc autem est contra omnium sensum: ergo illi infirmi tunc tantùm peccarunt mortaliter, cùm voluerunt occasionem prævidentes violationem sacri, jejunij, & justitiæ; & hæc violatio est tantùm peccatum in causâ, non autem in se.

Scio quòd M. Godoy post impugnatas N.
aliorum solutiones, concedat sequelam, & 335.
neget esse nimis rigidum, præcipuè cùm in M.God.
manu infirmi sit retractare præcedentem volitionem, quâ retractatione positâ non ampliùs perseverat moraliter voluntas infirmitatis impeditura sacrum, & jejunium; & infirmitas non ampliùs est voluntaria causa omissionis sacri, & jejunij; & tunc omissio sacri, & jejunij non erunt ampliùs peccata, cùm non sit libera in infirmitate non ampliùs liberâ. Sed contra primò: quia vel hæc retractatio est simpliciter necessaria, vel non est? Si est, non poterit negari summus rigor: si enim opinio S. Bonaventurę asserentis

teneri

teneri hominem post mortale statim conteri, est nimis rigida; multò magis rigida erit hæc sententia, præcipuè cùm ea retractatio, ut plures docent apud M.Godoy *n.* 61. fieri debeat per contritionem, aut attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ; & licèt daretur, satis esse, ut ea retractatio fieret per mutationem propositi prioris, quo quis infirmari voluit, & per hoc leniretur tantus rigor, adhuc non video necessitatem talis retractationis; assignetur enim præceptum
N. obligans ad eam retractationem, & hæc re-
336. tractatio gratis ab Adversarijs inducitur, præcisè ut inconveniens objectum solvant, cùm tamen, si in oppositam abeant sententiam, nullum sit inconveniens. Si autem non est necessaria; ergo poterit omitti; & tunc redibit argumentum, quòd infirmus impotens jejunare ex infirmitate voluntariè contractâ peccabit novo peccato. Addo me non videre in sententiâ asserente novum in se peccatum in omissione sacri secutâ ad somnum voluntarium, & in omissione jejunij secutâ ad infirmitatem voluntariam, me, inquam, non videre ullam utilitatem; nam ex unâ parte sententia hoc asserens convenit cum secundâ relatâ, asserente hominem per volitionem somni prævisi impedituri sacrum, & infirmitatis prævisæ impedituræ jejuniû quadragesimale contrahere omnem formalem malitiam, ac si in re daretur omissio sacri, & jejunij: rursus plerique ex Contrarijs negant specialem formalem malitiam inesse operi externo contradistinctam à formali malitiâ volitionis: ex aliâ non satis solvunt inconvenientia contra eos adducta, nempe quomodò contrahatur à dormiente nova malitia formalis per omissionem, & quomodò, stante præcepto naturali obligante sub gravi infirmum ad non jejunandum, peccet voluntariè novo peccato mortali infirmus omittendo jejunium: ergo hæc secunda sententia præferenda est tertiæ, quam mox adduco, & cujus argumenta solvo.

§. III.

Tertia sententia.

SUMMARIUM.

Vult contingentem in somno sacri omissionem tempore instantis præcepti, esse verè peccatum, & non tantum effectum peccati, DD. num. 337.

Idem potest simul esse effectus peccati, & peccatum, ibid.

Hæc tertia non nisi voce differt à secundâ, num. 338.

Præcepta affirmativa ex S. Thom. non obligant ad semper, n. 339.

S. Thom. aperte stat pro secundâ, n. 340.

Omissio sacri est peccatum in volitione somni, n. 341.

Instantiæ non sunt ad rem, & evidenter retorquentur, n. 342. 343.

Volitio homicidij, & homicidium sunt quasi unum peccatum, n. 344. 345.

Sicut aliud est voluntarium in se, aliud voluntarium in causâ, ita aliud est peccatum in se, aliud in causâ, n. 346.

TErtia sententia est, quòd dans causam N.
omissioni culpabili peccat peccato cô- 337.
missionis formaliter, & peccato omissionis inchoativè, quoad hoc verum dicit; probavi enim contra primam sententiam peccari per volitionem omissionis culpabilis. Rursus hæc tertia sententia ait, quòd omissio contingens in somno tempore instantis præcepti verè imputatur ad culpam, & est verè peccatum, & non solùm effectus peccati. Ita in terminis M.Godoy *n.* 12. qui *n.* 2. citaverat pro hâc sententiâ M. Soto, M. Sylvest. P. Sanch. P. Val. P. Suar. *d.* 3. de Peccat. *sect.* 4. *n.* 1. & alios plures. Verumtamen si hæc sententia velit, quòd ea omissio non sit tantùm effectus peccati, sed etiam peccatum, quoad hoc etiam verum dicit, nec dissentit secunda sententia; non enim repugnat, ut aliquid simul sit effectus peccati, & peccatum: ita occisio est effectus peccati respectu volitionis eam imperantis, & est simul peccatum; ergo etiam omissio. At non stat in hoc difficultas, punctum enim est, an ea omissio in somno sit peccatum in se, an sit peccatum formale in eâdem volitione, ita ut ab hâc peccaminosâ somni volitione sit tantùm in se denominativè peccatum. Hæc autem tertia sententia in solutione argumen- N.
torum secundæ sententiæ respondet, ut vidi- 338.
mus, esse tantùm peccatum denominativè, & peccatum formale in sui causâ; atque adeo solo nomine differunt, nempe an omissio sacri in somno, quæ est peccatum formale in sui causâ, scilicet in volitione somni impedituri sacrum, sit etiam in se formale peccatum, an tantùm denominativè à sui causâ: in quo dubio secunda vult omissionem in somno esse tantùm peccatum formale in sui causâ, & esse peccatum denominativè ab eâdem causâ, quia imperatur à volitione peccaminosâ somni: tertia vult esse etiam peccatum formale in se à sui causâ, quod præterquamquod includit repugnantiam

M.God. M. Sot. M.Sylv. P. Sanc. P. Val. P. Suar.

termi-

terminorum, quòd aliquid sit peccatum tantùm denominativè, hoc enim importat tò *à sui causâ*, & simul sit peccatum formale, hoc enim importat tò *in se*; tandem Adversarij convincuntur argumento sumpto ex libertate, quòd sicut ea omissio non est libera in se formaliter, sed tantùm denominativè à suâ causâ, ita etiam non est peccatum formale in se, sed tantùm denominativè à sui causâ; & ut dicto argumẽto Contrarij occurrant, dicunt, esse peccatum denominativè à sui causâ.

N. 339. S. Th. Objicies primò ex S. Thom. 2.2. *qu.* 79. *art.* 3. *ad* 3. qui ait: *Dicendum, quòd sicut peccatum transgressionis opponitur præceptis negativis, quæ pertinent ad declinandum a malo; ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis, quæ pertinent ad faciendum bonum; præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse: potest tamen contingere, quòd aliquis sit tunc impotens ad faciendum, quod oportet; quod quidem, si sit præter ejus culpam, non omittit, quod debet, ut dictum est. Si verò sit propter ejus culpam præcedentem, puta, si aliquis de serò se inebriaverit, & non possit surgere ad matutinas, ut debet, dicunt quidam, quòd tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illiciturn, & incompossibilem cum isto actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quòd præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex quâ omissio sequens redditur voluntaria.* Hæc S. Thom. Ergo omissio contingens in somno tempore instantis præcepti verè imputatur ad culpam, & est peccatum.

N. 340. Respondeo S. Thomam stare apertè pro secundâ sententia, nam eò ipso quòd dicit, *Omissio tunc incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi*, & asserit esse voluntariam omissionem ob causam præcedentem, eo ipso expresè dicit, quòd omissio sit culpa imputabiliter; à quo autem, nisi à causâ præcedenti? ergo eò ipso docet omissionem sacri secutam ad ebrietatem, aut somnum voluntarium, esse peccatum, & culpam in ipsâ causâ, & ab eâ imputari ad culpam, adeoque non esse culpam in se. Addo duo distinguenda esse: primum est volitio efficax omittendi sacrum interposito somno, ejusque actualis omissio; secundum est volitio efficax omittendi sacrum interposito somno, ad quem tamen non sequitur ipsa omissio, quatenus qui omittere voluit, suam volitionem retractavit per volitionem audiendi, immò per sacri auditionem. Certum autem est primò utrumque hominem in volitione efficaci omittendi esse æqualem, & utrumque peccasse. Certum secundò esse etiam inter se inæquales, si unus omittat, alter non omittat; atque adeò ei, qui omittit, præter peccatum volitionis omittendi imputari omissionem; non ita alteri, qui voluit omittere, at volitionem retractavit, & sacrum non omisit. Ex hoc autem non sequitur omissionem in omittente esse peccatum in se; ut enim non est libera in se, sed in volitione somni, ita nec est peccatum in se, sed in volitione peccaminosa somni: rursus sicut ea omissio est tantùm in se denominativè libera à volitione liberâ somni, ita eadem omissio est tantùm in se denominativè peccatum à volitione peccaminosâ somni. Certum tertiò omissionem quoad esse peccatum denominativè, non imputari ad culpam, seu non esse denominativè culpam, nisi cùm ea omissio ponitur; debet enim esse prius in re suo modo, quam denominetur culpa: sed ea omissio sacri non est in re, nisi cùm instat præceptum: ergo nec denominari potest culpa, nisi cùm instat, & violatur præceptum. Et hoc est, quod acutè dixit S. Thom. quòd omissio incipiat imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; quatenus ea omissio ante tempus operandi, seu audiendi sacrum non erat in esse omissionis sacri, sed potius erat negatio sacri, quia adhuc non instabat præceptum; atque adeò incipit esse omissio, & quidem culpabilis, dum instat præceptum denominatione *culpæ* derivatâ à volitione, quæ volitio non potuit dare omissioni denominationem *culpæ*, nisi dum omissio cœpit esse; cœpit autem esse, dum cœpit urgere præceptum.

N. 341. N. 342. Objicies secundò: Ut aliquid sit verè peccatum, satis est, ut sit voluntarium in causâ, licèt positâ causâ illud sit inevitabile. sed omissio sacri contingens in somno est voluntaria in causâ, ut supponitur: ergo, licèt positâ eâ causâ, seu somno vitari non possit, ea omissio est verè peccatum. Maior probatur, tùm paritate ebrij, non enim ipsa tantùm nimia vini potatio est peccatum, sed ebrietas ad eam sequens est verè peccatum, etsi positâ immoderatâ vini potatione ebrietas sit inevitabilis; tùm paritate occidentis, non enim sola plumbei globi emissio est peccatum, sed ipsa etiam occisio, licèt hæc sit inevitabilis positâ eâ emissione; tùm paritate projicientis Breviarium, non enim sola projectio, sed ipsa non recitatio pensi diurni est

pecca-

peccatum, etsi posità eâ projectione inevitabilis sit non recitatio: ergo ut quid sit verè peccatum, satis est, ut sit voluntarium in causâ; & ideo in Confessione non tantùm causam peccati, quin potiùs effectum ipsum, seu ebrietatem, homicidium, non recitationem, tamquàm peccata, ut revera sunt, aperimus: ergo tales effectus sunt verè peccata.

N. 343. Respondeo 1. paritates non esse ad rem; nam nimia potatio, globi emissio, Breviarij projectio procedunt ab homine sibi compote, & libero: econtra omissio sacri ab homine dormiente, seu carente pro tunc omni libertate; tùm quia nimia potatio, & ebrietas; emissio globi, & homicidium; projectio Breviarij, & non recitatio, etsi physicè se habeant ut causa, & effectus, moraliter tamen loquendo, sunt unus, & idem effectus respectu volitionum imperantium eam projectionem, potationem, emissionem; immò volitio homicidij, & homicidium; volitio non recitationis, & non recitatio; volitio ebrietatis, & ebrietas sunt unum integrum peccatum; adeoque nemo dubitat contendam esse non tantùm ipsam volitionẽ ebrietatis, homicidij, non recitationis, sed principaliter confiteri tenemur ipsum homicidium, ebrietatem, & non recitationem, cùm ipsæ horum objectorum volitiones eatenus sint peccatum, quatenus hæc ipsa objecta sunt vetita, & ipsæ volitiones speciem sumât a suis objectis.

N. 344. M.God. Respondeo secundò paritates evidenter retorqueri: Fac enim, ut quis mari iter agens projiciat hodie Breviarium, prævidens eo instanti projectionis se toto anno non recitaturum Officium; peto ab insigni M.Godoy, an ille singulis noctibus ejusdem anni gravi somno correptus, dum horâ undecimâ noctis obligatio recitandi instat, an, inquam, homo ille dormiens, novo peccato formali peccet per puram Officij omissionem? Sanè quid incredibile dicet, si dicat volitionem hodiernam illius hominis perseverare moraliter per integrum annum, etiam dum dormit: ergo singulæ omissiones per annum cõtinuatæ non sunt novum peccatum formale in se, sed sunt purè denominativè peccatum à volitione peccaminosâ hodiernâ, quâ projiciendo Breviarium se reddidit impotentem; ita ut illæ omissiones sint formaliter peccata in suâ causâ, & ratione hujus imputentur ad culpam formalem; in se autem non sunt peccata formalia, nisi sint liberæ in se, & ad summum sunt in se denominativè peccata à causâ præteritâ liberâ. In formâ distinguo maiorem: Vt aliquid sit verè peccatum in se, & ratione sui, satis est, ut sit voluntarium in causâ, nego maiorem; ut sit peccatum non ratione sui, sed ratione causæ, satis est, ut sit voluntarium in causa, concedo maiorem. Ad reliqua patet. N.

Objicies 3. Vt omissio sit verè peccaminosa, & voluntaria, satis est, quòd ab interiori peccato procedat; sed quando in somnis contingit, procedit ab actu peccaminoso voluntatis moraliter perseverante, quia non retractato; ergo ea omissio est verè peccaminosa. Distinguo maiorem: Vt omissio sit peccaminosa in se, satis est, ut ab interiori peccato procedat quomodocumque, nego maiorem; requiritur enim, ut proximè ab illo procedat, & sit quasi unum cum illo: ita volitio homicidij, & homicidium ipsum sunt quasi unum peccatum, nec mediat inter volitionem, & homicidium, nisi jaculatio, seu occisio; actio autem, ut docet vera Philosophia, non tollit immediationem inter causam, & effectum, nam mediat ut quo, non ut quod; est enim id, quo producitur effectus: satis est, ut proximè procedat, concedo maiorem. Vel aliter: Vt omissio sit verè peccaminosa, & voluntaria, satis est, quòd ab interiori peccato procedat; id est, satis est, ut sit voluntaria, & peccaminosa in ipso peccato interiori, nego maiorem; aliter, transeat maior: ad reliqua patet. Itaque tota nostra doctrina ad hoc reducitur, nempe, quòd sicut aliud est voluntarium in se, aliud in causâ; ita aliud est peccatum in se, aliud in causâ: & sicut voluntarium in causâ non est voluntarium in se, nam mala esset divisio voluntarij, si voluntarium in causâ esset voluntarium in se; ita peccatum in causâ non est peccatum in se, sed ad summum peccatum in causâ est denominativè peccatum in se ab ipsâ causâ; non autem peccatum in causâ est peccatum formale in se ratione sui. N. 345. N. 346.

DISPU-

DISPUTATIO VIII.

De potestate voluntatis in intellectum quoad Probabilia.

SUMMARIUM.

Quid hic tractandum? num. 1.

N. 1. DISPUTATUM satis est de essentia opinionis probabilis; de aliquâ, aut nullâ veritatis cum probabilitate, aut probabilitatis cum veritate connexione; de ignorantiâ vincibili, & invincibili in ordine ad excusandum à peccato, & rectificandam moraliter operationem: videndum in præsenti, an duæ contradictoriæ, aut contrariæ possint simul esse probabiles probabilitate conscientiæ eidem intellectui; & an intellectus possit à volûtate determinari inter æquè probabilia, immò ad minus probabile.

SECTIO I.

An duæ opiniones contrariæ, vel contradictoriæ possint simul esse probabiles eidem intellectui probabilitate conscientiæ?

§. I.

Status quæstionis, & notanda contra Caramuel. & Eliz.

SUMMARIUM.

Quid opiniones contrariæ, & contradictoriæ? n. 2.
Quid in hâc quæstione certum? ibid.
Tota difficultas est, an eidem intellectui simul esse possint probabiles duæ contrariæ, aut contradictoriæ, n. 3.
Probabilitas conscientiæ juxta Eliz. idem est, ac veritas, n. 4.
Quid propositio absoluta, quid modalis? n. 5.
Contradictoria numquam possunt esse vera, nec ob diversas causas, cur? n. 6.
DD. ibid.
Implicat assensus cum dissensu simul in eodem intellectu, etsi ex diversis motivis, n. 7.
Aliud est, an intellectus possit simul judicare utrumque contradictorium esse probabiliter verum; aliud, an possit probabiliter judicare utrumque esse verum; hoc repugnat, non illud, num. 9.
Assentiens ob motivum probabile assentitur veritati, non probabilitati, n. 10.
Aliud est judicare probabiliter, aliud probabilitatem: expono, n. 11.
Assentior probabilitati ut motivo, non ut puro termino materiali affirmato, ibid.
Solvo argumentum, n. 12.
Caram. ait, omnes assertiones probabiles esse modales; idem ait Eliz. n. 13. 14.
Est falsum, nullam opinionem probabilem esse absolutam, n. 15.
DD. regulariter non impugnant probabilitatem opinionis oppositæ, ibid.
Probabilitas non tollitur per probabilitatem, 16.
Si omnes assertiones essent modales, Doctores non opponerentur, n. 17.
Quid necesse, ut modales opponantur, ibid.
Rejicitur P. Eliz. quia omnis opinans affirmat, aut negat mentaliter, rem ita esse, non autem ita videri, n. 18. 19.
Hæc non sunt opposita, Probabile est licere, probabile est non licere; hæc sunt, Licet, non licet, n. 20.
Diversitas motivorum non tollit contradictionem, n. 21.
Cur utraque contradictoria possit simul esse probabilis? n. 22.
Si una est certa, alia non est probabilis, n. 23.
Certitudo tollitur, vel à probabilitate oppositi, vel à probabili certi fundamenti solutione, ib.
Implicat, ut utraque sit mutuò probabilior, 24.
Tollitur probabilioritas unius per certitudinem, aut probabilioritatem alterius, ibid.
Ut tollatur probabilitas, non est necessaria evidentia oppositi, sed satis, ut certâ ratione probetur fundamentum illud non esse probabile; cur? n. 25.
Non repugnat simultas potentiæ, repugnat potentia simultatis in voluntate, n. 26.
Simultas probabilitatis, & probabilitas simultatis quid? Ea non repugnat, hæc repugnat, cur? n. 26. 27.

N. 2. OPiniones contrariæ sunt illæ, quarum utraque affirmat, una rem esse, alia affirmat rem non esse: contradictoriæ sunt, quarum una affirmat rem esse, alia negat rem esse. Certum autem est duas opiniones contrarias, aut contradictorias eidem intellectui divisim, aut distinctis intellectibus simul posse esse probabiles, nam & distincti DD. eodem tempore contraria, aut contradictoria opinantur, & idem Doctor potest instâti A judicare probabilem opinionem A; & instanti B judicare probabilem opinionem B.

ei

ci contradictoriam ; immò potest instanti A judicare probabilem opinionem A, & instâti B, judicare improbabilem ipsam opinionem

N. 3. A. Tota ergo difficultas est, an eidem intellectui possint eodem instanti, seu simul esse probabiles duæ opiniones contrariæ, aut

P. Eliz. contradictoriæ ; & quidem, ut loquitur P. Eliz. *probabilitate conscientiæ*? Quid autem veniat per *probabilitatem conscientiæ*, dabimus,

N. 4. & dedimus ex eodem, qui non intelligit nisi *veritatem* ; confundit enim iterum probabilitatem cum veritate ; quod satis impugnavimus *d. 5. sect. 1.* & iterum impugnabimus. Quare pro clarâ quæstionis resolutione

N. 5. Advertendum est 1. propositionem aliam esse absolutam, aliam modalem: absoluta est, quæ absolutè affirmat, aut negat prædicatum de subjecto, ex. gr. *Pingere die festo licet:* modalis est, quæ affirmat, aut negat modũ, quo tale prædicatum convenit, aut non convenit subjecto, ex. gr. *Probabile est, quòd liceat pictura die festo.*

N. 6. Adverte 2. quòd contradictoria numquàm verificari possunt, neque ratione diversarum causarum ; aliàs tu, & ego facere possemus, ut A simul esset, & non esset ; neque ratione diversarum cognitionum ; aliàs simul esse possunt in intellectu, licet, non licet. Ratio est ; quia id, quod non potest esse, nec potest judicari verum, quòd sit : sed idem non potest simul esse, & non esse : ergo neque potest judicari verum, quòd simul sit, & non sit. Hoc sentiũt omnes Philosophi, & Theo-

Arimin. Duran. Phlal. logi, & benè probat Greg. Arim. *qu. 2.* Prologi à *principio*, & Durand. in Prol. *qu. 1. n.* 21. qui ait, quod *æstimare contradictoria simul esse vera, non potest esse in mente hominis, etsi*

N. 7. *voce proferatur* ; & Phlal. *qu. 1.* de opin. Praxi *pag. mihi* 35. & ideò tùm in Logicâ, tùm in Animasticâ impugnavimus eos, qui volunt posse simul esse in eodem intellectu assensum, & dissensum de eodem ex diversis motivis ; nam diversa motiva non tollunt ab illis actibus repugnantiam, aliàs idem posset simul esse, & non esse ex diversis causis, cùm tamen hoc sit evidenter falsum ex 4. *Metaphys.*

N. 8. Dices non repugnare, ut intellectus assentiatur, & dissentiatur probabiliter utrique contradictorio eodem instanti, & judicet probabiliter utrumque verum ; primò, quia potest intellectus judicare utrumque contradictorium esse probabile ; ergo etiam probabiliter judicare utrumque verum : secundò, quia assentiri probabiliter simul utrique propositioni contradictoriæ, non est affirmare utramque esse in re veram, sed tantùm est affirmare utramque sibi videri veram, in quo nulla est contradictio : ergo non repugnat, ut intellectus simul affirmet probabiliter utramque esse veram : tertiò, quia judicium probabile non affirmat rem absolutè esse, sed potiùs affirmat modũ essendi, adeoque qui affirmat licitum esse pingere die festo, non affirmat absolutè hoc esse licitum, sed unicè affirmat esse probabile, quòd sit licitum, seu esse probabiliter licitum : sed nulla est inter hæc duo judicia repugnantia, est probabiliter licitum pingere, est probabiliter illicitum pingere : ergo nulla est repugnantia, quòd intellectus assentiatur, & dissentiatur eodem instâti probabiliter utrique contradictorio. Hæc M. Ferre 1.2. *tr. 6. a n.* M. Ferr
170. contra M. Mercor. apud Palanco *qu. 24.* M. Mer. Palanc.

Respondeo hanc quæstionem, an intellectus possit simul assentiri probabiliter utrique contradictorio, posse habere duplicem sensum : primus est, an intellectus possit eodem instanti judicare utramque contradictoriam esse probabiliter veram : secundus, an intellectus possit probabiliter judicare eodem instanti utramque contradictoriam esse veram : primum affirmamus, & non est nisi judicare, quòd utrique contradictoriæ conveniat probabilitas ; posse autem intellectum judicare utramque contradictoriam esse simul probabilem, nullam includit repugnantiam, ut patebit : secundum negamus, quia est judicare, etsi per probabile judicium, quòd utrique contradictoriæ conveniat veritas, quod repugnat. Hæc autem N. 10.
duo toto Cælo distant. Monco autem, quod quando intellectus assentitur ex motivo probabili alicui objecto, non ideò, etsi probabiliter assentiatur illi objecto, assentitur probabilitati ejus objecti, sed veritati, neque enim omne judicium probabile est modale, ut dixi, & dicam, sed est absolutum ; ex. gr. etsi assentiar ex motivo probabili huic objecto, licita est pictura die festo, non ideò, etsi assentiar probabiliter ei objecto, pro objecto terminativo, & affirmato per illud judicium, habeo, inquam, probabilitatem, sed veritatem, seu connexionem prædicati cum eo subjecto : hinc aliud est judicare probabiliter ; aliud judicare probabilitatem : aliud affirmare probabiliter, seu ob motivum probabile, aliud affirmare probabilitatem. Breviter : probabilitas potest esse purũ N.
motivum assensus, & potest esse purus terminus, seu objectum affirmatum per assensum : si sit purum motivum, tunc non assentior probabilitati tamquàm puro termino affirmato : si sit terminus affirmatus per assensum, tunc assentior probabilitati ut termino : dixi autem certum esse, quòd non omne judi-

judicium probabile, licèt omne affirmet probabiliter, non tamen omne affirmat probabilitatem, ut terminum, immò eam non affirmat, sed ob probabilitatem tamquàm propter motivum, affirmat aut negat aliud objectum: quare valde distant hæ duæ propositiones, *Judico probabiliter verum utrumque contradictorium*; *judico utrumque contradictorium esse probabiliter verum*: primum implicat, implicat enim, ut judicem probabiliter utrumque contradictorium esse verum, cùm sit evidens alterutrum esse falsum: secundum non implicat; & nihil aliud est, quàm judicare utrumque contradictorium gaudere probabilitate veritatis. Hinc ad 1. N. 12. nego antecedens, vel distinguo: non repugnat, ut intellectus judicet probabiliter utrumque esse verum, nego antecedens; judicet utrumque esse probabiliter verum, concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam juxta datam distinctionem. Ad 2. nego antecedens; qui enim assentitur directè probabiliter alicui objecto, non affirmat signatè tale objectum sibi tali modo videri, hic enim est actus reflexus supra judicium probabile, sed affirmat probabiliter, seu ex motivo probabili tale objectum ita esse. Ad 3. nego antecedens, ut mox dicam.

N. 13. Caram. P. Card. P. Eliz. Adverte 3. falsum esse, quod tradit Caram. impugnatus à P. Card. *tom. 1. disp. 2. per totam*, & à P. Eliz. 2. *p. lib. 6. qu. 8. §. 4. 5. 6. a pag. mihi 205. ad 212.* fusissimè: vult enim Caram. quod omnes probabiles Doctorum assertiones sint modales, de *modo probabili*, quia omnis conclusio modificatur à præmissis; ergo si hæ sunt probabiles, etiam conclusio. Hinc infert, quod S. Thom. esto dicat ex gr. Deiparam in peccato conceptam, & Scotus esto dicat eam non fuisse conceptam in peccato, nec S. Thomam asserere absolutè suam opinionem, nec Scotum suam, sed utrumque Doctorem asserere *modaliter*, nempe S. Thomam, Probabile est Deiparam in peccato conceptam; & Scotum, Probabile est Deiparam non conceptam in peccato; quæ duę propositiones modales non opponuntur, nam utraque est affirmativa.

N. 14. P. Eliz. Ad hanc Caramuelis doctrinam plurimùm accedit, etsi fusè impugnet, illa, quam tradit P. Eliz. in *Append.* quam ponit post *librum 4.* in quâ fusè agit de naturâ opinionis probabilis; & *qu. 6. §. 4. pag. mihi 263.* ait S. Tho. ex D. Thomâ: *Cùm aliquid intelligimus, asserimus sic esse; cùm autem opinamur, dicimus sic videri, vel apparere nobis*: ex quo P. Eliz. infert, nullum opinantem absolutè affirmare, vel negare rem ita esse, sed tantùm affirmare, aut negare rem ita sibi videri.

Adverte 4. sententiam Caramuelis, quòd omnes probabiles Doctorum opiniones sint modales, & nulla sit absoluta, esse certò falsam, ut benè Eliz. *2. p. lib. 6. qu. 8. a §. 4. ad 7.* & P. Teril. *qu. 15.* de Reg. mor. *n. 5.* Palanco *qu. 24. a n. 14.* & P. Card. *l. c.* quia S. Thomas impugnans alienam opinionem in materiâ Topica non impugnat alienę opinionis probabilitatem, imò eam sæpe admittit; ergo impugnat propositionem absolutam, seu falsitatem dictæ opinionis; ergo non omnes probabiles Doctorum assertiones sunt modales de modo *probabile*, sed plerę que sunt absolutæ, ut benè P. Card. *tom. 1. d. 2. cap.* P. Card. 6. & si sunt modales, sunt de modo *probabilius*, non de modo *probabile*. Immo si omnes N. 16. essent modales, cùm probabilitas partis A non tollatur per probabilitatem partis oppositæ B, sed tantùm per certitudinem saltem moralem partis B; aut per certitudinem ostendentem fundamentum partis A, non esse grave, omnis, qui alterius assertionem impugnat, deberet impugnare illam argumętis omnino certis, sed certò certius est, non afferri à Doctoribus inter se pugnantibus argumenta certa, imò implicat, ut pro utrâque parte contradictionis detur certitudo: ergo dū Doctores impugnant opiniones oppositas, non impugnant probabilitatem opinionis oppositę, cùm ea non tollatur, nisi saltem per certitudinem, sed impugnant veritatem oppositæ opinionis ostendentes, seu negantes eam esse veram, non autem negant esse probabiliter veram, seu probabilem, & verosimilem: ergo opiniones impugnatæ non sunt modales de modo *probabile*, sed absolutæ. Dixi probabilitatem unius partis non tolli, seu non expugnari per probabilitatem alterius, licèt impugnetur, ut scitè loquitur P. Teril. de Reg. mor. *qu. 15. n. 1. & 3.* P. Teril. Confirmo: Si omnes assertiones essent modales N. 17. de modo *probabile*, numquam darentur Doctores in opinando oppositi, quia opinio docens, *Probabile est licitam esse die festo picturam*, non opponitur huic, *Probabile est non esse licitam*; ut enim opponeretur, deberet hæc secunda ita formari, *Non est probabile, quòd sit licita*, nam una debet esse affirmativa de modo, alia negativa de modo; atque adeo Doctores opponerentur *tantum* in materiâ certâ, dum unus affirmat esse probabile, alter negat esse probabile: sed est extra omne dubium Doctores inter se opponi in opinando, non tantùm in materiâ Topicâ philosophicè, sed etiam in materiâ morali: ergo est extra omne dubium eorum propositiones esse absolutas: hoc enim pacto, & propositio-

positiones, & Doctores opponuntur; non autem esse modales; hoc enim pacto opponi non possunt, nisi unus afferat argumenta certa, quibus non tantùm alterius assertionem, sed etiam ejusdem assertionis probabilitatem impugnet, quòd utique in opinionibus hinc inde classicis non accidit.

N. 18. P. Eliz. Adverte 5. quòd ijsdem ferè argumentis impugnatur doctrina P. Elizaldæ, nam sequeretur, quod Doctores contraria sentientes ferè numquam opinarétur, nec umquàm inter se opponerétur, siquidem hæ duæ propositiones, *Mihi videtur, quòd liceat picturà die festo; mihi videtur, quòd non liceat*, sunt affirmativæ; ergo non sunt oppositæ; ergo nec Doctores inter se; adeoque omnis impugnans alterum verberaret aerem; probanti enim, *picturam licere*, respondere posset defendens, *non licere*, atque adeo nihil probaret, nam defendens non tuetur, *picturam non licere*, sed tuetur, *mihi videtur, quòd non liceat*; debuisset ergo probare, quòd *hoc illi* P. Moy. *non videatur*: quare, ut benè P. Moya *tom. 2. qu. 2. n.* 30. omnis opinans absolutè mentaliter affirmat, vel negat ita esse; esto quia judicium illud includit formidinem de opposito, communiter explicari soleat per has voces, *videtur ita esse*, aut *videtur ita non esse*.

N. 19.

N. 20. Adverte 6. ut propiùs ad quæstionem accedam, sequi ex mox dictis 1. nullam inter se hæc duo judicia habere repugnantiam, cùm utrumque sit affirmativum de modo, esto unum sit negativum de dicto, *Probabile est licere die festo picturam*, *probabile est non licere*: si ergo nullam inter se repugnantiam habent, poterunt eodem in intellectu simul existere. E contra hæc duo, *Licet pictura die festo*, *non licet pictura die festo*, quia inter se opponuntur, non poterunt eodem in intellectu simul existere, non minùs, quàm amor, & odium efficax; esto enim assensus habeat diversum motivum à dissensu, non minùs, quàm amor ab odio, ea tamen motivorum diversitas non tollit ab illis actibus repugnantiam, quam inter se habent, ob rationem, quam hìc dedi *advert. 2.* ut enim repugnat, ut res à diversis causis sit simul, & non sit, ita etiam repugnat, ut à diversis motivis sit simul vera, & falsa, nam esset simul, & non esset in intellectu: immò si motiva diversa tollerent ab assensu & dissensu, ab amore & odio repugnantiam; tantò magis verum esset, quòd opiniones contrariæ possent simul esse in eodem intellectu. Sequitur 2. quòd cùm probabilitas partis A non tollatur per probabilitatem partis B oppositę, sed tantùm per certitudinem saltem moralem partis B, aut per certitudinem ostendentem fundamentum partis A non esse grave, sequitur evidenter, quòd utraque pars contradictionis poterit simul esse probabilis: econtra non poterit una esse certa, & alia esse probabilis, cùm per certitudinem unius tollatur probabilitas partis oppositæ. Sequitur 3. quòd ipsa certitudo tolli poterit, vel per probabilitatem partis oppositæ, vel per probabilitatem partis oppositæ, vel per probabilem fundamenti certi solutionem. Sequitur 4. quòd implicet, ut utraque pars contradictionis sit ad invicem quoad idem probabilior; quia idem esset excedens, & excessum quoad idem: tollitur autem probabilioritas, vel ostendendo eam non esse probabiliorem, vel ostendendo oppositam esse probabiliorem. Sequitur 5. quod ut tollatur ab opinione A probabilitas, necesse non est, ut fundamenta opinionis A solvantur evidenter, ut rectè contra Caram. ostendit P. Card. *tom. 1. d. 3.* sed satis est, ut opinio B ei oppositæ probetur evidenter, & fundaméta opinionis A solvantur probabiliter: eò enim ipsò quòd opinio B sit certa, vel evidens, eo ipso opinio A non est probabilis: immò ut opinio A non sit ampliùs probabilis, ne quidem necesse est, ut opinio B oppositæ sit certa, sed satis est, ut certà ratione ostendam fundamentum opinionis A non esse grave. Ratio est; quia utraque contradictoria potest esse incerta, & carere fundamento gravi: ergo ut ab opinione A tollatur probabilitas, non est necesse, ut ejus contradictoria B sit certa, sed satis est, ut certò ostendam fundamentum opinionis A, non esse grave, ut benè P. Carden. *tom. 1. d. 2. a n.* 110.

N. 21.

N. 22.

N. 23.

N. 24.

Caram. P Card. N. 25.

N. 26. Adverte 7. sicut in voluntate juxta celebrem divisionem, alia est simultas potentiæ, alia est potentia simultatis; ita in intellectu, quantùm ad rem præsentem, alia est simultas probabilitatis, alia est probabilitas simultatis. Sicut autem voluntas habet simultatem potentiæ, quatenus habet simul potentiam ad amorem, & potentiam ad odium, divisim ponendos; eodem enim instanti repræsentantur motiva oppositæ ad amorem, & odium divisim; nec ulla est repugnantia, quòd simul stent motiva oppositæ, esto sit repugnantia, ut in eâdem voluntate simul stent actus oppositi, seu amor, & odium, adeoque licet voluntas habeat simultatem potentiæ, non tamen habet potentiam simultatis, quatenus non habet potentiam componendi simul amorem cum odio. Ita accidit in intellectu, qui habet simultatem probabilitatis, quatenus habet eodem instáti simul

N. 27.

poten-

potentiam ad assensum, & potentiam ad dissensum, divisim ponendos; & eodem instâti proponi possunt intellectui motiva opposita, quorum unum alliciat ad ponendum assensum seorsim à dissensu; aliud ad ponendum dissensum seorsim ab assensu; ex. gr. unum ut affirmet, Licet pictura die festo; aliud ut neget, Non licet pictura die festo. Non habet autem intellectus probabilitatem simultatis, quatenus nullum habet motivum probabile alliciens intellectum ad componendum simul assensum cum dissensu. Hujus divisionis meminit etiam P. Eliz. *lib. 2. qu. 11. §. 6. pag.* 100. sed adeo obscurè, ut eum non assequar; clarius tamen eam proponit *lib. 2. quæst. 8. §. 2. pag. mihi* 88. P. Eliz.

§. II.

Communissima, & verissima Sententia.

SUMMARIUM.

Non repugnat simultas probabilitatis, repugnat probabilitas simultatis; explicatur, n. 28.
DD. oppositi, n. 29.
Hinc infert P. Eliz. quæstionem de licito usu esse de subjecto non supponente, ibid.
DD. faventes, n. 30.
Fagnanus ait, licitum inter speculativas sequi minus probabilem, n. 31.
Merc. ait, posse quem disputationis gratiâ sequi minus probabilem, stante probabiliori, n. 32.
Quid sit probabilitas simultatis, & cur repugnet? n. 33.
Quid simultas probabilitatis, & cur non repugnet? n. 34.
Intellectus sentit se allici ab utroque fundamento, dum utrumque ponderat, n. 35.
Quoties Doctores propriam non vocant certam, regulariter putant oppositam probabilem, n. 38.
Egregium dictum M. Godoy in eos, qui oppositam non putant probabilem, n. 39. 40. 41.
Falsum, quod ait M. Baro, quòd D. Th. Discipuli to probabilius *ita sumant, ut ab oppositâ sententiâ omnem tollant probabilitatem*, n. 42.
Falsum, quòd Doctores, dum oppositam impugnant, impugnent probabilitatem, n. 43.
Absurda oppositæ sententiæ, n. 44.
Abulenses ait, D. Hieronymum, & D. Augustinum sæpe inter se contradicere, n. 45.
Sixtus V. utramque opinionem, affirmantem, & negantem, Christum D. venturum, esse pietati, fidei, authoritatibus, & rationi consonam, n. 46.
Non nisi temerè dici potest, oppositam propriæ non esse probabilem; cur? n. 47.
In Expositoribus Scripturæ magna oppositio; inductio, ibid.
Duo argumenta ad hominem contra P. Eliz. dicentem, quòd opinans, nec affirmet, nec neget absolutè rem; & quòd in Doctoribus contradicentibus nulla præsumptio veritatis, n. 48. 49.
Quid significet to videtur mihi ita esse? Ibid.
Si utraque non potest simul esse probabilis, poterit idiota, immò doctus nulli assentiri, n. 50.
Ex sententia contrariâ sequitur, ut quilibet de suâ semper bene, de alienâ semper malè præsumat, n. 51.
Alia absurda, quæ sequuntur, si neutra opinio in consortio alterius manet probabilis, à n. 52. ad 58.
Probabilitas tollitur, vel à certitudine oppositæ, vel à carentiâ gravis fundamenti; non autem à probabilitate, fusè, à n. 53.
Constat inductione in quæstionibus Scholasticis, & Politicis, n. 55.
P. Eliz. concedit, posse Theologum in Scholasticis æquè probabilibus nunc hanc, nunc illam sequi, n. 56.
Omnis opinio esset temeraria, quoties non est certa, n. 57.
Paritas Cathedrarum doctrinæ oppositæ, quæ utraque judicatur probabilis ab Instituteribus, n. 58.
Nulla est disparitas, cur in Moralibus non liceat eligere inter æquè probabiles, liceat in Scholasticis, n. 59.
Æquè homo tenetur quærere verum, ac honestum, n. 60.
Rejicitur alia responsio, quòd pars, cui quis adhæret, appareat probabilior; ex hoc enim ipso infertur utramque simul esse probabilem, à n. 61. ad 63.
Baro ait, quòd rationes stantes contra fidem, sint probabilissimæ, fortissimæ, & pene cogentes intellectum; ejus contradictio, n. 62.
S. Tho. propriam de non consitendis circumstantijs vocat probabiliorem, n. 63.
Ratio ex Immac. Conceptione, n. 64.

UNica conclusio: Implicat duas opiniones contrarias, aut contradictorias esse simul eidem intellectui probabiles probabilitate simultatis; non autem implicat esse simul eidem intellectui probabiles simultate probabilitatis. Id est, implicat, ut eodem instanti in eodem intellectu componantur assensus, & dissensus de eodem objecto ex diversis motivis probabilibus, ita ut intellectus absolutè affirmet simul, & neget idem objectum: non tamen implicat, ut in eodem intellectu eodem instanti componantur per N. 28.

modum objecti duæ opiniones contrariæ, aut contradictoriæ, vel duo motiva probabilia oppositа, allicientia ad assensum probabilem seorsim à dissensu, aut ad dissensum probabilem seorsim ab assensu ex imperio voluntatis ponendos.

N. 29. Palanc. C. Pal. P. Thyr. P. Eliz. Conclusio est contra Palanco *qu.* 23. *per totam*, & contra C. Pallav. quem sequitur P. Thyrs. *disp.* 7. §. 18. *an.* 100. & contra Eliz. *lib.* 2. *qu.* 11. *per totam*, dicentem esse adeò evidens nō posse eidem intellectui duplicem opinionem contrariam apparere simul probabilem, ut inde inferat quæstionem, an licitus sit usus opinionis practicè probabilis pro libertate, datâ aliâ practicè probabili pro lege, esse de subjecto non supponente, quia numquàm eidem intellectui possunt duæ opiniones contrariæ apparere simul probabiles. Vide, quæso, mi Lector, in quas P. Eliz. se conjiciat angustias; ut enim tueatur, non esse licitum usum opinionis minùs practicè probabilis pro libertate, stāte aliâ practicè magis, aut æquè probabili pro lege, negat rem aliàs evidentem, nempe posse eidem intellectui duplicem opinionem contrariam apparere simul probabilem: cùm tamen debuisset potiùs utrumque affirmare, vel saltem affirmare secundum, & negare primum, ut faciunt reliqui Anti-Probabilistæ, quàm utrumque negare.

N. 30. P. Vasq. C. de Lugo, P. Perez P. Espar P. Sāch. P. Moy. P. Card. P. de la Fuente, M. God. C. Caiet. M. Tap. P. Teril. M. Mar. At nostra conclusio est adeò certa, ut eam Doctores potiùs supponant, aut obiter indicent, quam directe probent. Ita P. Vasq. 1. 2. *d.* 62. *cap.* 3. *n.* 16. & *cap.* 4. *n.* 16. & *cap.* 6. *n.* 32. C. de Lugo *d.* 5. de Fide *n.* 16. & *d.* 10. *n.* 14. P. Perez *tr.* de Just. *d.* 4. *cap.* 6. *n.* 139. P. Esparz. in Append. *part.* 2. *art.* 127. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 9. *n.* 7. & 12. & *cap.* 10. *n.* 9. & alij sine numero apud, & cum P. Moya *tom.* 2. *qu.* 2. & 7. §. 3. & *tom.* 1. *qu.* 1. & 6. qui hoc fusè probat; quibus addo P. Card. *tom.* 1. *d.* 6. *cap.* 5. & *d.* 15. *cap.* 4. & *cap.* 8. & *tom.* 3. *d.* 56. *cap.* 16. *n.* 824. P. de la Fuente *disp.* 1. *n.* 136. M. Godoy *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 6. *n.* 108. & 178. & *d.* 8. *n.* 48. & 49. qui propriam vocat probabiliorem, & oppositam probabilem; & *tom.* 2. *d.* 29. *n.* 129. ubi quærit, an Anti-Christus non tantùm malorum hominum, sed etiam Dæmonum caput sit; & ait: Negat Caiet. alij Recentiores affirmant, & utrumque reputo probabile; M. Tapia passim *tom.* 1. & 2. Catenę Mor. P. Teril. latè de Reg. mor. *qu.* 29. immò, quod caput est, ipsi Anti-Probabilistæ; ita M. Mart. *qu.* 84. *in* 3. *p.* de Pœnit. *dub.* 4. *n.* 35. *pag. mihi* 45. quærens, quæ verba sint de essentiâ absolutionis, relatis pro more dilucidè, & doctè utriusque sententiæ tam negantis, quàm affirmantis omnia hæc, *Absolvo te a peccatis*, esse de essentiâ, ait: Restat tertia sententia, quæ mihi videtur probabilior, quamvis duæ præcedentes sint satis probabiles per principia intrinseca, & extrinseca: Fagnanus *n.* 117. supponit inter speculativas licere sequi non tantùm minùs probabiles, sed etiam falsas; ergo supponit manere probabilem; M. Baro 2. *p.* Manuduct. *d.* 4. *sect.* 1. *art.* 3. §. 1. *pag. mihi* 355. docet D. Thomam secutum fuisse minùs probabilem, stante probabiliori in materia quantitatis; Riccius in elucubratione contra usum probabilitatum *cap.* 1. *n.* 3. ait: Assensus opinativus est cum formidine oppositi, non autem probabilitatis; nam duæ probabilitates oppositæ possunt stare simul, & esse æquè certæ; M. Mercor. 2. *p. art.* 3. *pag. mihi* 56. apertè supponit posse utrumque contradictorium judicari probabile; & 2. *p. art.* 1. rectè ostendit non posse intellectū opinari simul utramque partem contradictionis, quia implicat, ut intellectus credat utramque veram; dein ait, aliud esse judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, aliud probabiliter assentiri utrique, ut docet C. de Lugo *d.* 10. de Fide *sect.* 1. *n.* 14. & *pag.* 57. & 113. Idem Mercorus affirmat, immò supponit utrumque contradictorium posse simul esse probabile, immo hoc loco *versic. Nota* 2. ait, posse disputationis gratiâ aliquem sequi partem minùs probabilem, stante probabiliori oppositā; Cand. Philal. præter ea, quæ infrà dabimus, sæpissimè nostram sententiam insinuat, licèt aliquando sibi opponi videatur; nam *qu.* 3. *pag. mihi* 52. expressè dicit, quòd intellectus judicare possit probabilem utramque partem contradictionis; & quidem *simul*, de cætero nihil probaret, nam assentiri vero, & falso potest intellectus divisim: ergo dum Cādidus (ex quo plerique Anti-Probabilistæ pleno gutture biberunt) rectè distinguit probabilitatem à veritate, affirmat utrūque contradictorium posse simul esse probabile, non utrumque simul verum; & utrumque judicium de probabilitate posse simul coexistere, non utrumque de veritate: & *qu.* 6. *a pag.* 122. *ad* 129. sæpe docet utramque partem contradictoriam posse esse probabilem; nam *pag.* 127. ait: Utraque pars contradictionis est probabilis; licèt enim res non possit, nisi vel esse, vel non esse, atque adeo propositio una debeat esse vera, altera falsa; attamen potest ex diversis medijs simul apparere, quòd sit, & quòd non sit; adeoque potest utraque contradictoria esse probabilis, seu probabiliter vera; nam opinionem esse

Fagnan. M. Bar. Riccius. M. Mer. C. de Lugo, M. Mer. N. 32. Philal.

esse probabilem ait Candidus *qu. 7. pag. mihi* 123. non est nisi apparere veram, ex non levi fundamento; potest autem utraque contradictoria per diversa fundamenta apparere vera, adeoque ab intellectu judicari probabilis utraque. Hæc Candidus, qui *pag.* 124. ait: *Res non potest nisi vel esse, vel non esse; licèt utroque modo possit apparere*, id est, simul apparere esse, & non esse. Hinc dixi Candidum expressè stare pro nostrâ sententiâ, esto aliquando sibi contradicat, ductus fortasse argumentis, in quibus veritas, & probabilitas confunduntur; & ideò dixit *pag.* 140. Probabilis propositio cum oppositâ æquè probabili non est probabilis, sed dubia, quia expensa cum æquè probabili non potest generare assensum probabilem; & *pag.* 128. *ad* 139 ait, quòd quoties utraque contradictoria est æquè probabilis, neutra est simpliciter probabilis, quia neutra vincit aliam. Sed mens Candidi infrà exponetur.

P. Mun. Addo P. Munnessà *stim. 6. §. 12. n. 122.*

N. 33. Prima pars conclusionis omnem dubitationis aleam excedit; quia si intellectus posset simul unire assensum cum dissensu de eodem omnino objecto, posset eodem instanti affirmare simul, & negare idem objectum, quod implicat: ergo implicat in eodem intellectu pro eodem instanti probabilitas simultatis duplicis opinionis contrariæ, aut contradictoriæ; id est, implicat in intellectu, tàm duplex probabilitas objectiva alliciens intellectum ad componendum simul assensum cum dissensu, quàm duplex probabilitas formalis, seu duplex opinio nixa ijsdem motivis oppositis. Ratio à priori est; quia implicat eamdem rem simul esse, & non esse: ergo etiam certò implicat, ut in intellectu detur motivum alliciens intellectum, ut simul affirmet, & neget eam rem esse, & non esse: ergo implicat in intellectu potentia ad simul affirmandum, & negandum rem esse simul, & non esse: sed si intellectus posset simul unire duplicem opinionem contrariam, tunc per assensum affirmaret, ex. gr. licere picturam die festo, per dissensum negaret licere, adeoque verum esset, quòd licita simul, & non licita esset pictura die festo, quod implicat: ergo implicat esse simul in intellectu duas contrarias, aut contradictorias opiniones probabiles. Vide confirmationem paulò pòst ponendam.

N. 34. Secunda pars probatur 1. Dari in intellectu simultatem probabilitatis, est dari in intellectu simul motiva allicientia intellectum ad assensum divisivè à dissensu; vel ad dissensum divisivè ab assensu ponendum: vel est dari in intellectu simul per modum objecti, seu objectivè duas opiniones contrarias, aut contradictorias probabiles; sed est evidens hoc non repugnare; ergo est evidens non repugnare simultatem probabilitatis pro eodem instanti in eodem intellectu, ita ut utraque opinio contraria proponatur simul ut probabilis. Maior est definitio simultatis probabilitatis. Minor probatur: Est evidens N. eumdem intellectum, dum utriusque sen- 35. tentiæ oppositæ fundamenta ponderat, simul allici ad assensum seorsim à dissensu, & ad dissensum seorsim ab assensu: rursus est evidens sæpe reflectere, quòd utriusque simul fundamenta sint gravia; quid enim magis familiare Philosophis, Theologis, & cujusvis scientiæ Professoribus, quoties in materiâ Topicâ versantur, quàm judicare sæpe utramque opinionem contrariam esse probabilem, & dubitare de alterutrius veritate? ut apertè fatetur P. Thyrsus *dis. 7. n. 26.* P. Thyr. ubi loquens de Magistris, dixit, *tamdiu manere dubios, quamdiu fundamenta earum apparent eis æquè verisimilia*: ergo si intellectus manet dubius, utique utrumque motivũ simul movet, adeoque est simul probabile: ergo est evidens in eodem intellectu stare simultatem probabilitatis de utrâque parte oppositâ, adeòque duas opiniones cõtradictorias esse simul objectivè eidem intellectui comprobabiles.

Confirmo utramque partem conclusio- N. nis: Simultas probabilitatis est simultas mo- 36. tivorum probabilium simul allicientium ad assensum seorsim à dissensu, & ad dissensum seorsim ab assensu: probabilitas simultatis est simultas motivorum probabilium suadentium rem simul esse, & non esse, adeoque suadentium ad componendum assensum simul cum dissensu, & ad dissensum simul cum assensu: sed quàm evidens est repugnare simultatem motivorum suadentium rem simul esse, & non esse, & ad assensum simul componẽdum cum dissensu ejusdem objecti; tam evidens est non repugnare in eodem intellectu simultatem duorum motivorum oppositorum allicientium intellectum ad assensum seorsim à dissensu, aut econtra; hoc enim non est nisi, quòd simul in intellectu coexistant motiva opposita inclinantia ad affirmandum rem esse, vel non esse; non autem est dari in intellectu motiva opposita inclinantia ad affirmandum rem esse simul, & non esse; aut rem non esse simul, & esse: ergo &c. Præsto est exemplum voluntatis, cui motiva oppositа simul proponuntur ad amorem, & odium divisivè ponendum; immò amor, & odium possunt simul proponi per modum objecti reflexi ipsi

voluntati, ut alium amorem seorsim ab odio, aut aliud odium seorsim ab amore eliciat.

N. 37. P. Moy. Probatur 2. eadem 2. pars ex P. Moya, qui mirâ pro more sibi ingenito eruditione plurimos DD. recitatis fideliter verbis citat, & suadet *tom. 1. qu. 5. & 6. & tom. 2. qu. 2. per totam*, addens *n.* 30. eam esse indubitatam apud omnes tam Antiquos, quàm Modernos, uno, aut altero excepto. Ferè omnes Doctores utramque partem contradictionis probabilem probabilitate conscientiæ putant, quoties propriam non vocant certam, & pro propriâ non habent evidentiam: ergo doctrina P. Eliz. asserens duas opiniones contrarias non posse simul esse probabiles probabilitate conscientiæ, est contra mo-

P. Eliz. N. 38. S. Th. destissimam, & ingenitam ferè omnium Doctorum apprehensionem. Antecedens probari posset inductione; at pro omnibus satis erit Ang. Doctor, qui mihi instar omnium est; ait enim *1. p. qu. 66. art. 3. ad 2. & quodlib. 6. art. 9.* probabiliorem sibi esse sententiam affirmantem Cælum Empyreum influere, & tamen sententiam negantem, quam olim in *2. dist. 2. qu. 2. art. 3.* secutus fuerat, probabilem vocat: & in *4. dist. 16. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 5.* propriam sententiam de non obligatione confitendi circumstantias non mutantes speciem, vocat *probabiliorem*; ergo oppositam, quam ibi citat, supponit probabilem. Similiter Illustriss. Godoy, qui ab

Ill. God. N. 39. Ang. Doctore æqualem exquisitæ sapientiæ modestiam, & humilitatem hausit *tom. 1. in 3. p. in Præfatione*, habet hæc verba maximè meditanda: Aliorum placita, argumenta probativa, argumentorumque solutiones frequenter refero, & multoties impugno, non quidem, ut expungam, nec ut illa improbabilitatis convincam; neque enim adeò meis sententijs adhæreo, nec tantùm in proprijs partibus mihi complaceo, ut alienos fœtus exhorream, illisque improbabilitatis notam injiciam; in quo plures deficientes reperio (N3) proprias imaginationes eo cultu venerantes, ut scelus idololatriæ judicêt, alienis præbere assensum, adeoque proprijs argumentis victos, ut nullus in illorum intellectu ad aliorum sententijs assentiendum locus relinquatur. Quod ut meum judicium proferam, (N3) ex ignorantiâ potiùs, quam ex ingenij celsitudine, & profundâ rerum penetratione, ut ipsi putant, procedit; dum ad pauca respicientes, demonstrativa judicant, quæ sæpe, nec topica sunt argumenta. Igitur non eâ mente aliorum sententias, argumenta probativa, & solutiones refello, sed ut prudens Lector, omnibus hinc inde perpensis, sibi eligat, quod meliùs censuerit, & quod verius judicaverit; etsi omnibus ex intimo corde exoptem, ut Angelici Præceptoris doctrinam non tam proprio comparatam labore, quàm divinitùs acceptam sequantur. Hæc vir nemini secundus. In cujus verbis nota 1. quòd qui notam improbabilitatis alienis inurunt sententijs, & suis omnino desponsantur, peccant ex ignorantiâ, & potiùs inter ignorantes, quàm inter Doctos numerandi sunt, immo hoc ipsum vitium ab ignorantiâ tamquam à radice pullulat. Nota 2. quòd si sententiæ Theologicæ circa Incarnationem controversæ, etsi pleræque in Scripturâ, Conciliis, Patribus fundentur, quamvis à M. Godoy sibi oppositæ impugnentur, adhuc non sunt ei improbabiles, licet eas plerumque impugnet argumentis ex Scriptura, Patribus, & Conciliis deductis, & rationibus eas authoritates supponentibus, quâ ratione opiniones morales, quæ non nisi remotissimè fundantur in similibus sacris Litteris, & definitionibus, oppositæ opinioni propriæ, etsi à nobis impugnentur, erunt nobis non probabiles, aut improbabiles.

N. 40. M. God.

Nota 3. quòd licèt dicat, quòd quisque eligat, quod sibi verius est, ad hoc tamen non obligat, immò suadet, ut quilibet doctrinam S. Thomæ sequatur, etsi alicui videri possit non esse verior. Utinam sicut M. Godoy plures in Scholasticam Theologiam doctissimos Commentarios edidit, eosdem in Moralem edidisset, erubescendum esset illis, qui quantum à modestiâ, tantùm à sapientissimi Præsulis sapientiâ remoti, osculantur propria, & aliena, ut improbabilia, infamant. Hinc patet quàm falsum sit, quod ait Baron sæpe in *2. p.* Manuduct. ad Mor. Theologiam, singulariter *d. 2. sect. 4. pag. mihi* 260. ait enim, *Comparativum illud* (nempe *probabilius*) *à S. Thomâ, ejusque discipulis usurpari, nec ullam relinquere contrariæ sententiæ probabilitatem, licèt vi verborum non eripiant.* Ecce quàm inverso modo M. Baro procedit; vult enim, quòd quoties M. Cano, M. Bannez, M. Mart. M. Tapia, M. Godoy, & alij D. Thomæ discipuli vocant propriam probabiliorem, velint oppositam non esse probabilem; quod certè est evidenter falsum; tum quia sæpe oppositam vocant probabilem; tùm quia Hispani Theologi non solent impropriè loqui; tùm quia D. Thomæ discipuli à S. Thomâ modestiam, què ac sapientiam hauriunt, nec, ut diximus, ex celebri M. Godoy adeò propriæ opinioni inhærent, ut oppositam sibi non probabilem putent, cùm hoc ignorantiæ indicium sit, quod de talibus viris somniare nefas est.

M. Bar. N. 41. M. Can. M. Ban. M. Mar. M. Tap. M. God. N. 42.

Nec

Nec dici potest, quòd quilibet, impugnans oppositam sententiam, impugnet ejus probabilitatem; contra enim est, quia hoc est æquè falsum, ac falsum est quemlibet Doctorem propriam sententiam argumentis semper certis, & evidentibus probare; & oppositam argumentis semper certis, & evidentibus impugnare: immò quia certum est oppositas sententias non semper impugnari evidenti ratione, ideò, etsi illæ impugnentur, dici solent probabiles ab ipsis impugnantibus. Quæro enim, an Thomista ex.gr. impugnans Scotum abstulerit à Scoti sententijs probabilitatem? Utique negabitur: si ergo non abstulit probabilitatem, adhuc Scoti sententia manet probabilis: quæro etiam, an sententia Thomistica in contortio oppositæ Scotisticæ maneat probabilis? Utique concedetur; ergo jam conceditur utramque simul esse probabilem: si enim utraque simul non est probabilis, alterutra est certa, aut evidens, cùm probabilitas non tollatur nisi per certitudinem, vel evidentiam, vel carentiam fundamenti gravis, ut dixi §. 1. *advert.* 6. ergo alterutra erit certa, nempe illa, quæ enervat probabilitatem alterius. Modò peto, an certa sit sententia D. Thomæ, an Scoti? Si D. Thomæ, tunc omnis sententia Scoti oppositа D. Thomę erit improbabilis: si Scoti, tunc omnis sententia D. Thomæ erit improbabilis, quod quis somniabit? Ergo evidens est utramque oppositam posse esse simul probabilem. Idem accidit D. Hieronymo, & D. Augustino, *qui*, ut ait Abulensis in Defensorio *part.* 2. *cap.* 8. *sibi interdum directè, & formaliter in multis locis contradicunt; patet hoc primò, quantum ad fidem septuaginta Interpretum, &c. discordant etiam Hieronymus, & Augustinus in Observationibus legalibus &c.* Hæc Abulensis; & tamen quis inlipientię damnabit Hieronymum, vel Augustinum? Ergo evidens est utramque oppositam posse simul esse probabilem. Idem contigit Pontificibus; aliquando enim idem Pontifex tamquam probabiles approbat duas contradictorias, quod per specialem Bullam factum invenitur in celebri de Adventu Christi D. controversiâ, ut legi potest apud P. de la Fuente *diss.* 1. *n.* 136. & Saura de Examine propositionum *cap.* 12. qui refert Bullam Sixti V. dicentis utrâque opinionem esse, *pietati, fidei, authoritatibus, & rationi consonam*; quæro igitur ab Adversarijs, quomodò, cùm veritas sit una, possit utraque opinio contradictoria esse illi conformis? Rursus quæro, quomodò Sixtus dixerit utramque opinionem esse rationi, & fidei consonam? vel enim dixit, quòd sibi videretur utraque rationi consona, & sic utraque simul erat Sixto probabilis; vel dixit unam esse uni, alteram alteri intellectui consonam, & sic nihil dixit.

N. 43.

N. 44.

N. 45.

Abulen.

De la Fuente, Saura, Sixtus V.

N. 46.

Nisi ergo temerariè culpare velimus improbabilitatis alterutram, vel ex Scholis, vel ex Universitatibus, vel ex Doctoribus oppositа docentibus, quod idem locum habet inter ipsos Ecclesiæ Doctores, qui sæpe in pluribus opponuntur; aliqui enim dicunt Christum D. cultro ferreo, alij lapideo, aliqui die sabbati, alij alio die, aliqui a Deiparâ, alij à S. Joseph circumcisum; aliqui Salomonem electum, alij reprobum; aliqui Angelos ante Cælos, alij post Cęlos creatos fuisse; & sexcenta similia: nisi ergo quilibet temerariè damnare velit semper improbabilitatis oppositam sibi sententiam, dicendum necessariò est oppositam sententiam non tãtùm esse probabilem suis Patronis, sed etiam eam impugnantibus: ergo utraque contradictoria est simul probabilis propugnanti unam, & impugnanti aliam.

N. 47.

Confirmo duplici ad hominem argumento contra P. Eliz. cùm enim ipse, ut etiam notavit P. Moya *n.* 30. supponat opinantem nec affirmare, nec negare absolutè rem, (quod falsum est, ut dixi §. 1. *advert.* 3. & 5.) nam absolutè mentaliter affirmat, aut negat rem esse, licèt, quia illud judicium includit formidinem oppositi, explicetur per voces, *Videtur mihi rem esse, aut non esse*, sequitur, suppositâ hâc ejus doctrinâ, quod simul stare poterunt duæ opiniones contrariæ probabiles; nam judicium ex. gr. S. Thomę est, *Videtur mihi non esse necessariò confitendas circumstantias speciem non mutantes*; judicium Scoti est, *Videtur mihi esse necessariò confitendas*: sed in his propositionibus nulla est contrarietas, vel contradictio, ut dixi §. 1. *advert.* 5. cùm utraque sit affirmativa de modo: ergo hæ duæ opiniones (suppono autem utramque niti gravi fundamento) poterunt simul stare: ergo duæ illæ opiniones probabiles poterunt simul stare. Alterum est, quia dum P. Eliz. *lib.* 2. *qu.* 11. §. 4. *pag. mihi* 97. dicit, nullam in Authoribus sibi contradicentibus esse præsumptionem veritatis in utrisque simul; vel per hęc verba vult, quòd non nisi unus dicat absolutè verum, & hoc verum est, sed non est ad rem, tùm quia cõfundit probabilitatem cum veritate; tùm quia non quæritur, an duæ opiniones contrariæ possint simul esse verę, cùm implicet utrũque esse veram, sed an possint simul esse probabiles: vel per ea verba vult, quòd neuter dicat *probabiliter* verum; hoc autẽ dici non potest sine magnâ temeritate, & nisi dice-

N. 48. P. Eliz. P. Moy.

N. 49. P. Eliz

dicere velimus, quòd dum S. Thom. & Scotus ſibi opponuntur, neutra opinio ſit probabilis; ergo dum ſibi opponuntur, uterque dicere poteſt probabiliter verum, utrumque enim contradictorium poteſt eſſe veroſimile; aliàs nullus idiota aſſentiri poſſet Scotiſtæ, quoties illi Thomiſta opponitur; nullus Thomiſtæ, quoties Scotiſta opponitur; quia juxta P. Eliz. nullus ex Doctoribus ſibi contradicentibus præſumendus eſt dicere N. 50. verum. Addo aliud ad hominem contra Eliz. argumentum: Nullus Author, cui alter contradicit, præſumendus eſt dicere verum: ergo multo minùs præſumendus erit ipſe P. Eliz. dicere verum, quia non tantùm quoad punctum præſens, ſed quoad ferè omnia, quæ ſuo in tomo docet, ferè omnes habet ſibi contradicentes. Cur ergo librum impreſſit? Vel enim oppoſitas ſibi ſententias impugnat evidentibus, vel probabilibus? Non evidentibus, (quâ enim modeſtia hoc dicat!) ergo probabilibus. Vel ergo oppoſitę à ſe impugnatæ manent ſimul probabiles; & tunc habeo intentum, nempe quod duæ oppoſitæ poſſunt ſimul eſſe probabiles: vel non manent? hoc autem, quia ejus erit evidens, & aliena erit improbabilis; aut econtra: ſed ejus opiniones non ſunt evidentes, ut dixi; ergo ei oppoſitæ non erunt improbabiles; ergo opinio illius, & aliena erit ſimul probabilis. Sanè ſi P. Eliz. audiens me N. 51. dicentem ejus opinionem, quæcumque ea ſit, eſſe mihi certo falſam, vix ſe jure merito continere poſſet, quomodò velit, ut nos contineamus audiendo doctrinam generalem, quod numquam duplex contraria poſſit eidem intellectui eſſe ſimul probabilis, & quòd contraria propriè eſt cuique ſemper improbabilis? Ergo ſanè doctrinam, quæ ſuadet, ut quilibet de ſe, & ſuâ opinione ſemper benè præſumat, de alienâ ſemper malè, diligere non poſſum.

N. 52. Probatur 3. argumento enervante doctrinam Adverſariorum, qui dicere ſolent, quòd nulla opinio in conſortio ſibi oppoſitæ ſuam probabilitatem retineat, adeoque neutram manere probabilem, quia una enervat probabilitatem alterius, & hæc illius mutuò ad invicem. Sed contra 1. quia, ut dixi, probabilitas numquàm tollitur per probabilitatem, ſed tantùm per certitudinem ſaltem moralem ſententiæ oppoſitæ, vel per carentiam gravis fundamenti. Contra 2. quia, ut N. 53. etiam dixi, neutra ex Univerſitatibus ſibi contradicentibus diceret probabile, adeoque numquam audiendus eſſet S. Thomas, dum Scotus opponitur, numquam Scotus, dum S. Thomas opponitur; immò nulla opinio, niſi ſit evidens, (rariſſima autem eſt) reduci poterit ad praxim, quia vix ulla eſt in materiâ hinc inde incertâ, quæ non habeat oppoſitam probabilem. Contra 3. quia tantùm abeſt, quòd rationes unius partis enervent rationes probabiles oppoſitas, ut oppoſitum conſtet experientiâ; nam Philoſophus, vel Theologus reflexè conſiderans utriuſque fundamenta, vocat utramque partem probabilem. N. 54.

Idem conſtat in quæſtionibus Politicis, ait P. Carden. *tom.* 3. *cap.* 16. *art.* 2. quæro enim, an utilius ſit Epiſcopum eſſe in Eccleſiâ perpetuum, an potiùs tranſire de unâ ad aliam? an Religionum Generalem eſſe ad tempus, an non? In quibus quæſtionibus conſtat Pontifices utramque partem, ut çquè probabilem, practicare, præcipuè cùm non conſtet, quæ ſit probabilior. Idem patet ex confeſſione P. Eliz. in quæſtionibus Scholaſticis; concedit enim Theologum poſſe modò unam, modò aliam tueri ex æquè probabilibus: ſi ergo in quæſtionibus Scholaſticis ratio unius partis non enervat rationem alterius, (ſi enim enervaret, intellectus neutri parti prudenter aſſentiri poſſet) quæro, cur in Moralibus contingat oppoſitum? quod enim probabilis ratio unius partis enervet probabilitatem alterius, non oritur ex materiâ, ſive hęc, ſive illa ſit, ſed à ſolâ vi intellectus ſolventis rationes utriuſque; in quo caſu manet dubius nulli parti aſſentiendo; vel ſolventis rationes probabiles partis oppoſitę, & non ſolvendo rationes probabiles partis, cui aſſentitur. N. 55. P. Card. P. Eliz. N. 56.

Demum ſi ex conſortio opinionum utraque opinio ſuam probabilitatem amitteret, omnis opinio moralis eſſet temeraria, vel certa: vel enim dum Theologus aſſentitur opinioni A, ſtante opinione B, oppoſitâ, aſſentitur cum gravi fundamento, vel non? Si non; ergo temerariè aſſentitur, quod dici non poteſt. Si ex gravi fundamento; quæro, an cum fundamento opinionis A, cui aſſentitur, ſit etiam præſens fundamentum grave opinionis B, cui non aſſentitur, vel non? Si eſt præſens fundamentum oppoſitum, ergo non enervatur: ſi non eſt præſens, ergo omnis opinio moralis, cui quis aſſentitur, erit illi moraliter certa. Hoc ſcio, quòd Theologi adeò certo credunt ſe habere fundamentum aſſentiendi directè opinioni, cui aſſentiuntur, ex. gr. affirmandi eſſe licitum, etiam ſtante fundamento gravi opinionis oppoſitæ pro non licito, vel econtra, ut non poſſim de oppoſito dubitare. N. 57.

Confirmo exemplo ineluctabili. Certum N. 58. eſt

est sapienter à Regno, Republicâ, & Ecclesiâ institutam contrarietatem Cathedrarum, quæ pinguibus stipendijs, & privilegijs dotari solent: ergo est æquè certum, quòd licèt alterutrius Cathedræ doctrina sit falsa, utraque tamen est simul probabilis. Consequentia probatur 1. quia utraque Cathedra simili stipendio, & privilegio donatur: 2. quia si unius tantùm doctrina esset probabilis, eo ipso alterius doctrina esset certo non probabilis, aut improbabilis; insipienter autem donaretur eodem stipendio, & privilegio doctrina improbabilis, ac probabilis: 3. quia si una tantùm est probabilis in consortio alterius, neutra erit probabilis, nam A non est probabile, stante B; ergo nec B, stante A. 4. quia dici non potest doctrinam S. Thomæ non esse probabilem in consortio doctrinæ Scoti: 5. quia neutra Schola probat evidenter, & certò suam doctrinam, licèt utraque evidenter probet probabilitatem propriæ doctrinæ, seu propriam doctrinam esse probabiliter veram. Hoc argumentum est ad hominem contra Eliz. qui probat 2. *p. lib. 6. qu.* 13. *per totam*, institutas sapienter diversas Cathedras, & ex eo sumi possunt plura contra eumdem, quæ nos alibi dabimus. P. Eliz.

N. 59. Dices 1. Ideo in moralibus non licere eligere alterutram ex æquè probabilibus, licere in Scholasticis, quia in Scholasticis rationes æquè probabiles generant tantùm dubium speculativum, in Moralibus autem practicum, cum quo non licet operari. *Sed contra* 1. quia hoc non est ad rem: ego enim quæsivi, cur in Scholasticis ratio unius partis nò enervet probabilitatem alterius, enervet in Moralibus? Contra 2. quia si verum est, quòd in Scholasticis rationes æquè probabiles generent dubium speculativum, eo ipso intellectus nulli parti assentietur, sed N. 60. suspendet omnem assensum: ergo falsum est, quòd rationes æquè probabiles in materijs speculativis necessariò faciant intellectum speculativè dubium: cùm enim Theologus solvit rationes probabiles contrarias, & nititur rationibus favent ibus suæ conclusioni, deponit omne dubium: ergo etiam in Moralibus, quoties adsunt rationes æquè probabiles, & solvit contrarias, & nititur favent ibus suæ opinioni, deponit omne dubium practicum. Contra 3. quia si licet in Scholasticis eligere alterutram ex æquè probabilibus, nec probabilitas enervat probabilitatem speculativam oppositam, non video quomodò in Moralibus probabilitas A enervet probabilitatem practicam B, & quomodo non liceat eligere ex moralibus æquè probabilibus alterutram; non enim homo plus tenetur amare honestum, quàm verum: ergo vel nullibi licet, vel ubique. Ex hoc solutum manet aliud discrimen, quod ab aliquibus indicatur, nempe quæstiones speculativas, etsi Theologicas, institutas puræ exercitationis gratiâ, quod egregiè refellit P. Eliz. 2. *p. lib. 6. qu.* 13. §. 8. *pag. mihi* 262. si enim hoc verum esset, posset quilibet eo titulo omne falsum defendere. P. Eliz.

Dices 2. quòd cùm Theologus uni parti adhæret, est, quia illi proponitur ut probabilior, ita ut ab eo probabilitatis excessu impellatur ad assensum, & deponendum dubium. Sed contra 1. ait P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *num.* 529. hæc responsio non est ad rem; nam M. Baro vult, quòd quando opiniones sunt æqualis, aut altera est paulo maioris probabilitatis, generent dubium, & non possint movere ad assensum prudentem, ad quem tamen movent, quando una, ut loquitur Baro, infinitis partibus probabilitatis, vel ut loquitur P. Thyrs. Palanco, P. Munes. quando una est longo excessu probabilior, oppositâ stante pro lege: ergo quoties una non excedit in probabilitate notabiliter aliam, numquam intellectus assentietur, quod est contra experientiam. Contra 2. quia utraque motiva probabilia inter se collata, vel generant necessariò dubium, & sic omnes TT. peccabunt, quoties uni præ alterâ assentiuntur; vel non? & tunc poterunt movere ad prudentem assensum. Nota autem inconsequentiam M. Baro, qui *d.* 2. *sect.* 4. *art.* 1. docet rationes militantes contra certitudinem fidei, & stante credibilitatis evidentiâ, esse *probabilissimas, fortissimas, & penè cogentes intellectum ad assensum*. Mirabile dictum! Ecce concedit probabilitatem rationibus, stante certitudine pro oppositò; & deinde vult *hic d.* 2. *sect.* 2. *art.* 2. §. 6. quòd una probabilitas enervet aliam; in quo dicit contradictionem; si enim certitudo fidei, & evidentia credibilitatis ejusdem fidei non enervat per Baro probabilitatem, quam habere videntur argumenta opposita nostræ fidei, quomodò deinde vult, quòd maior, aut æqualis probabilitas destruat minorem, aut æqualem probabilitatem? ut rectè P. Card. *n.* 536. Hoc scio, quòd S. Thom. in 4. *dist.* 16. *qu.* 3. *art.* 2. propriam sententiam de non obligatione confitendi circumstantias aggravantes vocat probabiliorem: ergo cùm probabilius sit relativum, relativa autem sint simul cognitione, sequitur, quòd in intellectu D. Thomæ propria probabilior, & oppositæ minùs probabilis simul fuerint: ergo maior, & minor probabilitas, & multò magis N. 61. P. Card. M. Bar. P. Thyr. Palanc. P. Mun. N. 62. M. Bar. P. Card. S. Th. N. 63.

magis duplex æqualis probabilitas sunt simul in mente opinantis; ergo non se destruunt, si enim maius destrueret minus, non coexisteret minus, quando existit maius, adeòque relativa non essent simul cognitione.

N. 64. P. Moy. Baron. Mercer.

Alias rationes pro simultaneâ probabilitate trahit P. Moya *tom. 2. qu. 2. §. 1. & 2.* quin quam adducit ex Immac. Deiparæ Cõceptione, acriter, & quidem ad hominem urget, contra M. Baronium, & M. Mercor. porrò non utitur dictâ ratione, quatenus supponat minus piam esse sibi probabilem, judicat enim sibi certò improbabilem, ut ego quoque docui *d. 1. n. 62.* sed ad hominem utitur contra citatos Authores, opinantes minus piam esse probabilem, & ex hâc eorum suppositione contra eos arguit, quod nos quoque præstabimus urgendo idem argumentum, in eos, qui minùs piam tuentur probabilem, & refutando eorum responsa.

SECTIO II.

Argumenta P. Elizaldæ trahuntur, & solvuntur.

§. I.

Argumenta.

SUMMARIUM.

Quia alterutrius fundamentum non est grave, nec quoad se, nec quoad nos, n. 66.
Quia alterutrum est falsum, n. 67.
Paritas testium contradicentium, n. 68.
Quia fundamentum in se falsum, etsi quoad nos grave, caret probabilitate conscientiæ, n. 69.
Quia alterutrum fundamentum, cum sit in se falsum, est tantùm grave ex ignorantiâ, n. 70.
Quia quò maior est apparentia fundamenti in se falsi, eò maior ignorantia, n. 71.
Quia non potest fundamentum esse grave, si caret respectu ad veritatem, n. 72.
Quia contradictoria possunt quidem esse simul probabilia diverso genere probabilitatis, non tamen probabilitate reali, & conscientiæ, n. 73. 74.
Triplex ejus contradictio, n. 75. 76.
Ait, nos posse sequi divisivè doctrinas contradictorias, n. 77.
Ait, plus requiri ad probabilitatem conscientiæ, quàm excusare a peccato, n. 78.
Ait, duas contradictorias non posse simul esse extrinsecè probabiles, quia alterutri Doctores sunt ignorantes, & in contradicentibus Doctoribus nulla est præsumptio doctrinæ, adeoque nulla authoritas, à n. 79. ad 82.
Quia forma incompossibilis cum aliâ est incompossibilis cum simultate ejusdem formæ in utroque extremo; ex. gr. si sapientia convenit uni ex contradicentibus, non potest ignorantia esse simul in utroque, n. 83.
Quia evidentia falsitatis convenit alterutri, adeoque probabilitas veritatis non est simul in utroque, n. 84.
Quia possibilis etiam erit probabilitas simultatis, n. 85. 86.
Quia doctrinæ sanitas est veritas, & nulla falsa est a Deo Authore, n. 87.
Hæc omnia ad hoc reducuntur, quod probabilitas est veritas, & sicut implicat simultanea veritas, ita simultanea probabilitas, n. 88.

POstquam P. Eliz. *lib. 2. qu. 8. §. 2. pag. mihi* 88. supposuit tamquam communissimam (immeritò tamen, ut dixi, cùm nostra ferè omnibus indubitata sit, & à me certò probata) suam doctrinam, quòd duo contradictoria numquam proponi possint, ut proximè opinabilia, & assensu digna, quia vel fundamenta utriusque partis sunt æqualia, & sic nulli assentiri possum, vel inæqualia, & sic teneor assentiri probabiliori; tandem §. 3. ita N. 65.

Arguit 1. Ex vero non nisi verum, & ex contradictorijs alterutrum est falsum: ergo fundamentum alterutrius contradictorij nõ est grave, nec quoad se, nec quoad nos. Consequentia probatur: Illud fundamentum non est grave, nec quoad se, nec quoad nos, quod evidenter scio esse falsum: sed scio alterutrum pro utràque contradictoriâ fundamentum esse falsum: ergo alterutrum fundamentum nec quoad se, nec quoad nos est grave. Confirmat 1. quia sicut evidens est alterutram contradictoriam esse falsam, ita etiam evidens est alterutrum fundamentum esse falsum, si enim utrumque esset verum, cùm ex vero non sequatur nisi verum, sequeretur, quòd utraque contradictoria esset vera: ergo sicut implicat, ut judicem veram utramque contradictoriam, quia alterutrius falsitas est evidens, ita etiam implicat me judicare grave utrumque fundamentum, quia alterutrius falsitas est mihi indeterminatè evidens. N. 66. N. 67.

Confirmat 2. Implicat ut uterque ex duobus testibus sibi contradicentibus sit fide dignus, tum quoad se, tum quoad nos; esto non implicet, ut quilibet seorsim ab alio sit fide dignus quoad nos; nam esse fide dignũ, est non fallere, & non falli: sed implicat, ut uterque neque fallat, neque fallatur: ergo implicat, ut uterque sit fide dignus, adeoque N. 68.

N. 69. que in eo casu neutri credendum est. Addit §. 5. posse quidem fundamentum in se non grave apparere grave quoad nos, nempe si fundamentum oppositum non occurrat; numquam tamen neque seorsim à fundamento oppositio sumptum erit grave quoad se, si falsum sit; immo *qu. 9. initio pag.* 91. ait, in tali casu nos non posse ex eo fundamento quoad nos gravi sine peccato operari, quia vult, quod tale fundamentum in se falsum, & quoad nos grave, nullam habeat probabilitatem conscientiæ, quia supponit, ad probabile conscientiæ requiri, ut sit verũ.

N. 70. P. Eliz. Arguit 2. *lib. 2. qu. 9. §. 1. pag.* 91. Omne ex ignorantiâ, aut errore tale non est simpliciter tale: sed in omni contradictione fundamentum unius partis est tantùm grave ex ignorantiâ, aut errore; alterutrum enim est necessario in re falsum: ergo in omni contradictione alterutrum ex fundamentis non est simpliciter grave, sed tantùm secundùm quid; id est, ambo fundamenta videri possunt gravia, non autem esse; quod autem videtur tale, & non est tale, non est simpliciter tale: ergo alterutrum fundamentum non est simpliciter, & reverà grave.

N. 71. Confirmat 1. quia magna veritatis apparentia, quam tale fundamentum habet, quo maior est, eò maiorem supponit ignorantiam: (lepidum sanè argumentum!) ergo non potest constituere gravitatem, nisi ex errore: sed gravitas ex errore non est gravitas simpliciter, sed secundùm quid: ergo &c. Confirmat 2. §. 2. ubi relatâ explicatione communi, quòd ea fundamenta dicantur absolutè gravia, quæ licèt in se falsa sint, vel si vera sunt, habent tamen magnam veritatis apparentiam, & vim movendi Doctores in tali re apprimè versatos, tandem §. 3. *ad finem* ait, quòd ut fundamentum sit grave, habere debeat respectum ad veritatem, quo si careat, non erit grave: ergo cùm in alterutro ex fundamẽtis desit respectus ad verum, evidens enim est unum esse falsum, aut non sequi ex eo conclusionem; sequitur, quòd qui eo fundamento movetur, ægrotet, & malè se habeat eà in re, nam eam ignorat, vel in eà errat.

N. 73. P. Eliz. Arguit 3. *lib. 2. qu. 10. §. 1. pag.* 94. (non autem 92. est enim error Typographi) quia licèt conclusiones contradictoriæ possint simul esse probabiles diverso probabilitatis genere, numquàm tamen probabilitate reali, & conscientiæ. Primum patet; quia una potest esse magis probabilis ob maiorem Doctorum numerum; altera esse magis probabilis ob rationem; una esse probabilis speculativè, alia practicè: ergo contradictoria possunt diverso probabilitatis genere esse simul probabilia. Secundum probat §. 2. quia quæ- N. 74. dia sunt alicujus doctrinæ fundamenta, talis est ejusdem doctrinæ probabilitas, aut certitudo: sed fundamenta doctrinæ contradictoriæ numquam possunt esse ex utraque parte simpliciter gravia: ergo nec probabilitas utriusque contradictorij potest esse simpliciter gravis, adeoque unum tantùm erit probabile; alterum autem videbitur esse, sed non erit probabile.

Addit §. 3. quod nihilominus poterimus N. 75. sequi sine peccato doctrinas contradictorias. Ecce triplex contradictio. Prima est, quod possimus utramque sequi sine peccato, & tamen *qu. 9. initio pag.* 91. dixerat, nos non posse ex fundamento tantum gravi quoad nos sine peccato operari; alterutrum autem fundamentum est ex eodem Eliz. grave tantùm quoad nos. Secunda est, quod si utramque contradictoriam doctrinam possumus sine peccato sequi, eo ipso infertur evidenter, vel quòd utraque erit probabilis probabilitate conscientiæ, & utriusque fundamentum erit simpliciter grave; vel quòd potero sine peccato sequi doctrinam non probabilem probabilitate conscientiæ, & non habẽtem fundamentum simpliciter grave. Tertia est, quòd dum concedit posse sine peccato ad praxim reduci utramque contradictoriam doctrinam, eò ipso utraque dicenda erit probabilis probabilitate conscientiæ, (quod tamen negat) si enim doctrina excusans à peccato non est probabilis probabilitate conscientiæ, ignoro quænam dicenda erit probabilis probabilitate conscientiæ.

Hæc sunt contradictoria obiter notata. Sed N. redeo ad ejus argumentum; addit itaque nos 77. sequi posse sine peccato doctrinas contradictorias, quia licèt in concursu fundamenta utriusque cõtradictorię nũquam videri possint gravia, possunt tamẽ seorsim, & divisivè; tunc autem si quis debitâ usus fuerit diligentiâ, illud sequendo non peccabit. Cur autem, N. quod excusat à peccato non vocet probabile 78. conscientiæ, est, inquit, quia invincibilis ignorantia excusat, nec tamen facit probabilitatem conscientiæ: ergo plus (inquit) requiritur ad probabile conscientiæ, quàm esse aliquid excusans à peccato. Rursus, cur non peccet sequens fundamentum, quod etiam seorsim est tantùm secundùm quid, seu ex ignorantiâ grave, est, (ait) quia ignorantia excusat. Porro hanc doctrinam, quòd fundamentum in se falsum, & quoad nos grave, etsi à peccato excuset, non dicendum sit fundare probabilitatem conscientiæ, dederat *lib. 2. qu. 8. §. 5.*

Arguit

N. 79. P. Eliz

Arguit 4. *lib.* 2. *qu.* 11. §. 1. ait non tantùm esse verum, sed esse demonstrabile, nullas contradictorias esse simul probabiles probabilitate conscientiæ, quam sæpe vocat *realem*, ut patet ex *qu.* 10. §. 2. esto possint simul esse probabiles alio genere probabilitatis, putà sophisticæ, quatenus facit videri utramque contradictoriam probabilem, non tamen facit in se probabilem. Ita ergo de extrinsecâ probabilitate arguit. Probabile ab extrinseco conscientiæ consistit in doctrinâ Authoris, vel Authorum: sed nullæ conclusiones contradictoriæ simul habent doctrinam Authorum; ergo non sunt simul probabiles extrinsecè. Minor probatur; quia una conclusio contradictoria supponit in suo Authore ignorantiam: sed ignorantia non est doctrina; ergo ea non supponit in suo Authore doctrinam, immò non doctrinam: ergo talis conclusio non est extrinsecè probabilis; quis enim dixerit, tàm doctrinam, quàm ignorantiam satis esse pro conscientia; & tam fundamenta probabilia, quàm sophistica?

N. 80.

Confirmat 1. quia evidenter scimus alterutros Doctores errare; ergo cùm desit in utrisque simul doctrina, deest probabile conscientiæ in alterutris.

N. 81.

Confirmat 2. quia non potest utraque contradictoria esse simul extrinsecè probabilis, nisi ex simultate doctrinæ Doctorum; sed hæc non datur, nam

N. 82.

evidens est alterutrum errare; ergo &c. Confirmat 3. §. 4. quia ubi nulla præsumptio scientiæ, & veritatis, ibi nulla authoritas: sed in DD. sibi contradicentibus nulla est præsumptio doctrinæ, & veritatis in utrisque simul; ergo nulla authoritas in utrisque simul; at ubi nulla authoritas, nulla est probabilitas conscientiæ ab extrinseco: ergo in DD. sibi contradicentibus nulla est in utrisque simul probabilitas conscientiæ ab extrinseco. Maior est lumine naturę nota, nempe ignorantium nullam esse authoritatem. Minor etiam est nota, quia in DD. contradicentibus est repugnantia ad veritatem.

N. 83. P. Eliz.

Arguit 5. *lib.* 2. *qu.* 11. §. 4. postquàm enim dixit esse indubitatam propositionem, quòd adversus certam, & firmam veritatem nullum superest probabile conscientiæ: similiter quòd certò, & indubitanter falsa non sint probabilia probabilitate conscientiæ, (quod utrumque rectè intellectum est verum) producit obscurissimum hoc argumentum. Forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate ejusdem illius formæ in utroque extremo; ex. gr. sapientia est forma incompossibilis cum ignorantiâ, vel cum errore in uno determinatè subjecto, & extremo; hoc ipso si sapientia convenit uni duorum, ignorantia, vel error nequit inesse utrisque simul: sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ comparativè ad unam determinatè conclusionem, ut omnium confessione suppositum: ergo certitudo falsitatis est incompossibilis comparativè ad duas indeterminatè conclusiones cum probabili conscientiæ in utràque simul, seu cum simultate probabilitatis conscientiæ in utràque conclusione: sed in omni contradictione conclusionum adest totalis certitudo, & evidentia falsitatis comparativè ad unam earum duarum indeterminatè conclusionum; ergo est incompossiblis cum probabili conscientiæ in utràque simul, seu cum simultate probabilitatis in utràque: nullæ ergo conclusiones contradictoriæ sunt simul probabiles probabilitate conscientiæ. Hæc ad verbum P. Eliz.

N. 84.

Confirmat 1. Necessitas sapientiæ indeterminatè conveniens alterutri ex DD. sibi contradicentibus pugnat cum simultate ignorantiæ utriusque Doctoris; id est, dato quòd unus ex illis indeterminatè sumptus debeat esse sapiens, implicat, quòd uterque sit ignorans: ergo etiam evidentia falsitatis indeterminatè conveniens uni ex conclusionibus contradictorijs repugnat cum simultate probabilitatis; ut enim sapientia ignorantiam, ita evidentia falsitatis probabilitatem veritatis excludit. Confirmat 2. qui scit evidenter hanc conclusionem esse falsam, non habet in eâ probabile conscientiæ: ergo qui scit evidenter hanc, vel illam esse falsam, non habet in hâc simul, & in hâc probabile conscientię.

N. 85. P. Eliz.

Arguit 6. *lib.* 2. *qu.* 11. §. 6. contendens ex simultate probabilitatis deducere probabilitatem simultatis hoc modo: Actus nostri ita sunt probabiles, certi, aut evidentes, sicut sunt objecta: sed per nos objecta contradictoria habent simultatem probabilitatis: ergo actus nostri habent probabilitatem simultatis: ergo assensus, & dissensus simul erunt. Confirmat 1. quia in causis necessarijs valet à simultate potentiæ ad potentiam simultatis; ergo etiam in probabili, in credibili, in scibili. Confirmat 2. Si utraque contradictoria esset vera, non repugnaret assensus, & dissensus utriusque simul: ergo etiam si utraque sit probabilis, non repugnabit assensus, & dissensus probabilis, quia repugnantia actuum intellectus provenit ex repugnantia objectorum: ergo hi actus poterunt simul

N. 86.

esse,

esse, *Probabiliter verum est contractum esse injustum*: probabiliter verum est non esse injustum. Confirmat 3. Probabilitas per nos non est nisi meritum prudentis assensus: ergo cùm utrique contradictorio insit simul probabilitas, inerit meritum ad simultaneum utriusque assensum.

Arguit 7. *lib.* 2. *qu.* 13. §. 1. *pag.* 103. Nulla falsa doctrina est sana doctrina: sed in doctrinis contradictorijs alterutra est falsa; ergo alterutra non est sana. Maior probatur 1. quia omnis doctrina sana est à Deo authore; nulla falsa est à Deo authore; ergo nulla falsa est sana: 2. quia doctrinæ sanitas est veritas, ait §. 2. nulli doctrinæ falsę inest veritas; ergo nulli falsæ inest sanitas.

N. 87. P. Eliz.

Hęc est summa argumentorum P. Eliz. quæ ad hunc syllogismum reducuntur: Probabilitas conclusionis est veritas conclusionis: sed implicat simultanea veritas utriusque contradictorię conclusionis; ergo etiam simultanea probabilitas utriusque contradictoriæ conclusionis. Vel ad hunc: Est evidens alterutrum ex contradictorijs esse falsum; ergo etiam est evidens alterutrius fundamentum esse falsum; si enim utrumque esset verum, utrumque etiam contradictorium esset verum, nam ex vero non nisi verum: ergo est evidens alterutrius fundamentum non esse grave, nec quoad se, sive divisim, sive simul cum fundamento oppositio sumatur, quia tam seorsim, quàm conjunctim aliquod est in se falsum: nec quoad nos; quia licèt fundamentum A divisim ab oppositio fundamento B possit nobis videri grave, non tamen conjunctum, quia tunc evidenter constat alterutrum esse falsum; aut si utrumque fundamentum est verum, alterutrum non inferre conclusionem: ergo cùm sciam alterutrum esse falsum, vel non inferre conclusionem, scio non esse grave, quia fundamentum non inferens conclusionem, non est grave.

N. 88.

§. II.

Solvitur primum, secundum, tertium, & quartum.

SUMMARIUM.

Confundit probabilitatem cum veritate, n. 89.

Nulla est consequentia ab impossibilitate simultaneæ veritatis ad impossibilitatem simultaneæ probabilitatis: nulla, quòd quia veritas excludit falsitatem, excludat etiam probabilitatem; nulla ex eo quòd alterutrum indeterminatè sit falsum, alterutrum indeterminatè non sit probabile, n. 90. 91.

Certitudo de non simultaneâ veritate non excludit simultaneam probabilitatem de veritate utriusque, n. 92.

Si tò simul *cadat supra veritatem, negandum; si supra probabilitatem, affirmandum*, num. 93. 94.

Omnia argumenta à P. Eliz. solvenda, quia tuetur simultaneam probabilitatem speculativam, n. 95.

Omnes qui oppositam propriæ putant probabilem, ostendunt nostram doctrinam esse veram, n. 96.

Hoc ipso, quòd intellectus teneatur ad probabilius, ut vult P. Eliz. manifestat nostram opinionem esse veram, n. 97.

Fundamẽtum, quod determinatè scio vel esse falsum, vel non inferre conclusionem, nec quoad se, nec quoad nos, est grave; est tamen, quod indeterminatè scio esse falsum, n. 98.

Cum scientiâ de falsitate, aut non illatione alterutrius fundamenti vagè stat magna verosimilitudo, n. 99.

Etsi, quia scio alterutrum esse falsum, judicare non possim utrumque esse verum, possum tamen judicare utrumque esse grave, n. 100.

Paritas testium solvitur, & retorquetur, n. 101.

Rejicitur M. Merc. docens, quòd Doctor judicans oppositam probabilem, non judicat sibi, sed alteri, esse probabilem, n. 102.

Falsitas, nisi sit certa, non excludit probabilitatem, n. 103.

Contradictio Eliz. quòd fundamentum seorsim sumptum ab oppositio excuset, & non excuset à peccato, n. 104.

Sequitur, quòd error invincibilis non excuset, n. 105.

Ostendo, quòd ignorantia veritatis non opponatur probabilitati veritatis, n. 106. 107.

Falsum, quòd unum fundamentum sit grave ex ignorantiâ, n. 108.

Non tantùm videtur, sed scio esse grave, num. 109.

Cur apparere verum, non sit esse verum; apparere ex gravi fundamento grave, sit esse grave? Ibid.

Utraque Universitas sibi contradicens dicit probabiliter verum, etsi non absolutè verum, n. 110.

Rejicitur sententia hoc negans ex absurdis, n. 111.

Ex hoc, quòd unus tantùm contradicens dicat absolutè verum, sequitur tantùm, quòd non potero simul utrique assentiri directè; non autem, quòd non potero directè assentiri utrique seorsim; immò utrique simul reflexè, n. 112.

Fundamentum qualem respectum ad veritatem habere debeat, n. 114.

Utrumque fundamentum est simul verosimile, etsi

etsi non utrumque verum, num. 115.
Non video, quomodò fundamentum grave seorsim sumptum excusset à peccato, & non faciat probabile conscientiæ, n. 116.
Sicut non sola veritas speculativa fundat probabilitatem speculativam, ita nec sola veritas conscientiæ probabilitatem conscientiæ, n. 117.
In utroque Doctore datur doctrina, & scientia de verosimilitudine, in neutro de veritate, n. 118.
Doctrina non est metienda à veritate. Textus Arist. Senecæ, S. Thom. quòd præstantior sit cognitio probabilis de re altissimâ, quàm evidens de minimâ, n. 118.119.120.
Doctrina metiri etiam potest ex gravi apparentiâ veri, immò si a solo vero, cognitio temeraria, & doctrina imprudens esset bona doctrina, n. 121.
Licèt sit certum, quòd alteruter erret, uterque tamen ex gravi fundamento dicit probabiliter verum, n. 122.123.
Si scientia strictè sumatur, in neutro est scientia veritatis, n. 124.
Ut uterque Doctor sit laudabilis, satis est scientia de probabilitate veritatis, n. 125.
Et quòd uterque dicat probabiliter verum, ut dicit, n. 126. 127.

N. 89. MOneo 1. confundi a P. Eliz. gravitatem, seu probabilitatem, & verosimiliP. Eliz. tudinem prudentem cum ipsâ veritate, cùm tamen toto Cælo distent, ut luculenter probavi *d. 5. per totam*, non enim formaliter tantùm, sed realiter separantur mutuo: probabilitas enim sumitur à verosimilitudine, seu à tantâ veritatis apparentiâ, ut etiam ponderatis partis oppositæ motivis apta sit movere virum doctum, & prudentem ad assensum; veritas autem sumitur à conformitate actus cum objecto: hinc nulla est N. 90. consequentia ab impossibilitate simultaneæ veritatis utriusque contradictorij, ad impossibilitatem simultaneæ probabilitatis, seu verosimilitudinis utriusque contradictorij: 2. nulla etiam est consequentia ex eo quòd veritas falsitatem, & falsitas veritatem excludat, quòd etiam falsitas excludat probabilitatem, cùm plura falsa sint probabilia, immò probabiliora veris: probabilitas enim à solâ certitudine, aut evidentiâ oppositâ excluditur; ex. gr. probabilitas veri in contradictorio A, excluditur à certitudine, aut evi- N. dentiâ falsi insiti eidem contradictorio A. 3. 91. nulla etiam est consequentia ex eo, quòd sit certum, & evidens aliquod ex fundamentis esse indeterminatè falsum, aut si utrumque sit verum, unum non inferre conclusionem, deducere, quòd aliquod ex illis indeterminatè sumptum non sit probabile: nam certitudo falsitatis excludit probabilitatem, quoties ea determinatè habetur de aliquo principio, aut conclusione; non quando vagè, & disjunctè. Supponamus enim ex. gr. aliquê ex decem, qui hic sunt, & omnes æquali probitate vivunt, esse damnandũ: ecce in hoc casu est indeterminatè certum aliquem ex illis damnandum; & tamen simul probabile est quêlibet in particulari consideratum esse salvandum: ergo cum certitudine damnationis alicujus hominis vagè sumpti stat simultanea probabilitas salvationis cujuslibet determinatè sumpti. Similiter pone hìc duos æquè merentes summum Pontificatum: ecce in hoc casu evidens est unum tantùm ex illis vagè sumptum in Pontificem inaugurandum; & est evidenter falsum, utrumque simul Summum Pontificem futurum eodem tempore; & tamen adhuc simul probabile est hunc regnaturum divisim ab illo, vel istum divisim ab alio. Sicut ergo certitudo de non si- N. multaneâ sessione in Petri Cathedrâ non ex- 92. cludit probabilitatem simultaneam de sessione divisim; ita in casu nostro, certitudo de non simultaneâ veritate utriusque fundamenti, (dato, quòd utrumque inferat suam conclusionem) non excludit probabilitatem simultaneam de veritate divisim: excludit quidem certitudo de non simultaneâ veritate, seu certitudo de falsitate alterutrius fundamenti; excludit, inquam, simultaneam veritatem utriusque, at non excludit simultaneam probabilitatem de veritate utriusque.

Moneo 2. quàm evidens est utrumque N. contradictorium non posse simul esse verum 93. in se, tam evidens est posse simul esse probabiliter verum; quapropter si to *simul* cadat supra veritatem, negandum semper est; si supra probabilitatem, affirmandum est. Breviter: Evidens est, utrumque non habere simultaneam veritatem; atque adeò etiam evidens est utrumque non habere simultatem probabilitatis ad simultaneam veritatem; adhuc tamen evidens etiam est, utrumque habere simultaneam probabilitatem ad veritatem divisim: ex. gr. dum dico, est *simul probabile chocolatum frangere, & non frangere jejunium*; hæc propositio duplicem sensum habere potest: unus est, quòd sit simul probabile chocolatum frãgere simul, & non frangere jejunium; hic autem sensus est chimæricus: alter est, quòd detur simultanea probabilitas, quòd chocolatum frangat, & non frangat jejunium, seu simultanea probabilitas de utroque contradictorio; hic autem sensus est verus; adeoque diligenter viden-

videndum supra quid cadat tò *simul*: si supra dicta, & ipsas res, & veritatem, negandum semper; si supra probabilitatem, concedendum. Dum ergo docco duas opiniones contradictorias posse simul ex fundamento gravi apparere veras, seu esse simul probabiliter veras, non dico, *quòd utraque possit probabiliter esse simul vera*; hoc enim est falsum; eò enim ipso quòd evidens est alterutram tantùm esse veram, non est probabile utramque simul esse veram: sed dico, *quòd utraque possit simul esse probabiliter vera*: nam illa propositio importat simultaneam veritatem utriusque contradictorij, quod est chimæricum, hæc autem importat simultaneam probabilitatem veritatis utriusque contradictorij, quod per me est certum. Non ergo probabilitas cum veritate confundenda est, & quæ dicimus de probabilitate, dicere de veritate, cùm longissimè inter se differant, ut dixi *d.* 5. immo hoc concludit evidentia ipsa; nam ex contradictorijs scimus semper alterutrum habere veritatem, & tamen sæpe contingit, ut neutrius habeamus probabilitatem: sicut ergo utrumque contradictorium potest carere probabilitate, non autem veritate; ita etiam utrumque potest habere. simultaneam probabilitatem veritatis, non autem simultaneam veritatem.

N. 94.

N. 95. Moneo 3. nullum contra nos fieri argumentum, quod ab Adversarijs solvendum non sit; omnia enim, vel probant repugnare simultatem probabilitatis speculativæ seu non conscientiæ, quam tamen, ut dixi *hic, sect.* 1. *in* 3. ratione, admittit P. Eliz. vel si hoc non probant, nec probant repugnare simultatem probabilitatis conscientiæ, seu realis, utroque enim modo P. Eliz. loquitur.

P. Eliz.

N. 96. Ad 1. argumentum dico tantùm abesse, ut sententia opposita sit communis, quin nostra est ferè omnium, ut dixi *sect.* 1. §. 2. & eam apud omnes tam antiquos, quàm modernos indubitatam dixit P. Moya, & hoc ipsum convincit modestia Doctorum, qui impugnantes alienam opinionem, regulariter veritatem, non probabilitatem, nisi fictitia sit, impugnant, immò sæpe expressè dicunt oppositam esse probabilem, esto propriam probabiliorem putent, & non nisi gratis, & contra rationem dici potest, quòd Thomista impugnans Scotistas judicet omnem Scotistarum sententiam esse sibi improbabilem, aut non probabilem; & vicissim Scotista esse sibi improbabilem, aut non probabilem omnem Thomisticam sententiam. Quod autem addit P. Eliz. quòd intellectus teneatur assentiri probabiliori, impugnabimus *sectionibus sequentibus*: immò ex hoc ipso formo argumentum ad hominem contra P. Eliz. Intellectus tenetur assentiri probabiliori: ergo cùm relativa (comparativa autem sunt relativa) sint simul in cognitione, erunt simul in intellectu probabilitas maior, cui assentitur, & minor, cui non assentitur: ergo dabitur in eodem intellectu simultanea probabilitas utriusque opinionis contradictoriæ.

P. Moy.

N. 97.

P. Eliz.

N. 98. Deinde dico argumentum instari simultaneâ probabilitate speculativâ, quam tuetur: sicut ergo hæc, & alia ejus argumenta facilè solvuntur, dicendo aliud esse probabilitatem speculativam, aliud veritatem speculativam; ita etiam dicendo, aliud esse probabilitatem conscientiæ, aliud veritatem. In formâ, concesso antecedenti, nego consequentiam; ad probationem distinguo antecedens: implicat, ut sit grave quoad se, & quoad nos fundamentum, quod scio determinatè esse falsum, concedo; quod scio indeterminatè esse falsum, & aliunde habet gravè veros imilitudinem, nego. In casu nostro scio tantùm indeterminatè alterutrum è fundamentis esse falsum; aut si utrumque est verum, scio alterutrum non inferre conclusionem: cum hâc autem scientiâ de falsitate, aut de non illatione alterutrius fundamenti vagè sumpti stat magna verosimilitudo, seu apparentia veritatis; hinc datur gravitas, tàm quoad se, quàm quoad nos in utroque fundamento: recole exempla adducta *initio hujus* §. Confundit igitur arguens gravitatem cum veritate; illa enim sumitur à magnâ veritatis apparentiâ ortâ à rationibus, etsi inter se oppositis, quæ movent ad duo judicia *modalia de probabilitate* honestatis objecti, quæ ambo judicia modalia possunt simul esse vera; ex. gr. *Probabile est licere die festo picturam; probabile est non licere*; esto alterutra opinio, quòd liceat, aut non liceat, sit necessario falsa.

N. 99.

N. 100. Ad 1. confirm. dico, evidens esse alterutrum fundamentum, aut esse falsum, aut si utrumque est verum, unum non inferre conclusionem: nego autem quòd sicut, quia alterutra opinio est falsa, non possum judicare utramque esse veram; ita etiam, quia alterutrum fundamentum est falsum, aut non inferens conclusionem, non potero judicare, utrumque esse grave, esto judicare non possim utrumque esse verum, & inferre conclusionem: immò retorqueo: Sicut etsi alterutra opinio sit falsa, possum probabiliter judicare utramque veram, id est, judicare utramque verosimilem, ita etsi unum fundamentum sit falsum, potero judicare utrùque esse grave, seu verosimile. Quòd si dixeris probabilitatem, & gravitatem sumi à veritate, sicut hoc numquàm probatu-

rus eris, ita hoc semper negabitur.

N. 101. Ad 2. confirm. de testibus æquali fide dignis testantibus contradictoria, dicam uberrimè infrà: interim dico hoc ipsum probare, quod utrumque contradictorium sit simul probabile, licèt Judex tunc sententiam ferre non possit, quia judici prohibetur sententiam dicere in præjudicium vitæ, famæ, & bonorum, quoties iste habet æquale jus.

N. 102. M. Mer. Dices ex M. Merc. 2. *part. Basis art.* 3. *in fine*, quod Doctor judicans oppositam sententiam probabilem, non judicat sibi, sed alteri ejus motiva consideranti esse probabilem. Sed contra 1. quia quis dicet, quod Thomista impugnans rationem Scoti non intelligat fundamenta Scoti? Ergo falsum est, quod impugnans aliquâ opinionem non intelligat fundamenta illius. Contra 2. quia Thomista sæpe dicit sententiam Scoti, quam impugnat, esse probabilem; ergo judicat probabilem consideratis ejus motivis, etsi consideratis motivis propriæ, hanc dicat probabiliorem. Contra 3. quia dum S. Tho. suam vocat probabiliorem, eo ipso supponit aliam esse sibi probabilem, nisi enim alia sit sibi probabilis, non potest dicere suam probabiliorem. Sed de hoc plura infrà.

N. 103. Instas: Evidens est alterutrum fundamentum esse falsum: sed falsitas enervat probabilitatem, immò probabilitas A, enervat probabilitatem B, oppositam: ergo est evidens alterutrum fundamêtum non esse probabile. Transeat maior, nego utramque partem minoris; tùm quia multa falsa sunt probabiliora veris: ergo falsitas, nisi sit certa, non tollit probabilitatem; tùm quia probabilitas A, licèt impugnet, non tamen expugnat probabilitatem B, oppositam, ut dixi *sect.* 5. §. 1. & 2.

N. 104. P. Eliz. Ad 2. retorqueo in simultaneâ probabilitate speculativâ: dein dico, quòd P. Eliz. sibi contradicit, nam *lib.* 2. *qu.* 9. *pag.* 91. initio, ait in tali casu, (nempe quod fundamentum in se falsum seorsim sumptum ab oppositio appareat grave quoad nos) nos non posse ex eo fundamento quoad nos gravi sine peccato operari, quatenus cùm idem fundamentum quoad nos grave, sit in se falsum, eo ipso non habet probabilitatem conscientiæ, seu veritatem, quæ sola juxta Eliz. fundat probabilitatem conscientiæ: & *lib.* 2. *qu.* 10. §. 3. ait, quòd fundamentum seorsim à fundamento oppositio, etsi in se falsum, seu non grave quoad se, sed tantùm quoad me, possit me movere ad ita opinandum, & excusare à peccato: sed excusare à peccato, & non posse operari sine peccato, sunt contradictoria: ergo apertè sibi contradicit. Addo eo argumento suaderi, quòd ignorantia invincibilis non tollat peccatum, cùm tamen omnes Catholici doceant oppositum, immò ipse P. Eliz. *lib.* 2 *qu.* 10. §. 3. Sequela probatur; quia per Eliz. nullum per ignorantiam tale est simpliciter tale: ergo opus quod ex ignorantia tantùm non est peccatum, non est simpliciter non peccatum; sed quod non est non peccatum, est peccatum, nam negatio negationis peccati est peccatum: ergo quod ex ignorantiâ tantùm non est peccatum, est simpliciter peccatum. N. 105.

In formâ dico ignorantiam veritatis non obesse, seu non opponi probabilitati, nempe gravi apparentiæ veritatis, sed tantùm opponitur certitudini veritatis; si enim ignorantia veritatis obesset probabilitati, tunc non tantùm nullum motivum simul sumptum, sed neutrum seorsim sumptum esset probabile. Ratio est; quia sive utrumque simul, sive unum seorsim ab alio sumatur, datur ignorantia veritatis, adhuc enim ignoro, quodnam sit verum: ergo vel ignorantia veritatis non excludit probabilitatem veritatis à motivis; vel si excludit, nullum motivum, nisi sit certò verum, erit probabile, quod per omnes, & per Eliz. est evidenter falsum: ergo ignorantia veritatis non opponitur probabilitati veritatis, sed tantùm certitudini veritatis. Sicut ergo P. Eliz. vult unum tantùm è fundamentis esse grave, quamvis veritas ignoretur, ita ego volo utrumque esse grave, licèt utriusque veritatem ignorem; nam etsi vagè sciam unum tantùm esse verum, nescio tamen, an fundamentum A sit verum, ergo ignoro veritatem fundamenti A; nescio, an fundamentum B sit verum, ergo ignoro veritatem fundamenti B, ergo utriusque veritatem in particulari ignoro. Quæro igitur, an hæc ignorantia veritatis in particulari utriusque fundamenti gravitatem ab utroque in particulari sumpto tollat? Si affirmas, sequitur, tùm quòd nullum fundamentum, etsi seorsim sumptum ab oppositio, erit grave quoad me, quod P. Eliz. meritò negat: tùm quòd cùm quilibet assensus nitatur suo particulari motivo, hujusque veritas ignoretur, quilibet erit imprudens, quia mixus motivo non gravi, nam hujus veritas in particulari ignoratur. Si negas; ergo ignorantia veritatis non tollit gravitatem, nec tale motivum, quamvis ex ignorantiâ verum, erit ex ignorantiâ grave; nam certò mihi constat habere verosimilitudinem prudentem, etsi non constet habere veritatem. N. 106. N. 107. N. 108.

In formâ nego fundamentum unius partis esse

esse grave ex ignorantiâ gravitatis, immò evidens est ipsa gravitas, licèt ignoretur veritas, non tantùm unius, sed utriusque fundamenti. Similiter nego fundamentum falsum non esse grave, nam est grave, si potens sit movere virum doctum ad prudentem assensum. Ad id quod addit, videri grave, est non esse grave; dico, quod non tantùm videatur, sed sciatur, & sit grave, quia nititur magnæ apparentiæ veritatis. Quòd si replices, apparere tale, non est esse tale, quomodò apparere verum, non est esse verum; ergo cùm appareat grave, non est grave: N. 109. dico, quòd apparere verum, non sit esse verum, quia veritas non sumitur ab apparentiâ; apparere autem ex magnâ verosimilitudine grave, est esse in se grave, quia gravitas in se sumitur à magnâ veritatis apparentiâ, non à veritate.

N. 110. Dices, in Authoritatibus, immò in integris Scholis, & Universitatibus sibi contradicentibus nullam esse præsumptionem veritatis in utrisque simul; cùm enim repugnet utrumque contradictorium esse verum, necesse est alterutram Universitatem dicere falsum, adeoque esse ignorantem. Sed contra; quia huic satisfeci *sect.* 1. §. 2. immò ad P. Eliz. hominem in P. Eliz. retorsi, cùm enim ipse habeat contra se ferè omnes, certum videtur ejus doctrinę, utpotè falsæ, stari non posse. In formâ nego antecedens; uterque enim dicit *probabiliter* verum, licèt non uterque *absolutè* verum; alias nec Thomista D. Thomæ, nec Scotista Scoto stare posset in eo, in N. 111. quo S. Th. & Scotus sibi contradicunt. Sanè si Theologo declamandi munus convenire posset, amplissima mihi declamandi Provincia se offerret potiori jure, quàm P. Eliz. qui totus sæpe in exclamationes prorumpit: dicerem enim, quòd abolendæ essent omnes sententiæ, claudendæ omnes Universitates, vetandi omnes libri, Doctores, & doctrinæ omnes sibi contradicentes abradendæ, negandus omni disputationi locus: vel enim disputatur de evidenti; hoc autem inutili prorsus labore, nullus enim evidentia negat: vel de re probabili? tunc autem cùm unus tantùm verùm dicat, alter falsum, & ignoretur, qui verum, qui falsum dicat, utrique imponendum erit silentium, N. 112. cùm in nullo sit præsumptio veritatis. Ad probationem fateor alterutrum Doctorem, aut Universitatem dicere falsum; at quis, aut quænam ex illis, Deus scit; adhuc tamen uterque dicit probabiliter verum. Ex hoc autem, quòd alteruter tantùm dicat verum, alter autem falsum, unicè sequitur, quòd non potero utrique simul directè assentiri, ut benè P. Moya *n.* 28. non autem, quòd P. Moy. non potero divisim directè utrique, aut simul reflexè utrique assentiri; ex. gr. vel tantùm affirmando, *licet pictura*; vel tantùm negando, *non licet pictura*; & hoc est directè seorsim assentiri: vel formando duas modales, *Probabile est licere picturam, probabile est non licere*; & hoc est simul reflexè assentiri: etsi enim repugnent simul duo judicia absoluta directa, quorum unum sit assensus, aliud dissensus, ambo vera; non tamen duo modalia ambo affirmativa probabiliter vera.

Ad 1. confirm. dixi argumentum esse lepidum; eo enim probatur, quòd Adversarius, quò plus eum laudibus extollo, & suam sententiam magnâ veritatis apparentiâ suasisse laudo, eò magis sit ignorans, quo magis probabilibus argumentis suam sententiam fundavit. In formâ nego antecedens, nam apparentia veritatis stat cum ignorantiâ, tùm certitudinis veritatis, tùm veritatis. N. 113.

Ad 2. confirm. dico, quòd ut fundamentum sit grave, debeat quidem habere respectum ad veritatem, hic tamen respectus ad illam satis est, ut sit apparens: intellige semper (ne ad nauseam repetam) apparens ex ratione omnino solidâ etiam comparativè ad oppositam, ita ut ritè intellecta movere possit virum in tali materiâ versatum, & pium ad assensum; non autem habere debet respectum certò inseparabilem, & realem cum veritate. N. 114.

Ad 3. argumentum, notavi in ipso argumento triplicem P. Eliz. contradictionem; N. 115. modò noto totum argumentum retorqueri P. Eliz. in diverso genere probabilitatis, quam ipse in ipso argumento concedit. In formâ dico, quòd licèt utrumque fundamentum non sit simul verum, utrumque tamen est simul verosimile, & probabile. Porro fateor me non N. capere, cur sequens fundamentum grave se- 116. orsim ab oppositio, non peccet, ut ait P. Eliz. & tamen negat, quòd talis tunc operetur ex probabili conscientiæ: licèt enim verum sit, quòd non omne excusans à peccato sit probabile conscientiæ, nam amentia, & carentia libertatis excusat à peccato, nec tamen est probabile conscientię; attamen in nostro casu nihil deest, quò minùs dici possit probabile conscientiæ; quia licèt talem opinionem sequens excusetur à peccato ratione ignorantiæ, aut potiùs erroris; attamen præter ignorantiam, & errorem datur motivum omnino grave, (etsi falsum, aut non inferens conclusionem) in quo talis opinio falsa fundatur: ergo omnino datur probabile conscientiæ. Quòd si dixeris motivum carere ve-

ritate; fateor ita esse, at, ut millies dixi, ad probabile conscientiæ non requiritur, ut motivum sit absolutè verum, satis est, ut sit certo probabiliter, seu verosimiliter verum, quale tunc datur.

N. 117. Ad 4. argum. retorqueo in alio probabilitatis genere; si enim in alio genere probabilitatis duæ contradictoriæ eidem intellectui possunt simul esse probabiles, cur non in materiâ conscientiæ poterunt duæ contradictoriæ esse simul probabiles probabilitate cõscientiæ? Vide, quæ dixi *sect. 1. §. 2. in 3. ratione.* Certè nec umbram disparitatis dabit, nisi dicendo, quòd sola veritas fundet probabilitatem conscientiæ, quod semper negabitur, & à P. Eliz. numquam probabitur; cur enim sola veritas fundat probabilitatem conscientiæ, non autem sola veritas speculativa fundet probabilitatem speculativam? Deinde dico me solvisse argumentum, tùm hìc paulò antè, tùm *sect. 1. §. 2. in 2. ratione*, dicendo dari in utroque Doctore contradicente doctrinam, & scientiam non quidem de veritate, nam neutri est evidens se dicere verum, sed de verosimilitudine. Nego autem, quòd motivum falsum alterutrius Doctoris sit sophisticum, nam utrumque est ex gravi fundamento: immò tantùm abest, ut doctrina metienda sit à veritate, quòd Aristoteles dixerit, præstantiorem esse cognitionem probabilem de rebus Cælestibus, quàm evidentem de sublunaribus; & plus laudis mereri, qui dicit probabiliter verum, licèt illud sit in se falsum, quàm qui casu verũ dicit: ergo veritas non est mensura doctrinæ, sed etiam verosimilitudo. Rursus Aristotelis monitum est apud Senecam *lib. 7. Naturalium quæstionum cap. 30.* quòd quoties loquimur de rebus Divinis, (hoc autem quia nobis occultæ sunt) debemus esse verecundi; ait enim Seneca: *Egregiè Aristoteles ait, numquam nos esse debere verecundiores, quàm cum de dijs agitur ..... nè quid temerè, nè quid imprudenter, aut ignorantes affirmemus.* Consonat S. Thom. alludens ad 1. *Philosophi textum*, qui ait 1. *part. qu 1. art. 5. ad 1. quod minimum, quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est, quàm certissima cognitio, quæ habetur de minimis rebus:* ergo constans est, quòd doctrina non est metienda à solâ veritate, ut est in se, sed ut nobis apparet, seu ex gravi verosimilitudine. In formâ distinguo: altera ex contradictorijs supponit in suo Authore ignorantiam veritatis, fundatam tamen in gravi verosimilitudine veritatis, & in certitudine hujus gravis verosimilitudinis, concedo; puram ignorantiam veritatis, nego: & distinguo minorem: pura veritatis ignorantia non est doctrina, concedo; ignorantia veritatis conjuncta cum cognitione fundatâ in motivo valdè verosimili veritatis, nego minorem, & consequentiam.

P. Eliz. N. 118. Aristot. N. 119. Seneca. S. Th. N. 120.

N. 121. Ad 1. confirm. fateor alterutrum è contradicentibus errare; nego tamen, quòd in eo, qui errat ex gravi fundamento veri, desit probabilitas conscientiæ; nam evidentia de errore hujus, aut illius Doctoris indeterminatè non tollit probabilitatem extrinsecam, si in utroque adsit grave motivum veri; immò si tale motivum adsit, stat cum extrinsecâ probabilitate veri utriusque Doctoris.

N. 122. Ad 2. confirm. dico, quòd etsi evidens sit alterutrum errare, non tamen sequitur, quòd alteruter tantùm dicat probabiliter verum, immò uterque dicit probabiliter verum, licèt unus tantùm dicat absolutè verum.

N. 123. Ad 3. confirm. dico, quòd si *scientia* sumatur in rigore, ut dicit evidentiam, tunc in casu, quo uterque Doctor contradicens dicit probabiliter verum, tunc, inquam, in nullo est *scientia* veritatis, quia nullus evidenter cognoscit se dicere verum; adhuc tamen in utroque est scientia de probabilitate veritatis, cùm enim uterque sciat se niti fundamento gravi, uterque est certus de probabilitate veritatis. Ut autem uterque laudabilis sit ratione suæ doctrinæ, satis est scientia de probabilitate veritatis, non autem necessaria est scientia de veritate. In formâ N. distinguo maiorem, immò eam in dato 125. sensu absolutè concedo, & distinguo minorem: in DD. sibi contradicentibus nulla est præsumptio, quòd uterque dicat *absolutè* verum, concedo; *probabiliter* verum, nego N. minorem, & consequentiam. Ad probatio- 126. nem distinguo: ignorantium nulla est authoritas, id est, eorum, qui carent omni cognitione tùm evidenti, tùm probabili veri, concedo; id est, eorum, qui carent evidentiâ veri, non tamen gravi probabilitate veri, nec certitudine verosimilitudinis veri, nego. Dico ergo, quòd in nostro casu non est probabile utrumque contradicentem dicere verum, immò evidens est unum tantùm N. dicere verum; adhuc tamen evidens est, 127. utrumque dicere cum probabilitate verum.

§. III.

Solvitur quintum, sextum, & septimum.

SUMMARIUM.

Argumentum de formâ potest clarè proponi, & proponitur, n. 128.

Eviden-

Evidenter retorquetur in probabilitate simultaneâ opinionum speculativarum, n. 129.
Si per sapientiam veniat cognitio evidenter vera, neutri convenit; si absolutè vera, uni tantùm convenit; si probabiliter vera, utrique, num. 130. 131.
Si per ignorantiam veniat exclusio evidentiæ, uterque est ignorans; si cognitionis veræ, unus tantùm est ignorans; si probabiliter veræ, neuter est ignorans, n. 132.
Comparatur sapientia, & ignorantia, n. 133.
Utrumque non potest esse verum, potest autem utrumque esse verosimile, n. 134.
Quo sensu implicet simultas sapientiæ, vel ignorantiæ in utroque Doctore, n. 135.
Cur evidentia falsitatis de unâ determinatâ parte excludat probabilitatem veritatis de eâdem, & probabilitatem falsitatis de oppositâ parte; econtra evidentia falsitatis de alterutrâ contradictoriâ vagè non excludat simultatem probabilitatis de utraque? à n. 136. ad 141.
Si unum contradictorium est evidenter verum, aliud est evidenter falsum; si autem alterutrum est evidenter verum, non ideo neutrum, immò utrumque, non est probabile, n. 139.
Cur evidentia falsitatis de alterutrâ excludat veritatem ab utraque, non autem probabilitatem veritatis ab utraque? n. 140.
Solvendum ab Eliz. n. 141.
Peccat ratione formæ, & materiæ, n. 142.
Sicut falsitas, & probabilitas veritatis de eâdem determinatâ conclusione non repugnat, ita multò minùs falsitas, & probabilitas veritatis utriusque partis, n. 144. 145. 146.
Cur, si in uno est sapientia, non potest in utroque esse ignorantia; possit autem in utraque opinione esse probabilitas, etsi in unâ sit falsitas? n. 147.
Rejicitur Eliz. docens, quòd si utraque pars potest esse probabilis, lis de veritate erit interminabilis, n. 148.
Nulla lis rationis est in Ecclesiâ interminabilis, quia datur Papa, n. 150.
In alijs materijs est quidem interminabilis per judicium fallibile, etsi non sit absolutè interminabilis per quodlibet judicium, quia tandem datur Tribunal, à quo non appellatur, n. 151.
Paritas justitiæ valdè favet nobis, & benè tenenda, ibid.
Utrumque contradictorium non potest esse logicè verum, potest prudentialiter, n. 152.
Cur evidentia falsitatis de unâ parte determinatâ excludat probabilitatem veritatis de eâ; evidentia autem falsitatis de alterutrâ vagè nõ excludat probabilitatem veritatis de utraque? n. 153.
Actus nostri non sunt ut objecta, fusè, n. 154.
Arguit Eliz. quia implicat bellum ex utraque parte justum, n. 155.
Justitia belli in re est tantùm una; in prudenti opinione multiplex, n. 156.
Ex simultate potentiæ inferri nequit potentia simultatis, n. 158.
Cur repugnet assensus simul, & dissensus, probabiles de eodem; non autem motivorum probabilium simultas? n. 159.
Simultas probabilitatis motivorum infert tantùm simultatem probabilitatis actuum, non autem probabilitatem simultatis actuum, n. 160.
Doctrina falsa, cognita ut falsa, non est sana, est, cognita ut probabiliter vera, n. 161.
Doctrina duplicis contradictoriæ potest quoad nos, etsi non in se, esse sana, ibid.
Sanitas doctrinæ, quoad nos, est etiam gravis verosimilitudo, n. 162.
Cur utraque non possit esse probabilior? n. 163.
Corollarium eorum, quæ docemus, n. 164.

AD 5. argumentum, quod magnâ confusione proponitur, cùm point clarè proponi hoc modo: Forma indeterminatè conveniens tantùm uni ex contradictorijs, non potest convenire utrique: sed veritas est forma conveniens indeterminatè uni tantum ex opinionibus contradictorijs; & sapientia est forma conveniens indeterminatè uni tantùm ex DD. contradicentibus: ergo non potest convenire utrique. Vel hoc modo: Forma indeterminatè conveniens alterutri extremorum pugnat cum simultate formæ in utroque extremo: ex. gr. si sapientia indeterminatè convenit, vel tantùm D. Thomæ, vel Scoto tantùm, non potest dari simultas ignorantiæ in utroque: similiter si ignorantia convenit indeterminatè, vel soli Doctori A, vel soli Doctori B, non potest dari simultas sapientiæ in utroque; sed ita se habet in casu nostro; ergo &c. Ecce quàm clarè proponi poterat argumentum, cui N. 128.

Respondeo 1. retorqueri in probabilitate simultaneâ objectorum speculativorum, seu non conscientiæ: quæro enim, cur repugnet probabilitas conscientiæ cum certâ scientiâ, quòd alterutra ex contradictorijs sit falsa; non autem repugnat simultanea probabilitas speculativa cum evidentia falsitatis de alterutrâ, nempe, quòd vel sententia affirmans, vel sententia negans scientiam mediam sit falsa: ergo vel repugnabit probabilem simul esse tam opinionem affirmantem, quàm negantem prædeterminationem, aut scientiam mediam; vel si simultanea probabilitas duplicis opinionis speculativæ contradictoriæ non repugnat, nec simultanea N. 129.

probabi-

probabilitas duplicis opinionis moralis contradictoriæ repugnabit; tam enim evidens est alterutram ex contradictorijs speculativis esse falsam, quàm evidens sit alterutram ex moralibus esse falsam: ergo si ex evidentiâ falsitatis indeterminatè convenientis alterutri ex moralibus contradictorijs infert P. Eliz. P. Eliz. alterutram carere probabilitate, & alterutrum Doctorem esse insipientem; pari modo ex evidentiâ falsitatis indeterminatè convenientis alterutri ex speculativis contradictorijs, inferam ego alterutram non esse probabilem, & alterutrum Doctorem esse insipientem, quod certè, nisi temerarius sim, dicere non ausim.

N. 130. In formâ, concessâ maiori, nego minorem quoad secundam partem; ut enim veritas convenire non potest nisi uni contradictorio, verosimilitudo autem utrique; ita dico, quod si per *sapientiam* veniat cognitio *absolute vera*, tunc sapientia non convenit nisi, vel D. Thomæ tantùm, vel Scoto tantùm. Si autem per *sapientiam* veniat cognitio probabiliter vera, seu ex gravi fundamento verosimilis, utrique convenit simul, nempe D. Thomæ simul, & Scoto. Demum si per *sapientiam* veniat cognitio *evidenter vera*, potest vel uni tantùm, vel neutri convenire, non autem utrique simul. Ratio autem cur si per *sapientiam* veniat cognitio *probabiliter vera*, convenire possit D. Thomæ simul, & N. 131. Scoto, est, quia verosimile non excludit verosimile, ut dixi, verum autem excludit falsum. Ad aliud dico, quod si pro sapientiâ veniat cognitio vera, uni tantùm convenit, & in hoc sensu sapientia non potest utrique simul convenire; si autem veniat cognitio verosimilis, potest sapientia convenire utrique simul, etsi una ex illis cognitionibus verosimilibus sit vera, altera necessariò falsa: ut enim verosimilitudo objectiva potest simul convenire utrique objecto contradictorio, utrumque enim simul habere potest fundamentum grave; ita verosimilitudo formalis potest simul convenire utrique Doctori contradicenti, utriusque enim judicium nititur fundamento gravi. Similiter dico, quòd si pro *ignorantiâ* veniat exclusio cognitionis veræ, tunc ignorantia non convenit utrique, unus enim fallum, alter verum dicit: si autem per *ignorantiam* veniat N. 132. exclusio evidentiæ, tunc ignorantia potest simul convenire utrique, nam uterque Doctor caret evidentiâ: sicut autem ignorantia sumpta pro defectu veri excludit sapientiam sumptam pro judicio vero; ita ignorantia sumpta pro defectu evidentiæ excludit sapientiam sumptam pro judicio evidenti, non autem sumptam pro judicio verosimili.

Idem dico de sapientiâ; si enim per sapientiam veniat evidentia, tunc excludit ignorantiam sumptam pro non evidentiâ: rursus N. 133. dico sapientiam sumptam pro judicio vero excludere judicium falsum: demum dico sapientiam sumptam pro judicio verosimili, etsi verum ex gravi motivo, non excludere aliud judicium verosimile, etsi falsum. Porro nota, quòd non tantùm repugnat esse simul in eodem subjecto cognitionem veram cum falsâ, sed etiam repugnat in subjectis diversis sibi contradicentibus, utramque simul esse veram, aut utramque simul esse falsam, non autem repugnat, utramque simul esse verosimilem. Ratio primi est; quia repugnat simultas contradictoriorum; ergo necesse est, alterum esse, alterum non esse, ita ut repugnet, ut utrûque simul sit, aut utrumque simul non sit; ergo repugnat ut utrumque contradictorium, etsi in diversis subjectis, sit simul verû, N. 134. vel utrumque sit simul falsum; non autem repugnat, ut utrumque simul sit verosimile, quia verosimile non excludit verosimile, cùm similia non opponantur; econtra verum, quia opponitur falso, excludit falsum.

Ad 1. confirm. patet quo sensu implicet simultas sapientiæ, aut simultas ignorantiæ N. 135. in utroque Doctore contradicente; & quo sensu non implicet: implicat simultas sapientiæ sumptę pro cognitione verâ, non autem pro verosimili, unâ verâ, aliâ falsâ, ut dixi.

Dices: Evidentia falsitatis de unâ parte determinatâ excludit probabilitatem veritatis tam de eâ parte, quàm probabilitatem N. 136. falsitatis de parte oppositâ; si enim est evidenter falsum, picturam non licere die festo, non est probabiliter verum, picturam licere; similiter non est probabiliter verum, picturam non licere, immò est evidenter verum, picturam licere: ergo etiam evidentia falsitatis de alterutrâ ex contradictorijs indeterminatè excludit simultatem probabilitatis de utrâque: ut enim evidentia falsitatis de parte A excludit probabilitatem veritatis de parte A; ita evidentia disjunctiva falsitatis de A, vel B, excludit simultatem probabilitatis, seu simultaneam probabilitatem de A, vel B.

Respondeo verum esse 1. quòd evidentia falsitatis de A excludat probabilitatem veritatis de A. Verum 2. quòd evidentia veritatis de A excludat probabilitatem falsitatis de A. Verum 3. quòd evidentia falsitatis de A determinatè sumpto excludat probabilitatem falsitatis de B, ejus contradictorio. Verum 4. quòd evidentia veritatis de B determinatè

N. 137.

minatè sumpto excludat probabilitatem ve-
N. ritatis de A. Nego tamen, quod evidentia
138. falsitatis de alterutro extremo indetermi-
natè, excludat simultaneam probabilitatem de veritate utriusque extremi; nempe quòd simul probabile sit, picturam licere, & non licere die festo, simultate se tenente supra probabilitatem, non supra veritatem utriusque contradictorij. Cur autem evidentia
N. falsitatis de uno determinato extremo exclu-
139. dat probabilitatem veritatis ab eodem, & probabilitatem falsitatis ab opposito; non autem evidentia falsitatis de alterutro indeterminatè extremo excludat probabilitatem veritatis ab alterutro? Ratio est; quia si est evidens A, est improbabile B ei contradictorium, quia quoties unum è contradictorijs est evidenter verum, evidens est, quòd aliud est evidenter falsum; attamen non est evidens, quod si alterutrum est verum, neutrum sit probabile; quapropter evidentia falsitatis de uno extremo excludit probabilitatem veritatis de eodem, & falsitas de opposito: evidentia autem falsitatis indeterminatæ non excludit simultaneam probabilitatem veritatis, licèt excludat simultaneam veritatem utriusque, ut patet exemplis adductis *hic initio* §. 2.

N. Quod si quæras, cur evidentia de falsitate
140. hujus propositionis, *Deus non est unus*, excludat non tantùm veritatem, sed etiam veritatis probabilitatem ab eâdem; per nos autem evidentia falsitatis de alterutra propositione, *pictura licet*, *pictura non licet*, excludat quidem veritatem ab alterutrâ, non autem veritatis probabilitatem ab utràque: breviter, cur evidentia falsitatis de unâ parte determinatâ excludat probabilitatem veritatis ab eâdem; evidentia autem disjunctiva falsitatis, hujus, vel illius partis, non excludat disjúctivam probabilitatem alterutrius partis, immò stet cum simultaneâ probabilitate de veritate utriusque partis? Respõdeo eamdem esse rationem, ac cur certitudo de falsitate unius contradictorij determinatè sumpti, excludat dubium de ejusdem veritate, immò de ejusdem falsitate; certitudo autem de falsitate alterutrius contradictorij vagè sumpti, stet cum dubio de falsitate utriusque determinatè sumpti; ita certus sum Turcam dormire, vel non dormire, & simul dubito, quæ pars sit vera, dubito enim de utràque determinatè sumptâ: similiter certus sum Turcam dormire, vel non dormire,
N. neutra autem pars est mihi probabilis. Sicut
141. ergo certitudo de falsitate alterutrius contradictorij stat cum dubio simultaneo de veritate utriusque determinatè sumpti; immò certitudo de veritate alterutrius contradictorij stat cum non probabilitate simultaneâ utriusque contradictorij; ita in nostro casu, evidentia de falsitate alterutrius contradictorij stat cum probabilitate simultaneâ utriusque contradictorij. Rursus quæro, cur necessitas de existentiâ alterutrius contradictorij stet cum simultaneâ contingentiâ utriusque contradictorij determinatè sumpti? nam necesse est, Petrum vel esse, vel non esse, & tamen simul tam esse, quàm non esse, est Petro contingens: ergo argumentum non tantùm non est novum, sed antiquum, & infinities à P. Eliz. solvendum. Quare P. Eliz.

Dico cum P. Moya *tom. 2. qu. 2. an. 2.* N.
argumentum P. Eliz. peccare tum ratione 142.
formæ, tum ratione materiæ. Ratione for- P. Moy.
mæ, quia à suppositione confusâ transit ad determinatam; probat enim contradictoria non esse simul contingentia, quia alterutrum est necessarium; probat contradictoria non esse simul dubia, aut simul improbabilia, aut simul incerta, quia alterutrum est certum, & evidenter verum. Ita enim eâdem formâ arguo: si forma incompossibilis cum aliâ detur in aliquo duorum, non potest forma opposita in utroque simul reperiri: sed necessitas existendi est incompossibilis cum contingentiâ existendi; & certitudo de veritate est incompossibilis cum dubio de eâdem; & evidentia veritatis est incompossibilis cum improbabilitate, aut incertitudine ejusdem veritatis: ergo necessitas existentiæ alterutrius contradictorij est incompossibilis cum cõtingentiâ utriusque; & certitudo de veritate alterutrius contradictorij est incompossibilis cum simultaneo dubio de utriusque veritate; & evidentia veritatis, aut falsitatis alterutrius contradictorij est incompossibilis cum simultaneâ incertitudine, aut non probabilitate de veritate, aut falsitate utriusque contradictorij. Subsumo: Sed ex contradictorijs necesse est alterutrum existere, esse verum, esse certum, esse evidens; ex. gr. ex his, Petrus vel est, vel non est, necessarium est, ut Petrus vel sit, vel non sit; est verum, certum, & evidens, Petrum vel esse, vel non esse: ergo utrumque contradictorium non potest simul esse contingens, esse incertum, esse non probabile. En argumentum, retentis ijsdem terminis, cujus tamen conclusio est evidenter falsa: hoc autem non nisi quia suppositio terminorum variatur; nam necessitas existendi (idem dico de certitudine, & evidentiâ veritatis, & falsitatis) convenit vagè alterutri contradictorio; ergo in nullo determinatè reperiri debet.

Peccat

N. 143. Peccat etiam ratione materiæ; nam à contrarietate, quam formæ inter se habent, nempe sapientia, & ignorantia; veritas, & falsitas; procedit ad formas, quæ nullam ratione sui inter se contrarietatem habent, nempe falsitas, & probabilitas; veritas, & probabilitas; sed tãtùm contrarietatem habẽt ratione alicujus superadditi illis extrinsecè, quales sunt certitudo falsitatis, & probabilitas veritatis; evidentia falsitatis, & dubium veritatis; nam falsitas, & probabilitas veritatis; falsitas, & dubium veritatis non opponuntur inter se ratione sui, sed tantùm ratione evidentiæ, & certitudinis, quæ sunt falsitati, & veritati omnino extrinsecæ. Hoc autem evidenter constat, retentâ enim eâdem formâ arguendi ita arguo: *Forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate ejusdem illius formæ in utroque extremo*: (est ipissima maior P. Elizaldæ nullo addito, aut detracto) *sed certitudo falsitatis est incompossibilis* (ait P. Eliz.) *cum probabilitate conscientiæ comparativè ad unam determinatè conclusionem;* (dico ego, cum dubio comparativè ad unam determinatè conclusionem:) ergo *certitudo falsitatis est incompossibilis comparativè ad duas indeterminatè conclusiones* (ait P. Eliz.) *cum probabili conscientiæ in utràque conclusione* (dico ego, cum dubio conscientiæ in utràque conclusione.) Ecce in hoc syllogismo conclusio est evidenter falsa, nempe, quòd *utraque contradictoria non possint simul esse dubia*, quomodò juxta P. Eliz. *non possunt simul esse probabilia probabilitate conscientiæ.* Sicut ergo ex eo quod alterutra è contradictorijs sit indeterminatè certa, poterit cum certitudine indeterminatâ de alterutrius veritate, stare simultas dubij de veritate utriusque determinatè sumpta; ita à pari cũ certitudine indeterminatâ de alterutrius veritate stare poterit simultas de veritate utriusque. Patet igitur alterutram ex præmissis esse falsam, quia ex vero non nisi verum; & tamen P. Eliz. cujus ipsissimum syllogismum dedi *hàc sectione §. 1. in 5. argum.* & modò retorsi, assumit maiorem tamquam indubitatam; & minorem ait ex omnium confessione esse evidentem; quomodò ergo ex maiori, & minori evidentibus sequitur conclusio falsa, nisi quia, vel suppositio terminorũ variatur, vel si non variatur, sed argumẽtum sit in formâ, materia maioris, vel minoris est falsa?

P. Eliz.

N. 144. P. Eliz. In formâ dico, quòd sicut per P. Eliz. falsitas, & dubium de veritate ejusdem determinatæ conclusionis non sunt formæ incompossibiles; ita neque tales sunt falsitas, & probabilitas veritatis de eâdem determinatè conclusione, nam plura falsa sunt probabiliora veris. Similiter sicut per P. Eliz. evidẽtia falsitatis de alterutrâ conclusione contradictoriâ non est forma incompossibilis cum dubio de qualibet conclusione contradictoriâ determinatè sumptâ, sed tantùm evidentia, aut certitudo de falsitate talis determinatæ conclusionis contradictoriæ repugnat cum dubio de veritate; immo de falsitate ejusdem conclusionis determinatè sumptæ; nec non etiam repugnat cum dubio de veritate, aut falsitate alterius conclusionis contradictoriæ determinatè sumptæ; eo enim ipso quod sit certo falsum choculatũ ex. gr. non frangere jejunium, non est dubium, quod frangat jejunium, immò est certo verum quod frangat. Demum sicut evidentia disjunctiva, quod hæc conclusio, *Petrus currit*, sit aut vera, aut falsa, stat cum simultanea probabilitate veritatis, & falsitatis; est enim simul probabile, esse veram, & esse falsam, licèt non sit probabile, esse simul veram, & falsam: ita dico in casu nostro: evidentia falsitatis de alterutrâ opinione cõtradictoriâ indeterminatè sumptâ non est forma incompossibilis cum probabilitate cujusvis contradictoriæ determinatè sumptæ, adeoque non est incompossibilis cum simultate probabilitatis utriusque contradictoriæ determinatè sumptæ; sed tantùm evidentia falsitatis de tali conclusione determinatè sumptâ est forma incompossibilis cum probabilitate veritatis ejusdem conclusionis determinatè sumptæ; imò cum probabilitate de falsitate contradictoriæ determinatè sumptę.

N. 145. Confirmo: Hæc propositio est evidenter vera, *Alteruter oculus requiritur ad videndum*; similiter hęc, *Petrus salvabitur, aut damnabitur*; & tamen cum evidentiâ veritatis de alterutro oculo indeterminatè sumpto stat falsitas de quolibet oculo determinatè sumpto: si enim inferas: ergo est necessarius dexter; ergo est necessarius sinister; utraque consequentia negabitur, ut evidenter falsa: similiter si inferas: ergo Petrus salvabitur, ergo damnabitur; utraque determinatè est falsa. Si ergo cum evidentiâ veritatis de necessitate alterutrius oculi ad videndum stat evidentia falsitatis de utroque determinatè sumpto, sive simul, sive seorsim; multo magis cum evidentiâ falsitatis de alterutrâ è contradictorijs indeterminatè sumptâ stare poterit probabilitas veritatis utriusque opinionis determinatè sumptæ. Certè si qua est repugnantia, maior est inter evidentiam veritatis de alterutrâ è contradictorijs, aut contrarijs indeterminatè

cum

cum evidentiâ falsitatis de utrâque determinatè, sive seorsim, sive simul sumptâ, quàm sit inter evidentiam falsitatis de alterutrâ è contradictorijs, & probabilitatem veritatis de utrâque determinatè sumptâ: sed evidentia veritatis de alterutrâ contradictoriâ indeterminatè stat cum falsitate de utrâque determinatè sumptâ, ut dixi paulò antè; licèt enim sit verum, & evidens, Petrum salvandum, aut damnandum, quodlibet tamen ex extremis determinatè sumptum est falsum; rursus, ut dixi, evidentia disjunctiva de veritate, aut falsitate hujus conclusionis, *Petrus currit*, stat cum simultaneâ probabilitate de veritate, & falsitate ejusdem: ergo minùs repugnabit evidentia falsitatis de alterutrâ è contradictorijs indeterminatè sumptâ, cum probabilitate veritatis de utrâque determinatè; adeoque licèt sit evidenter verum chocolatum frangere, vel non frangere jejunium, & licèt non sit probabiliter verum, quod frangat simul, & non frangat; est tamen simul certò probabiliter verum, quòd frangat, & quòd non frangat jejunium. N. 146.

Hinc præter solutionem, quam dedi primæ confirmationi, dico, sapientiam convenientem vagè alterutri Doctori contradicenti pugnare cum simultate ignorantiæ in utroque Doctore; non autem evidentiam falsitatis vagè convenientis alterutri opinioni contradictoriæ pugnare cum simultate probabilitatis utriusque contradictoriæ. Ratio est; quia sapientia, & ignorantia ex se repugnant: ergo si uni est necessaria sapientia, non potest in utroque esse ignorantia; aliàs simul esset in uno Doctore sapientia, & ignorantia. Econtra falsitas, & probabilitas ex se non repugnât: ergo utraque opinio potest esse probabilis, adeoque una ex illis esse falsa simul, & probabiliter vera. N. 147. N. 148.

Dices ex Eliz. *lib.* 1. *qu.* 16. §. 1. Si utraque pars potest esse probabilis, lis de veritate erit interminabilis; stultè autem initur lis de re interminabili. Sed contra 1. quia si hoc verum est, omnes Theologi in re incertâ sibi contradicentes erunt stulti. Contra 2. quia veritas sæpe disputando apparuit, ut patet in pluribus opinionibus olim probabiliter veris, nunc certò falsis. Contra 3. quia nulla lis rationis est interminabilis; datur enim in Ecclesiâ infallibilis Judex omnis controversiæ in materiâ fidei, & morum, cujus judicium infallibile verum semper est; etsi in alijs litibus, quæ ante alios Judices feruntur, nulla terminetur per judicium infallibile, licèt terminetur per aliquod ultimum Judicis judicium, à quo non appellatur, etsi non semper sit infallibiliter verum. Sicut ergo lis de rebus ad materiam Justitiæ pertinentibus terminatur per tale ultimum judicium non semper infallibile: ita omnis Theologus verè pius, & doctus, eo ipso quòd in materiâ fidei, aut morum incertâ fert probabilem sententiam, terminat modo, quo potest, litem; ut enim lis de rebus justitiæ non semper terminatur per judicium infallibile verum, sed in plerisque per judicium probabilius, ita lis intellectualis terminatur per judicium prudens, quale suppono esse utrumque judicium Theologorum sibi oppositorum. Addo quòd P. Eliz. tenetur solvere argumentum, quæro enim, an in rebus speculativis incertis lis de veritate sit interminabilis? & quod dabit, dabo. N. 149. P. Eliz. N. 150. N. 151.

Instas ex Eliz. Utrumque contradictorium non potest esse verum; ergo nec utrúque honestum, & licitum. Concedo antecedens de veritate logicâ; nego de prudentiali; potest enim utrumque quoad nos ex gravi ratione esse, seu apparere verum; & nego consequentiam. Plura P. Teril. *qu.* 21. *de Reg. mor. à n.* 20. omnia tamen non approbo. N. 152. P. Eliz. P. Teril.

Ad 2. confirm. dico evidentiam falsitatis de unâ parte determinatâ excludere probabilitatem veritatis de eâdem; evidentiam autem falsitatis de alterutrâ indeterminatè, non excludere probabilitatem veritatis de utrâque; ut patet in duplici contradictoriâ speculativè simul probabili, quia non valet ab indeterminato ad extremum determinatum, ut dixi paulò antè de Petro salvando, aut damnando, & de oculo ad videndum necessario. N. 153.

Ad 6. argum. nego maiorem, non enim nostri actus sic sunt, ut eorum objecta, cùm circa idem objectum dari possit in uno intellectu assensus, in alio dissensus, adeoque actus oppositi, cùm tamen objectum sit idem, nec sibi opponatur; id enim ipsum objectum in re, quod actum Catholici verificat, falsificat actum Hæretici: immò idem intellectus potest idem objectum diversis actibus attingere, nec tamen objectum à se differt, etsi actus inter se differant. Quòd si per objectum veniat motivum, maior etiam in hoc sensu est falsa, nam assensus, & dissensus diversa habent motiva, & adhuc opponuntur. Rursus, idem objectum potest eidem intellectui videri modò certum, modò probabile; in quo casu opinio, est scientia, aliqualiter saltem, ut minus, & maius opponuntur, etsi sint circa idem objectum, cùm tamen nulla sit in objecto oppositio. Addo argumentum retorqueri, tùm quia sicut N. 154.

sicut per nos datur in intellectu simultas probabilitatis de utroque extremo, ita etiam in extremis datur simultas probabilitatis; & sicut à nobis negatur in intellectu probabilitas simultatis assensûs cum dissensu, ita etiam negatur in objecto probabilitas simultatis de esse, & non esse ejusdem objecti; tùm quia instatur in duplici contradictoriâ speculativâ, quam utramque simul esse speculativè probabilem admittit P. Eliz.

N. 155. P. Eliz. Dices ex P. Eliz. *lib.* 1. *qu.* 16. §. 1. Implicat bellum ex utrâque parte justum, nam simul esset injustum: sed ex licito utriusque contradictorij probabilis usu, sequitur bellum rationis ex utrâque parte justum: ergo &c. Sed contra 1. instatur in duplici speculativè probabili: 2. solvendum ab omnibus, qui tuentur unam opinionem esse probabiliorem aliâ: 3. quia sicut licèt belli justitia materialis sit tantùm respectu unius, indeterminatè tamen; adhuc tamen uterque bellans potest habere prudentem pro suâ pugnâ rationem: ita in bello rationis, licèt veritas sit in se una, potest tamen uterque habere prudentem pro veritate suæ opinionis rationem. Plura P. Teril. *qu.* 21. *de Reg. mor.* contra P. Eliz.

N. 156.

P. Teril.

N. 157. Ad 1. confirm. nego antecedens; nam creatura habet simultatem potentiæ ad esse, & non esse divisim, non tamen habet potentiam simultatis ad esse, & non esse simul. Deinde transeat hoc tenere in causis necessarijs; nego tenere in intellectu quoad opinabilia, nam circa hæc intellectus non est potentia necessaria, ut infrà.

N. 158. Ad 2. confirm. dico, antecedens non esse ad rem; nam ab objecto ad actum non tenet consequentia, ut dixi, possunt enim circa idem objectum dari assensus, & dissensus, actus obscuri, & evidentes; suspensio omnis actus, & non omnis actus; actus supernaturalis, & naturalis; actus hominis, & Angeli, immò Dei, & tamen objectum semper est idem. Ad consequentiam dico repugnare *simul* assensum, & dissensum probabilem; nego tamen suppositum, quòd unus ex his actibus, *Probabile est contractum A esse usuram, probabile est, eumdem contractum A non esse usuram*, quòd unus sit assensus, alter sit dissensus; uterque enim est affirmativus; ergo uterque est assensus: repugnant quidem simul in eodem intellectu hi actus, *Contractus A est usura, contractus A non est usura*, etsi sint ex motivo probabili diverso, quia illi actus inter se opponuntur, & unus est assensus, alter dissensus; nec motiva tollunt

N. 159. contradictionem, ut dixi *sect.* 1. §. 1. *in* 2. *advert. & in* 6. Si autem quæratur, cur repugnet simultas assensûs, & dissensûs probabilis de eodem objecto, non autem repugnet simultas motivorum probabilium: ratio est; quia duo motiva probabiliter vera non opponuntur; opponuntur autem assensus, & dissensus, quia unus est affirmatio, alter negatio de eodem objecto, licèt uterque nitatur illis motivis probabiliter veris; unus uni, alter alteri: dum enim dico, *Contractus A licet, contractus A non licet;* etsi primus actus nitatur rationi probabiliter veræ, quatenus verosimile est talem contractum non esse injustum; secundus actus nitatur etiam rationi probabiliter veræ, quatenus verosimile est esse injustum, adhuc tamen sunt actus contrarij; neque enim motiva diversa tollunt ab assensu, & dissensu contrarietatem, aliàs semper possent simul stare, quatenus assensus semper habet motivum diversum à dissensu: motiva autem sunt ambo verosimilia; ergo hæc possunt simul esse.

Ad 3. confirm. nego consequentiam, ut dixi *sect.* 1. §. 2. in ratione pro primâ parte conclusionis; nam simultas probabilitatis motivorum non infert, nisi simultatem probabilitatis actuum; non autem probabilitatem simultatis actuum. Rursus dixi non valere à motivis probabilibus, quæ simul esse possunt ad simultaneam coexistentiam assensûs simul cum dissensu. N. 160.

Ad 7. argum. quod longè priùs adductum fuit à P. Andrea Blanco, seu à Candido Philal. *qu.* 5. *pag. mihi* 90. distinguo antecedens: nulla falsa doctrina cognita à nobis determinatè ut falsa, est sana, concedo; nulla doctrina, quæ quoad se sit determinatè falsa, quoad nos tamen non cognoscatur determinatè ut falsa, sed ad summum indeterminatè, & simul habeat fundamentum grave, quoad intellectum hominis docti, & pij, est sana, nego antecedens. Dico enim, quòd alterutra ex contradictorijs est quoad se determinatè, & quoad nos indeterminatè falsa: & nulla ex contradictorijs est quoad nos determinatè falsa, sed alterutra indeterminatè, & utraque simul habet magnam veri apparentiam; ergo utraque quoad nos est sana. Ad probationem dico, quòd nulla doctrina determinatè falsa sit à Deo; si tamen sit indeterminatè falsa, & apparens ex gravi fundamento vera, erit, quantùm nobis videbitur, à Deo. Ad id, quod additur, quòd doctrinæ sanitas est veritas, dico non esse solam veritatem, sed etiam gravem verosimilitudinem, immò errorem invincibilem, ut dixi contra Jansenistas. N. 161. P. Eliz. Philal. N. 162.

Dices: Implicat, ut eidem intellectui utraque pars videatur probabilior; ergo etiam N. 163.

etiam ut utraque videatur æquè probabilis. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ut benè P. Perez *tr. 1. de Just. d. 4. n.* P. Perez 139. quia eadem pars esset probabilior, ut supponitur; rursus non esset probabilior, quia opposita est probabilior.

N. 164. Ex his infer 1. DD. Catholicos admittentes usum cõtradictoriorum probabilium negare, quòd idem simul sit, & non sit, seu negare probabilitatem simultatis utriusque contradictorij: 2. sicut omnis res in se, vel est, vel non est, ita judicium de re, vel est verum logicè, vel logicè falsum, adeoque implicat, ut utrumque judicium contradictorium sit simul logicè verum, non minùs, quàm implicet, ut res simul sit, & non sit: 3. ijdem DD. & nos cum illis volumus, quòd utrumque contradictorium potest repræsentari, seu apparere probabiliter verum: 4. volumus in plurimis inveniri evidenter, & certò verum: 5. in illis, in quibus non invenitur, præmittendam esse magnam diligentiam, ut inveniatur, si potest: 6. ad omnem honestam operationem prærequiri judicium certò prudens de honestate illius, & objecti. Hinc constat (ut benè P. Teril. de Reg. P. Teril. mor. *qu.* 21. ait) absurdissimam esse æquiparationem Doctorum Catholicorum pietate, & sapientiâ clarissimorum, approbantium usum contradictoriorum probabilium, tùm cum Heraclito affirmante idem esse simul, & non esse; adeoque utrumque contradicentem dicere verum logicè; hoc autem nos negamus, quia est evidenter falsum; tum cum Academicis dicentibus nullum rei præbendum assensum, nec ullum judicium de honestate, ut honestè operemur: nos autem dicimus hoc judicium prærequiri: quapropter immeritò P. Eliz. *lib.* 1. *qu.* 16. DD. P. Eliz. Catholicos comparat cum dictis, & legi potest P. Teril. *l. c.*

§. IV.

Querelæ Neotericì contra P. Moyam.

SUMMARIUM.

Qualiter se habeat in P. Moyam, n. 165.
Doctores celebriores, modestiores: dictum Caram. n. 166.
Probabilismus docet modestiam, n. 167.
P. Moya defenditur latè, n. 168.
Eliz. ait, sequendam minus probabilem stantem pro lege, n. 169.
Contradictio, n. 170.
P. Eliz. ait esse demonstrabile, quòd probabilitas conscientiæ convenire non possit utrique extremo, n. 171.
Eliz. unicè negat; duplicem contradictoriam posse simul esse probabilem probabilitate conscientiæ, non alio genere probabilitatis, num. 172.
Ait, syllogismum P. Moyæ non esse in formâ, n. 174.
Defendo, & ostendo, syllogismum P. Moyæ esse in formâ, & non esse syllogismum P. Eliz. n. 175. 176. 177.
Ostendo etiam nostras instantias esse validas, à n. 178. ad 183.
Hæc propositio, si una forma convenit uni, non potest opposita convenire utrique, est falsa de formâ, quæ vagè convenit huic, vel illi extremo, n. 182.
Immo licèt teneret in formis physicis, non tenet in intentionalibus, n. 184.
Sicut dubium, ita duplex probabilitas est ad duo, n. 185.
Argumentum ad hominem, n. 186.
Sicut evidentia de falsitate, aut veritate unius vagè stare potest cum simultaneâ non probabilitate utriusque, ita cum simultaneâ probabilitate utriusque, n. 189.
Solvo iterum argumentum de formâ, à n. 187. ad 189.
Alia defensio in favorem P. Moyæ, n. 190. 191.

PRodijt indigna quocumque authore N. quæstiuncula, & quod peius est, initio 165. operum Patris Elizaldæ post ejus mortem P. Eliz. Friburgi impressorum præfixa fuit, quasi hujus Authoris labor. At neutiquam in animum meum inducere possum, quòd dicta *quæstiuncula ad Logicam Moyæ*, injuriarum, & scommatum fœcundissima, quæ absolutione potiùs, quàm solutione eget, sit sapientissimi Celladei, nec non nisi per summum mendacium pluribus de causis eidem attribui potest: cùm enim, antequam è vivis excederet, primam suam partem impressisset; nullumque hujus nigræ quæstiunculæ vestigium in eâ reperiretur, manifestè infertur nigram eam quæstiunculam illi post ejus mortem mendaciter affixam.

Rursus cùm mihi in comperto sit, quòd N. Doctores sapientiæ titulo celebriores, sint 166. quoque eximiè modestiæ decore spectabiliores, quod ipsum deinde à Caramuele no- Caram. tatum legi, qui in Apolog. pro doctrina probabilitatis ait *n.* 103. *Epistola* 3. *pag.* 48. Sanè experientia docet Argumentatores tunc primum evomere injurias, cùm syllogismis carent: ergo injuriæ, quò magis atroces, minùs officiunt; quicumque enim vel leviter Dialecticâ tinctus sibi scommatum, & injuriarum nimbum exonerari percipit, dicit: Si syllogismis suis Doctores Merenda,

& Fagnanus considerent, non illos tempestate injuriarum armarent. Hæc Caramuel. Quis D. Thom. Alexandro de Ales, D. Antonino, P. Suarez, Cardinali de Lugo, M. Godoy, M. Tapia, alijsque sexcentis sapientior? Quis quoque eisdem modestior?

N. 167. Demum cùm P. Elizalde repetitis exhortationibus, & exclamationibus Lectores, & paginas fatiget, & nos ad terendos Sanctos Patres, & ad charitatem impensè colendam provocet, quis, nisi sponte se decipiat, & desipiat, judicare penes se prudenter poterit dictam quæstiunculam à religioso, & sapienti P. Elizalde calamo exaratam? Sanè quicumque ille sit nigerrimæ quæstiunculæ author (puto autem neminem de eâ gloriandum) si Anti-Probabilista est, obligans nos sub præcepto ad tutius, aut probabilius, rogo, ut ingenuè fateatur, an tutius, aut probabilius sit, tam dissona, & atrocia in P. Moyam, virum in re morali fundatissimum, & eruditissimum, evomere, adeò ut non veritus sit scribere eum ab omni Theologiâ arcendum? Ego in meo Probabilismo vivere, & mori statuo, cùm inter cætera bona, modestiam doceat, quam cum tanto modestiæ dispendio ad mordacis Authoris castra transire. In promptu est, & valdè ad rem acutissimum Hispanicũ adagium, *Quien mal pleito tiene, à vozes lo mete*; id est, Grandibus vocibus aerem findit, qui malam causam protegit.

N. 168. Audiamus modò quid contra P. Moyam, & alios Complutenses Doctores in medium trahatur. Ait 1. P. Moyam de universo suæ doctrinæ scopo errasse, quatenus vult, quòd P. Moya dixerit, P. Elizalde sensisse, *quoties sub opinionibus fuerit, an aliquid sit necne prohibitum, eam ex præcepto eligendam, quæ prohibitum affirmat, si sit probabilis.* Hinc ait P. Eliz. quòd P. Moya non distinxerit inter Baron. & Celladei. Dein, ut ostendat P. Moyam errasse, appellat P. Eliz. ad primam sui primi libri quæstionem. Hæc P. Eliz.

N. 169. Sed contra 1. quia aliud est, quòd ipse Eliz. doceat solam opinionem veram esse rectam morum regulam, quod nos *d. 5.* acriter impugnavimus; aliud est, quòd P. Eliz. neget, eligendam opinionem faventem etsi P. Eliz. probabilem omissâ probabiliori contra legem. Utrumque autem affirmat P. Eliz. hoc secundum affirmat *qu. 1. lib. 1. §. 4.* ubi postquàm retulit sententiam docentem *opiniones minùs, aut æquè probabiles contra legem, non esse regulam morum, sed quoties opinio adest vel æquè probabilis, vel probabilior pro lege, nos obligari planè ad legem*, hæc subdit: *In quam ego universam doctrinam non solùm non pugno, sed etiam toto opere singulis illius quæstionibus, & ubique statuo, & tamquam in re mihi clarissimâ, efficacius etiam forte ago, quam vellent Adversarij.* Hæc Celladei: ergo statuit, & sibi clarissimum esse supponit, opinionem non tantùm probabiliorem, sed etiam probabilem, quæ non sit contra, sed juxta legem, esse sequendam, dimissâ opinione minùs, aut æque probabili contra legem: ergo P. Moya bene intellexit ipsum Celladei. Omitto notare contradictionem, nam uno in loco vult *solam* opinionem veram esse regulam morum, in alio opinionem magis tutam, si probabilis sit, esse regulam. Primum affirmat eodem §. 4. ubi ostendit, non tantùm minus, aut æquè probabilem, sed nec probabiliorem, immo nec certam opinionem esse regulam morum, si falsa sit, sed solam opinionem veram; quod idem repetit §. 5. agendo de secundi libri divisione. Hoc autem impugnat P. Moya *tom. 2. qu. 2. à n. 5.* N. 170.

Secundò ait Eliz. quòd P. Moya excesserit modestiæ fines, dum *tom. 2. qu. 2. n. 1.* dixit: quòd P. Eliz. eâ tenacitate adhæserit suæ conclusioni, (nempe, quòd probabile conscientiæ non possit simul convenire utrique extremo contrario, aut contradictorio) ut eam demonstrare non solùm sentiat, sed proferat. Sed contra; quia omissâ comparatione modestiæ cum modestiâ, ego non video in quo hęc læsa sit; nam ipse Celladei expressè *lib. 2. qu. 11. pag. 95.* dicit, suam conclusionem non solùm esse veram, sed *demonstrabilem.* N. 171. P. Eliz. P. Moy.

Tertiò queritur Celladei de Logicâ P. Moyæ dicens, quòd ne quidem quæstionis titulum intellexerit, nam P. Moya habet pro titulo, *An duæ opiniones contrariæ possint esse simul probabiles*; & pro parte negante citat ipsum Eliz. cùm tamen idem Eliz. sæpe doceat duas opiniones contrarias posse simul esse probabiles, esto neget duas contradictorias esse simul probabiles probabilitate conscientię. Hæc Eliz. Sed contra; quia quæstionis titulus per quæstionem ipsam explicatur: ergo etsi P. Moya titulum clarioribus verbis producere potuerit, si unicè contra Celladei certare statuisset, docentem duplicem contrariam posse simul esse probabilem alio probabilitatis genere, non tamen probabilitate conscientiæ; attamen rectè P. Moya in genere quærit, & contendit, in omni genere probabilitatis etiam conscientię, posse duplicem contradictoriam simul esse probabilem: ergo optimè intellexit, & optimâ polletLogicâ; nam contra conclusionem particularem negativam ipsius Cellad. posuit P. Moya universalem affirmativam. N. 172. P. Eliz. P. Moy.

Quartò

N. 173. Quartò indignatur Celladei, quòd P. Moya omiserit in maiori tò *determinatè* appositum à Celladei, cujus syllogismum produxit; hinc ait Celladei, non mirum si non concludit. Sed contra; quia licèt P. Moya *n.* 1. omiserit tò *determinatè*, attamen *n.* 3. in quo ostendit argumentum ipsius Celladei esse sophisma, ijsdem omnino verbis, quibus Celladei utitur, & apponit tò *determinatè*.

N. 174. P. Eliz. P. Moy. Quintò ait Celladei non esse mirum, quòd syllogismus adductus à P. Moya non concludat, quia constat pluribus terminis, & lamentatur, quòd P. Moya duos Celladei syllogismos ad unum reduxerit. Hic enim (ait Celladei) est unus syllogismus: *Forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate ejusdem illius formæ in utroque extremo: sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ comparativè ad unam determinatè conclusionem, ut ex omnium confessione constat: ergo certitudo falsitatis est incompossibilis comparativè ad duas indeterminatè conclusiones cum probabili conscientiæ in utràque conclusione: sed in omni contradictione conclusionum adest totalis certitudo, & evidentia, comparativè ad unam duarum indeterminatè conclusionum; ergo est incompossibilis cum probabili conscientiæ in utràque simul, seu cum simultate probabilitatis conscientiæ in utràque.* Syllogismus autem P. Moyę est: (ait Celladei) *Forma incompossibilis cum aliâ in uno extremo, vagè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate illius formæ in utroque extremo: sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ in unâ determinatè conclusione, & uni, vel alteri vagè, & indeterminatè convenit; ergo est incompossibilis cum probabili conscientiæ in utràque conclusione simul.* Ecce, ait Eliz. mirum non esse, si syllogismus P. Moyę non concludit, quia cauda illa minoris, *& uni, vel alteri vagè, & indeterminatè convenit*, destruit formam syllogisticam: nam minor illa continet duas assertiones, & tres ad minimum terminos: prima assertio est, *sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ*; hujus enim assertionis subjectum est tò *certitudo falsitatis*; prædicatum est, tò *convenientia cum alterutro vagè*; atque adeo, ecce tres termini, *certitudo, incompossibilitas, convenientia vaga*; adeoque ecce alteram assertionem, *certitudo falsitatis uni, vel alteri indeterminatè convenit*; ergo nil mirum, si non concludat, quia sunt quatuor propositiones, nam minor habet duas. Hæc Celladei. Sed libeat solatij gratiâ exclamare: Tantumne caloris, & negotij in re adeò frigidâ, nulliusque negotij! Verùm has tricas ad trutinam, etsi inviti, vocemus, & extricemus. Quare

Contra 1. quia familiarissimum est Philosophis, & TT. construere syllogismos, qui licèt brevitatis gratiâ ad unum reducantur, attamen æquivalenter sunt plures; adeoque etsi plures habeant terminos, quàm tres, nullus eam terminorum pluralitatem, quæ est omnino materialis, nec terminos formales syllogismi immutat, vitio vertit: ergo, etsi syllogismus P. Moyæ plures habeat terminos, quàm tres, quia duos syllogismos ad unum reduxit, non est tamen illi vertendum vitio, cùm ad duos reducere facilè potuisset. Antecedens patet in hoc syllogismo: *Omnis pater amat filium, Petrus est pater, quia genuit Paulum, ergo amat Paulum.* Hic, & similes syllogismi habentur, ut optimi, etsi plures habeant terminos, quàm tres; quia licèt apparenter sit unus syllogismus, est tamen æquivalenter plures. Consequentia patet; quia syllogismus P. Moyæ potest reduci ad duos. Addo, si, quia minor P. Moyæ habet aliqua, quæ superfluunt, non est bona, nec erit bona minor Celladei, quia continet hæc verba, *ut ex confessione omnium constat*, quæ neque in maiori, neque in consequenti reperiuntur. N. 175. P. Moy.

Contra 2. quia reverà syllogismus P. Moyæ est in formâ, si vel in minori pro verbo *convenit*, ponatur participium *conveniens*; vel in maiori ponatur verbum *convenit*; talis enim est: Forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate illius formæ in utroque extremo: sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ in unâ determinatâ conclusione, & est conveniens indeterminatè uni, aut alteri extremo: ergo certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabili conscientiæ in utroque extremo, seu in utràque conclusione simul. Hic syllogismus P. Moyę est omnino in formâ; quare miror, quòd Celladei dixerit, non esse in formâ, quatenus minor continet duas assertiones, & tres terminos; hoc enim est falsum: nisi dicere etiam velit, quòd maior habeat duas assertiones, & plures terminos. Si autem hoc dixerit, nihil dicet; nam non est novum, quòd propositio componi possit ex pluribus. Quòd autem minor P. Moyæ non contineat, nisi unam assertionem, adeoque duos tantùm terminos, patet 1. quia subjectum est *certitudo falsitatis*; prædicatum est *forma incompossibilis in utroque extremo* N. 176. P Moy.

tremo, vagè conveniens alterutri extremo. Patet 2. quæro enim à P. Eliz. an ejus maior contineat duas assertiones? Si affirmat; ergo ejus syllogismus non erit in formâ. Si negat, contra erit; quia sicut ipse dicit contra P. Moyam, quòd *certitudo falsitatis, incompossibilis, & convenientia vaga*, sunt tres termini minoris P. Moyæ, ita ego dicam, quòd *incompossibilitas formæ cum aliâ in eodem extremo; convenientia vaga illius ad alterutrum extremum; incompossibilitas cum simultate ejusdem formæ in utroque extremo*, erunt tres termini. Sicut autem hoc non nisi Logicæ ignarus dicet, ita nec illud. Ratio est; quia sicut termini, qui sunt in maiori Celladei, se habent, vel ex parte subjecti, vel ex parte prædicati, limitando illa; adeoque non sunt plures, quàm duo termini, cùm omnia se teneant, vel ex parte subjecti, vel ex parte prædicati; ita ego dico de minori P. Moyæ; nam *certitudo falsitatis* est subjectum; *incompossibilis cum probabili conscientiæ in unâ determinatâ conclusione, & uni, vel alteri indeterminatè convenit*, est prædicatum: ergo in minori P. Moyę non sunt, nisi duo termini.

N. 177. Contra 3. quia tantùm abest, ut syllogismus P. Moyæ non sit in formâ, quin syllogismus P. Elizaldæ eâ caret; ecce enim ejus syllogismus: Forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est incompossibilis cum simultate ejusdem illius formæ in utroque extremo: sed certitudo falsitatis est incompossibilis cum probabilitate conscientiæ comparativè ad unam determinatè conclusionem; ergo certitudo falsitatis est incompossibilis comparativè ad duas indeterminatè conclusiones cum probabili conscientiæ in utrâque simul conclusione. Hunc autem syllogismum carere formâ, constat evidenter; nam si est in aliquâ figurâ, est in Darij; maior enim est universalis affirmativa; minor, & consequentia particularis affirmativa: certum autem est, quòd medius terminus, qui est subjectum in maiori, debet in minori esse prædicatum; cùm ergo medius terminus, seu objectum maioris P. Elizaldæ sit, *forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè conveniens alterutri duorum extremorum*, consequenter prædicatum minoris debet esse, *forma incompossibilis cum probabili conscientiæ comparativè ad unam determinatam conclusionem, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri conclusioni*; non autem debet esse hoc tantùm, *forma incompossibilis cum probabili conscientiæ comparativè ad unam determinatam conclusionem*; nam mutaret medium terminum, non retinendo in minori eumdem prorsus medium terminum, solâ exceptâ quantitate, quam habet in maiori: ergo tantùm abest, ut argumentum P. Moyæ careat formâ propter ea verba, *vagè, & indeterminatè alterutri extremorum convenit*, quin ut sit in formâ, debet hæc verba continere; immò propter hoc argumentum P. Elizaldæ P. Eliz. caret formâ, quia ejus minor non continet ea verba, adeoque mutat medium terminum, non retinendo eum omnino, qui erat in maiori.

Sextò P. Eliz. iterum obtrudit Logicam N. P. Moyæ, dicens, quòd in instantijs contra 178. se adductis maiorem, & consequentiam fecerit conditionalem; hoc autem (inquit) est P. Moy. peccare in Logicam, juxta quam nulla est forma de consequentia conditionali. Sed cõtra, ne paginas tricis, quas horreo, impleam, (præterquamquòd ego eos syllogismos reduxi ad consequentiam absolutam) quæro, an instantia adducta à P. Moyâ sit valida? Si non est, ostendat P. Eliz. ejus non valorem: si est, formabo hoc modo argumentum: Quoties in aliquo duorum extremorum datur forma incompossibilis cum aliâ, toties forma opposita non potest in utroque simul inveniri: sed in alterutro horum contradictoriorum (esse, non esse) datur necessitas, quę est forma incompossibilis cum contingentia: ergo in utroque simul non potest dari contingentia: ergo utrumque non potest simul esse contingens; hoc autem est evidenter falsum.

Septimò ait P. Eliz. quòd dum P. Moya, N. adductis instantijs, & eâdem, quâ Celladei, 179. utitur arguendi formâ, dixit syllogismum P. Eliz. Celladei non valere, quia mutatur suppositio, & transit à confusâ ad determinatam, P. Moy. debuisset P. Moya (ait Celladei) afferre definitionem utriusque suppositionis confusæ, & determinatæ, & ostendere, quomodo una in minori interveniret. Sed contra; quia vir doctus doctos alloquitur; docti autem facilè vident mutationem suppositionis; & nos §. 3. fusè ostendimus, & paulò antè *præsenti* §. diximus, minorem argumenti P. Elizaldæ esse diversam à medio termino maioris, nam in minori omittit to *vagè, & indeterminatè convenit alterutri conclusioni*. Non immoror autem in examinandâ explicatione suppositionis determinatæ, & confusæ, quam tradit.

Octavò P. Eliz. §. 2. ut ostendat nullas N. esse adductas à P. Moyâ instantias, ait, eas 180. non quadrare, quia maior, quam Celladei P. Eliz. adducit, est de formis convenibilibus determinatè uni extremo: sed contingens, & dubium

bium (hæ enim sunt instantiæ à P. Moya adductæ) ex suo formali conceptu sunt formæ non convenibiles uni determinatè extremo, quia contingens dicitur ad esse, & non esse, & dubium est etiam ad duo, nempe an res sit, vel non sit: ergo contingens, & dubium non sunt formæ comprehensæ per propositionem universalem maiorem; ergo nec minor, nec consequentia de illis esse possunt.

N. 181. P. Moy. Sed contra; quia P. Moya ita arguebat: Sicut evidentia, vel certitudo falsitatis est forma incompossibilis cum dubio determinatè de eodem extremo; & quia est forma conveniens indeterminatè alterutri ex contradictorijs extremis, ideò stat cum simultate dubij de utriusque contradictorij veritate: ita etiam evidentia falsitatis, quæ quoad idem extremum non est componibilis cum probabilitate veritatis, quia tamen est forma indeterminatè conveniens alterutri contradictorio, erit incomponibilis cum simultaneâ probabilitate veritatis utriusque contradictorij. Hic est sensus P. Moyæ, quem fortè Celladei non attigit. Quòd autem dubium, & contingens sint necessariò ad duo, non autem probabile, non est ad rem. Non enim instantia trahitur, nisi ut probetur, quòd possit forma aliqua incompossibilis cum aliâ in uno determinatè extremo, possit, inquam, eadem componi cum simultate formæ oppositæ in utroque extremo, si eadem forma alterutri extremo indeterminatè conveniat: ex. gr. evidentia falsitatis de alterutrâ conclusione componi potest cum simultaneâ probabilitate de utriusque veritate, eo modo, quo evidentia falsitatis de alterutrâ conclusione componi potest cum simultaneo dubio de utriusque veritate. Hinc P. Moya propter hoc rectè dixit, maiorem non esse universaliter veram, immò falsam, si loquamur de quasi formis, quę ex nostro concipiendi modo pendent, ut est, rem esse evidentem, esse probabilem, esse dubiam.

N. 182. Confirmo hanc doctrinam; ita enim arguo: Quoties datur forma incompossibilis cum aliâ in uno determinatè extremo, vagè conveniens alterutri, toties per Celladei dari non potest in utroque extremo forma opposita: sed obligatio audiendi die festo alterutrum è duobus sacris, (suppono non dari plura) est forma incompossibilis cum deobligatione utriusque sacri: ergo si in me datur obligatio ad alterutrum sacrum, non potest in me dari deobligatio ab utroque; sed hoc est evidenter falsum, nam etsi tenear ad alterutrum indeterminatè, attamen nec teneor determinatè ad sacrum A, nec teneor determinatè ad sacrum B: ergo cum obligatione indeterminati sacri potest stare deobligatio ab utroque *determinato* sacro, etsi non possit dari deobligatio ab alterutro indeterminatè: ergo maior illa (si datur una forma opposita, non potest opposita convenire utrique) est falsa, si sermo sit de formâ, quæ convenit vagè huic, vel illi extremo.

Ad id quod P. Eliz. addit, suam maiorem esse de formis convenibilibus determinatè uni extremo, ut est probabilitas, quæ est forma conveniens determinatè uni extremo; dubium autem, & contingens non possunt convenire uni determinatè extremo, cùm contingentia sit indifferentia ad hoc, vel illud; & dubium etiam sit ad hoc, vel illud: dico me non videre quid hoc prosit ad intentum, etsi quoad hoc differrent, nam sicut cum evidentiâ falsitatis de alterutro stare potest dubiũ de veritate utriusque extremi determinatè, & collectivè sumpti; ita multò magis cum evidẽtiâ de falsitate alterutrius extremi stare poterit probabilitas de veritate utriusque extremi determinatè sumpti: ergo quod dubium dicat essentialiter duo extrema, probabilitas ex se non dicat, duplex tamen probabilitas dicit duo extrema: ergo sicut evidentia falsitatis stat cum simultaneo dubio veritatis utriusque extremi, ita etiam cum simultaneâ probabilitate veritatis utriusque extremi. Deinde quid dicet Celladei ad paritatem de evidentiâ disjunctivâ veritatis, vel falsitatis unius numero propositionis, quæ stat cum simultaneâ probabilitate de veritate, & falsitate ejusdem? Licèt enim mihi evidens sit alterutrum, quòd hæc propositio, *Petrus currit*, vel sit vera, vel sit falsa; potest tamen simul esse probabile, quòd sit vera, & quod sit falsa, licèt non sit probabile, esse simul veram, & falsam. Rursus, quid ad paritatem oculorum? Licèt enim evidens mihi sit, *requiri indeterminatè alterutrum oculum*, attamen simul est evidenter falsum, requiri oculum A, requiri oculum B: ergo sicut cum evidentiâ de veritate hujus propositionis disjunctivæ, *requiritur vel oculus A, vel oculus B*, stat duplex evidentia falsitatis de quâlibet parte propositionis determinatè sumptâ; ita multo magis cum evidentiâ falsitatis de alterutrâ ex contradictorijs stare poterit duplex, seu simultanea probabilitas de veritate utriusque.

N. 183. P. Eliz.

Dices cum P. Eliz. se assumere pro medio termino incompossibilitatem duarum formarum comparativè ad unam determinatè conclusionem, seu extremum; at P. Moya non assumit pro medio termino aliquid cõ-

N. 184. P. Eliz.

parativè ad unum determinatè extremum. Sed contra; quia dubium cadit determinatè supra utrumque extremum, esto veritas sit disjunctivè in alterutro, & determinatè in uno tantùm: si ergo evidentia falsitatis indeterminatæ de alterutro stare potest cum simultaneo dubio de veritate utriusque contradictorij determinatè sumpti, cur evidentia falsitatis indeterminatè alterutrius extremi stare non poterit cum duplici probabilitate de veritate utriusque extremi? Nam intentum Celladei est, quòd si una forma convenit alterutri contradictorio, non potest forma oppositа convenire determinatè utrique: sed certitudo falsitatis convenit alterutri contradictorio: ergo probabilitas veritatis (quæ est forma oppositа certitudini falsitatis) non potest convenire utrique. Ita enim Celladei arguit, etsi obscuriùs. Nos autem dicimus maiorem esse falsam, loquendo de formis intentionalibus, seu modo nostro concipiendi objectum; licèt de formis physicis teneat. Probavimus; quia evidentia falsitatis de alterutro cõtradictorio stat cum duplici dubio de veritate utriusque contradictorij determinatè sumpti. Ex hoc autem N. 185. quòd dubium necessario sit ad duo, probabilitas non sit ad duo, saltem duplex probabilitas utriusque contradictorij est ad duo. Rursus ex hoc quòd veritas, de quâ dubitamus, sit quoad nos in alterutro extremo, attamẽ noster actus intellectus, seu dubium afficit simul utrumque extremum. Similiter dicimus, quòd esto maior esset vera, negamus tamen certitudinem falsitatis de alterutro indeterminatè contradictorio, repugnare cum probabilitate veritatis de utroque determinatè, licèt falsitas alterutrius repugnet cum veritate utriusque, & sapientia alterutrius Doctoris contradicentis repugnet cum ignorantiâ utriusque. Ratio est; quia veritas, & falsitas non pendent à nostro concipiendi modo, sed ex se, & ex suâ naturâ opponuntur; sicut etiam sapientia, & ignorantia: ergo si alterutri contradictorio convenit falsitas, non potest utrique convenire veritas. At certitudo de falsitate alterutrius cum probabilitate de veritate utriusque non opponuntur; quomodò probabilitas de veritate non opponitur probabilitati de falsitate, etsi veritas, & falsitas opponantur.

N. 186. P. Eliz. P. Card. Caram. Cellad. Demum ad hominem contra P. Eliz. est 1. quia probabile est contingens quoad nos, & nostram scientiam, ut benè docet P. Card. *tom.* 1. *d.* 7. *n.* 3. contra Caramuelem: ergo si argumentum, ut ait Celladei, non valet in contingenti, nec valebit de probabili. Secundò, quia falsum est, quod ait P. Eliz. §. 2. quod tunc medius terminus est *incompossibilitas duarum formarum comparativè ad unum extremum*; sed ut constat ex dictis *hâc sect.* §. 1. ubi adduxi ejus argumentum, est *forma incompossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum*: ergo vel instantiæ datæ à P. Moya de simultaneo dubio utriusque, quod stare potest cum certitudine de alterutrius veritate; & de simultaneâ utriusque contingentiâ, quæ stare potest cum alterutrius necessitate, tenent; vel si non tenent, ut certo non tenent, nec argumentum Celladei; nam utrobique par ratio.

Nonò, omissis pluribus, quæ dicta *quæst.* 2. *congerit*, ait §. 3. quòd P. Moya turpiùs lapsus est, dum putavit, quòd Celladei dicat probabilitatem, & falsitatem esse formas oppositas; cùm tamen meum argumentum, (ait Celladei) procedat de certitudine falsitatis, & probabilitate conscientiæ. Sed contra 1. quia vereor, nè ad rem congruat, quod Caram. in Apologem. *n.* 43. dixit de Fagnano, *Obloqui scit, loqui nescit*; & docet *n.* 103. urbanè tractandos, qui inurbanè tractant. Contra 2. quia P. Moya duo contra Celladei ostendit. Primum, quòd certitudo de alterutrius contradictorij falsitate, non repugnet cum probabilitate utriusque; Celladei autem asserit hoc repugnare. Secundum, quòd probabilitas conscientiæ, & veritas non sint idem, cùm tamen Celladei idem esse pluribi affirmet. In quo ergo lapsus est? N. 187. Cellad. Caram. Fagnan. P. Moy.

Decimò Celladei impugnat P. Moyam dicentem, quòd argumentum Celladei teneat in formis, quæ se ipsis contrariantur; si enim una convenit uni extremo, non potest oppositа convenire utrique; non tamen teneat in formis, quæ se ipsis non contrariantur, sed tantùm ratione alterius modi superadditi; pluribus autem non cum modo contra hunc modum à Celladei dictis, & à me omissis, argumentum toties coctum, ita recoquit. Omnis forma incompossibilis cum aliâ comparativè ad unum determinatè subjectum, incompossibilitate etiam à modo superaddito proveniente, indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est impossibilis ratione modi cum simultate ejusdem formæ in utroque. Patet: Si enim Deus decernat albedinem, & frigus non esse in eodem subjecto, si albedo sit in Petro, vel Paulo, non poterit frigus esse in Petro simul, & Paulo; ergo impertinens est, quòd formæ se ipsis opponantur, vel modo addito, si re ipsâ simul esse non possunt. Hæc Cellad. N. 188. P. Eliz.

Sed

N. 189. Sed contra 1. quia argumentum est ab eo solvendum in simultate probabilitatis non conscientiæ, quæ stat cum evidentiâ falsitatis de alterutro contradictorio. Secundo, P.Moy. quia aliud est P. Moyam dicere, quòd maior Celladei valeat tantum in formis ex se contrarijs, non autem in contrarijs ratione alicujus extrinseci; aliud in contrarijs ratione cujusque extrinseci. Fateor, quòd impossibile erit, ut frigus sit in Petro simul, & Paulo, si Deus decernat, quòd frigus non sit in subjecto albo, & alteruter ex illis sit albus; quia, quod facit contrarietas naturalis duarum formarum, multò magis facit decretum Dei: ergo si duæ contrariæ non possunt esse simul, eamdem incompossibilitatem dabit decretum efficax Dei de non simultate earum in eodē. At probet nobis Celladei, quòd certitudo de falsitate vagè alicujus contradictorij excludat judicia probabilia de veritate utriusque: excludit quidem certitudo de falsitate hujus determinatè contradictorij judicium probabile de veritate illius, quia inter se opponuntur; & implicat, ut A sit certò, aut evidenter falsum, & simul adsit judicium probabile, quòd sit verum: attamen evidentia de falsitate alterutrius non excludit utrumque judicium probabile, immò neutrum judicium probabile de veritate utriusque contradictorij determinatè sumpti excludit; eo modo, quo evidentia de alterutrius veritate non excludit duo dubia de falsitate utriusque determinatè sumpti: sicut ergo esto alterutrum indeterminatè sit mihi evidenter verum, attamen utrumque determinatè potest non esse probabile; & evidentia de veritate alterutrius non trahit secum judicium probabile de veritate unius determinatè sumpti; potest enim nullum determinatè esse probabile: ita evidentia de falsitate alterutrius non excludit duo judicia probabilia de veritate utriusque determinatè sumpti, adeoque cum tali evidentiâ de alterutrius falsitate stare poterit duplex judicium probabile de veritate utriusque determinatè sumpti.

N. 190. P.Eliz. P.Moy. Undecimò ait P. Eliz. quòd cùm argumentum, juxta P. Moyam, valeat de sapientiâ, & ignorantiâ, quòd si in alterutro tantùm est sapientia, non possit in utroque Doctore simul esse ignorantia; & econtra, si in alterutro contradicente est ignorantia, non poterit in utroque simul esse sapientia; sequitur saltem, quod eadem conclusio non poterit esse simul ab extrinseco probabilis; & sic P. Moya manebit absolutè captus. Sed contra; quia cùm uterque Doctor contradicens probet probabiliter tantùm suam cōclusionem, in nullo est sapientia strictè, ut importat evidentiam veritatis; & in utroque est sapientia latè, ut uterque judicat ductus motivis gravibus, & rationabilibus; quæ sapientia stare potest cum ignorantiâ (prout hic dicit non evidentiam) veritatis in utroque; ut enim quis sit taliter sapiens, non est necesse, ut dicat evidenter verum, satis si dicat probabiliter verum, seu verosimile ex gravi fundamento; esto autem alteruter dicat vagè certò falsum, uterque tamen dicit probabiliter verum.

N. 191. P. Eliz. Duodecimò P. Eliz. §. 4. exponit errata contenta in doctrinâ P. Moyę. Primum est, (ait) quia non loquitur de probabili conscientiæ, cujus tamen simultaneam probabilitatem Celladei negat. Sed contra; quia legenti P. Moyam constabit latè, quod probet possibilem simultaneam conscientiæ probabilitatem, & fusè impugnat Elizaldam hoc negantem, & confundentem probabilitatem conscientiæ, seu realem cum veritate. Secundum est, (ait) quòd P. Moya citet Elizaldam pro parte negante simultaneam probabilitatem, quam tamen affirmat possibilem, dummodo non sit probabilitas conscientiæ. Sed contra; quia P. Moya bene citat; immò P. Moya, & omnes ex simultaneâ probabilitate speculativâ utriusque contradictorij arguunt ad simultaneam probabilitatem conscientiæ; & quidem nec levem Celladei disparitatem dat: ergo si negat simultaneam probabilitatem conscientiæ, negare etiam debet simultaneam non conscientiæ; & si hanc affirmat, illam etiam affirmare debet. Tertium est, (ait) quòd P. Moya vocet Elizaldam pedissequum. Card. Palla vicini. Sed ignoro in quo P. Moya erraverit, qui enim alterius doctrinæ inhæret, pedissequus est; nisi Celladei velit hujus singularis doctrinæ Proto-Magister dici. Quartum est, (ait) quòd P. Moya putet Elizaldam negare, quòd falsa possint esse probabilia, cùm certum sit, plura falsa esse probabiliora veris. Sed rectè P. Moya se gessit, P. Moy. cùm enim Celladei doceat nullum falsum esse probabile probabilitate conscientiæ, licèt possit alio genere esse probabile, nempe probabilitate sophisticâ, (satis enim erit legere *lib.* 1. *qu.* 1. §. 4. *&* 5.) consequenter P. Moya hoc ipsum impugnat, & dicit probabilitatem conscientiæ non esse idem ac veritatem, nec probabilitatem convenientem duplici opinioni non conscientiæ esse sophisticam. Dicteria, quibus Neotericus fervet, non sunt mei instituti, cùm, ut dixi, absolutione potiùs, quàm solutione egeant.

Solvun-

§. V.

Solvuntur argumenta Candidi, & Palanci.

SUMMARIUM.

Arguit, quia quando utraque eſt æquè probabilis, neutra eſt ſimpliciter probabilis, n. 192.
Hoc probat, neutram eſſe probabiliorem, ibid.
Nullus, ut puto, docet poſſe aliquem opinari ſimul duo contradictoria, unum ex medio intrinſeco, aliud ex extrinſeco: oſtendo, n. 193.
Candidus unicè negat probabilitatem ſimultatis, n. 194.
Judicia de probabilitate poſſunt eſſe ſcientifica, ibid.
Palanco ait, quòd qualibet eſt tantùm probabilis ſub conditione, quòd alia deſit, n. 195.
Hoc nego, ibid.
Ait, quòd ſi utraque eſt ſimpliciter probabilis, inferri poterit probabiliter, utrumque contradictorium eſſe verum, n. 196.
Non tenet à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis, n. 197.
Intellectus eſt potentia proxima affirmandi, & negandi diviſim, ibid.
Arguit ex æqualitate teſtium, n. 198.
Eſt ab eo ſolvendum, ibid.
Ait, repugnare, ut utraque pars, etſi ex diverſis motivis, appareat vera, n. 199.
Et quia ex ſimultate apparentiæ veritatis infertur apparentia ſimultatis veritatis. n. 200.
Si tò ſimul *cadat ſupra apparentiam, concedo; ſi ſupra verum in re, nego*, n. 201.
Ait, quòd ſi per probabilitatem veniat quid indifferens ad veritatem, & falſitatem, fatetur duplex cõtradictorium eſſe poſſe ſimul probabile; non autem, ſi veniat connexio plerumque cum veritate, n. 202.
Solvo, ibid.
Arguit, quia quantùm una pars eſt veroſimilis, tantùm oppoſita eſt falſoſimilis, n. 203.
Inſtatur, n. 204.
Nemo à motivo negandi movetur ad affirmandum, n. 205.
Mihi eſt ſimpliciter probabilis opinio oppoſita, non tantùm probabilitate latâ, quæ, juxta Palanco, eſt immunitas à cenſurâ, ſed ſtrictâ; cur? n. 206. 207.
Sententia negans oppoſitam propriæ eſſe ſimpliciter probabilem, eò tendit, ut nemo ſibi oppoſitam laudare poſſit, & ducit ad præſumptionem, n. 208.
Cur utraque non poſſit eſſe probabilior? n. 209.

N. 192. Philale. OBjicies 1. ex Philal. *qu. 7. pag. mihi* 128. *ad* 139. quòd quoties utraque contradictoria eſt æquè probabilis, neutra eſt ſimpliciter probabilis, quia neutra vincit aliam. Nego antecedens propter dicta *ſect. 1. §. 1. advert. 6. & §. 2. in confirmatione, & 3. ratione*; licèt enim verum ſit, quòd una non vincit aliam, ex hoc non ſequitur, quod neutra ſit ſimpliciter probabilis, ſed unicè ſequitur, quod neutra eſt probabilior, quia neutra vincit, & neutra eſt minùs probabilis, quia neutra eſt victa. Addo, quod omne, quod Philal. *qu. 3. per totam a pag.* 46. fuſe trahit, quærens, an intellectus poſſit phyſicè loquendo utramque partem contradictionis *ſimul* opinari, & dicit, quòd P. Vaſq. 1. 2. *d.* 62. *cap.* 3. *n.* 10. & P. Azor *tom.* 1. *Inſtit. Moral. lib.* 2. *cap.* 16. *qu.* 2. & 3. *& cap.* 17. *qu.* 7. velint, quòd non poſſit per principia intrinſeca, poſſit tamen opinari utrumque contradictorium, unũ per principia intrinſeca, & aliud per extrinſeca: ex. gr. quòd eligens minùs dignum poſſit per principia intrinſeca opinari, reſtituendum eſſe digniori; & per extrinſeca, non eſſe ei reſtituendum; quatenus opinio negans reſtituendum eſſe digniori ab eligente minùs dignum, eſt probabilis. Rurſus dicit, quòd P. Sanch. *lib.* 1. *Sum. cap.* 9. *n.* 12. velit, quòd quis opinari poſſit ſimul utrumque contradictorium per principia intrinſeca. Tandem idem Philal. *pag.* 48. refert opinionem tertiam, cum qua ſentit, intellectum non poſſe, nec ex principijs intrinſecis, nec ex extrinſecis opinari utrumque contradictorium; & citat S. Thomam *quodlib.* 8. *art.* 13. Greg. *qu.* 2. Prolog. *art.* 1. Duran. in Prolog. *qu.* 1. *n.* 21. quibus addo Palanco *qu.* 25. *per totam.* Dat rationem; quia implicat rem, etſi per diverſa media, ſimul eſſe, & non eſſe: ergo ſimiliter implicat, ut intellectus ſimul judicet rem eſſe ſimul, & non eſſe: ergo implicat, ut opinetur, etſi per diverſa media, utramque partem contradictionis. Hoc ego puto evidens, nec P. Sanch. & P. Vaſq. negare poſſunt; nam P. Vaſq. unicè docet, quòd quis poſſit ſimul habere hęc duo judicia, *Reſtituendum eſt digniori: Probabile eſt, quòd non ſit reſtituendum*; quæ non ſunt contradictoria, quia una eſt abſoluta, alia modalis, & utraque affirmativa: ergo non opinatur ſimul contradictoria, unum per medium intrinſecum, aliud per extrinſecum. Similiter P. Sanch. unicè docet, quòd quis poſſit ſimul habere hæc duo judicia, *Probabile eſt eſſe reſtituendum: Probabile eſt non eſſe reſtituendum*, conſideratis pro utrâque opinione rationibus intrinſecis; ea autem judicia non ſunt contradictoria, quia utrumque affirmat probabilitatem: ergo nullus Doctor aſſerit poſſe idem per unum judicium affirmari, & idem per aliud negari, ita ut

P. Vaſq. P. Azor. N. 193. P. Sanc. S. Th. Gregor. Duran. Palanc. P. Sanch. P. Vaſq.

ita ut hæc duo judicia simul esse possint, *est, non est restituendum*; ut enim implicat existentia simultanea utriusque objecti, nempe ut sit simul, & non sit; ita etiam implicat duplex judicium, quòd res simul sit, & non sit. Quare benè Philal. *pag.* 53. & 54. dicit, Philal. quòd aliud est judicare utramque opinionem probabilem, aliud utramque veram: primum est verum, secundum falsum, si judicet utramque absolutè veram; non autem si judicet utramque probabiliter veram. Et iterum *pag.* 53. dat rationem, cur intellectus non possint utrique præbere assensum opinativum; quia, inquit, assensus opinativus cadit supra veritatem, non supra probabilitatem; & benè dicit, implicat enim, ut simul stent, & vera sint, *licet, non licet*; sicut implicat, ut utrumque objectum utriusque judicij sit simul à parte rei verum. Quapropter argumenta Philaleti unicè probant, N. repugnare probabilitatem simultatis, nempe 194. simul esse duo judicia contradictoria de veritate, quia implicat, ut utrumque sit verum; esto possint simul stare duo judicia evidentia de probabilitate utriusque contradictorij, quæ judicia nullatenus opponuntur. Probant itaque ejus argumenta non dari probabilitatem simultatis; non autem non dari simultatem probabilitatis; immò eam dari simultatem Philaletus tuetur. Rursus probant, quòd judicia de probabilitate utriusque contradictorij sint scientifica; econtra judicium de veritate sit opinativum, quæ omnia, juxta me, sunt certa.

N. 195. Valanc. Objicies 2. ex Palanco *qu.* 23. *per totam*, quòd quoties eodem in intellectu sunt motiva probabilia utriusque opinionis, quælibet opinio est tantùm probabilis remotè, & conditionatè, id est, attento suo tantùm motivo, non autem absolutè, simpliciter, & proximè, id est, attento etiam motivo opinionis oppositæ: ergo licèt utraque pars contradictionis respectu ejusdem intellectûs possit simul esse probabilis secundùm quid, conditionatè, & remotè, non tamen utraque potest esse simul probabilis simpliciter, absolutè, & proximè. Sed contra; quia, ut dixi, & dicam, utraque simul est simpliciter probabilis, & non nisi gratis dicitur esse remotè probabilem.

N. 196. Objicies 3. Eo ipso quòd aliquid est probabile respectu intellectus, potest intellectus facere consequentiam probabilem ad illud: ergo si utraque pars est simpliciter simul probabilis, poterit intellectus concludere probabiliter utramque contradictoriam esse veram; ex. gr. Annam, quia mater est, diligere filium; rursus Annam, quia graviter à filio offensa fuit, non diligere filium: sed hoc est falsum: ergo utraque pars non potest simul esse probabilis respectu ejusdem intellectûs, nisi remotè, quatenus attento præcisè motivo amoris materni inducente ad concludendum, ergo Anna diligit filium, possum hoc affirmare; non autem simpliciter, & absolutè, quatenus attento etiam motivo offensæ inducente ad concludendum, ergo Anna non diligit filium, non possum affirmare, ergo Anna diligit filium. Quare ut intellectus possit proximè, & expeditè moveri ad affirmandum, Anna diligit, debet abesse motivum oppositum, & sic pars affirmativa est tantùm remotè probabilis; quod idem est de negativâ: ergo utraque simul est tantùm remotè probabilis. Sed contra; quia ex simultate probabilitatis inferri non potest probabilitas simultatis: ergo cùm hoc inferre tentet argumentum, ideo non tenet. Rogo tantùm, ut Palanco meminerit libertatis, cui competit potentia simultatis ad utrumque extremum divisim, non tamen competit simultas potentiæ ad utrumque extremum; sicut autem malè diceret quis, voluntatem esse tantùm potentiam remotam ad odium, & potentiam remotam ad amorem, quia componere non potest amorem cum odio, odium cum amore; malè, inquam, hoc aliquis diceret, nam voluntas est simul potentia proxima, & expedita ad amorem, & odium divisim, non simul ponendos; ita accidit in intellectu, qui est potentia proxima, & expedita ad affirmandum, vel negandum divisim, quòd Anna diligat, vel non diligat, neutiquam tamen est potentia ad affirmandum simul, & negandum, quòd diligat, & non diligat. N. 197.

N. 198. Palanc. Objicies 4. ex Palanco *n.* 7. Licèt utraque pars contradictionis possit simul esse credibilis secundùm quid, & remotè, non tamen proximè; si enim duo testes affirment, & duo negèt omnino idem, etsi pars affirmativa sit credibilis remotè, & seorsim à motivis partis negativæ, non tamen his stantibus: ergo utraque pars non est credibilis proximè, sed tantùm remotè: ergo etiam licèt utraque pars sit probabilis secundùm quid, & conditionatè, non tamen proximè, absolutè, & simpliciter. Sed contra; quia paritas testium solvetur infrà: hoc scio, quòd si est ad rem, nobis favet; ad reliqua patet; ut enim una pars est simpliciter probabilior aliâ, & altera est simpliciter minus probabilis illâ, cùm sunt inæqualiter probabiles; ita cùm utraque est æquè probabilis, utraque est simpliciter probabilis.

Objicies

N. 199. Palanc. Objicies 5. ex Palanco *n.* 8. Ea opinio est simpliciter, & absolutè probabilis alicui intellectui, quæ omnibus attentis ei apparet absolutè vera: sed implicat, utramque partem apparere simul eidem intellectui veram; implicat enim, ut eidem appareat simul simpliciter verum; quòd eadem res sit simul, & non sit: ergo &c. Nec dici potest 1. non repugnare, ut utraque pars ex diversis motivis, affirmativa ex suo, negativa ex suo, appareat simul vera: contra enim est, tùm quia ut pars affirmativa appareat absolutè vera, debet apparere vera apparentiâ vincente motivum negativæ; & hæc debet apparere vera, apparentiâ vincente motivum affirmativæ, quod repugnat; quia aliàs daretur simul duplex apparentia, utraque simul vincens, & victa, quod est pulchra chimæra: tùm quia, ut utraque pars appareat simul absolutè probabilis, non satis est, ut una seorsim ab aliâ, sed debet utraque simul apparere absolutè vera; hoc autem implicat; ergo etiam, ut utraque simul sit probabilis. Nec dici potest 2. (ait *n.* 12.) repugnare quidem, ut eidem intellectui appareat utrumque contradictorium simul verum, non tamen ut utrumque simul appareat verum; id est, quòd repugnet apparentia simultatis, non tamen simultas apparentiæ, quo modo repugnat possibilitas simultatis, non tamen simultas possibilitatis: Contra

N. 200. enim est, (ait) quia implicat simultas apparentiæ veritatis in utroque extremo, quæ non sit apparentia simultaneæ veritatis in utroque extremo; si enim pars affirmativa apparet absolutè vera, & simul eodem instanti eidem intellectui pars negativa apparet absolutè vera, eò ipso eodem instanti simul apparet vera utraque pars: ergo non solùm utraque simul apparet, sed apparet utraque simul vera. Urget; quia non datur medium, vel enim ex vi utriusque simultaneæ apparentiæ utraque pars apparet vagè vera, vel utraque simul vera? Si secundum; ergo apparet utraque simul vera; ergo datur apparentia simultatis. Si primum; non sufficit ad absolutam probabilitatem cujuslibet partis determinatè: ut enim una pars sit absolutè probabilis, non satis est, quòd appareat vagè vera, vel ipsa, vel ejus contradictoria; aliàs esset absolutè probabile stellas esse pares, quia vel hæc, vel ejus opposita est vagè vera; sed requiritur, quòd illa appareat absolutè, & determinatè vera: ergo vel sequitur apparentia simultatis veritatis in utrâque contradictoriâ; vel utraque contradictoria non potest esse absolutè probabilis.

Hinc patet ad paritatem de simultate possibilitatis ad utrũque extremum; ideò enim simultas possibilitatis ad utrumque non est possibilitas simultatis ad utrumque, quia simultas possibilitatis respicit utrumque extremum vagè, & seorsim; est enim indifferentia ad utramque partem seorsim: ergo simultatis possibilitas nõ est possibilitas simultatis. Econtra probabilitas absoluta unius partis contradictionis non respicit ipsam cum indifferentiâ, & vaguitate (ita loquitur) ad oppositum, nec est apparentia veritatis in unâ, aut aliâ parte, sed respicit determinatè partem, quam probat: ergo dari non potest duplex habitudo simultanea determinatè connexa cum utrâque parte contradictionis, quin respiciat utramque simul: ergo dari non potest simultas absolutæ probabilitatis de utrâque parte contradictionis, quæ non sit probabilitas simultatis. Sed con- N.

tra; quia licèt verum sit, quòd probabilitas 201. A respiciat determinatè partem A, probabilitas B determinatè partem B, ex hoc tantùm infertur simultas absolutæ probabilitatis de utrâque parte contradictionis, non autem infertur probabilitas simultatis veritatis de utraque parte contradictionis; semper enim adducta paritas infringit argumentum; & to *simul* semper cadit supra probabiliter verum, ut nobis apparet, non ut est in se; in se enim unum tantùm est verum. Sanè si unũ ex duobus objectis esset homo, alterum esset equus, adhuc tamen utrũque simul apparere probabiliter posset esse homo, nec tamen, quia utrumque simul apparet homo, liceret inferre utrumque simul esse hominem, cùm evidenter scirem alterutrum vagè non esse hominem: ergo ex simultaneâ apparentiâ veritatis non licet inferre simultaneam veritatem; est enim contra bonam Logicam inferre aliquid plus in consequenti, præter id quod erat in antecedenti, sed in antecedenti erat simultanea apparentia veritatis, non autem simultanea veritas: ergo ex illâ non licet inferre istam.

Objicies 6. ex Palanc. *n.* 16. Vel per pro- N.
babilitatem venit aliquid indifferens ad ve- 202.
ritatem, & falsitatem; tunc autem fatetur Palanc.
utrumque contradictorium esse posse simul probabile; vel venit probabilitas absoluta, & simpliciter talis, importans connexionem ut plurimùm cum veritate; tunc autem implicat utramque partem contradictionis esse ut plurimùm absolutè simul connexam cum veritate, quin sequatur simultanea veritas in utrâque: ergo implicat simultas probabilitatis veritâtis, quæ non sit probabilis simultas veritatis utriusque contradictorij. Respondeo venire grave fundamẽtum veri,

seu

seu gravem verosimilitudinem; inferre autem ex gravi simultaneâ verosimilitudine veritatis, simultaneam veritatem utriusque contradictorij, est contra omnem Logicam.

N. 203. Palanc. Objicies 7. ex Palanc. *n.* 17. Implicat, ut utrumque contradictorium eidem intellectui sit simpliciter verosimile; ergo etiam ut simul sit simpliciter probabile. Antecedens probatur; quia quantum una pars est verosimilis, tantùm opposita est falsosimilis, nam veritas unius est falsitas oppositi: sed implicat, quòd eadem pars sit simul absolutè verosimilis, & falsosimilis; ergo implicat, quòd utraque sit simul, & absolutè verosimilis. Minor probatur: quia quantùm aliquid est simile falso, tantùm est dissimile vero; ergo implicat eamdem partem contradictionis esse simpliciter verosimilem, & simpliciter falsosimilem. Sed contra 1. quia hoc argumento probatur, utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem secundùm quid, seu attento peculiari cujusque motivo, quod tamen negat dicens: Optimè stat utramque partem contradictionis sub distincto motivo consideratam plerumque contingere; ex. gr. quòd Anna ut mater diligat filium; & quòd eadem ut graviter offensa ab eo eum non diligat: ergo (ait) utraque pars potest esse simul probabilis secundùm quid, seu considerato præcisè cujusque motivo; non tamen potest utraque simul esse probabilis simpliciter, seu consideratis omnibus motivis, quia implicat, quòd omnibus pensatis plerumque contingat pars affirmativa, quàm negativa; & plerumque pars negativa, quàm affirmativa; adeoque si Anna consideretur simul, tùm ut mater, tùm ut offensa à filio, non potest dici, quòd plerumque in similibus contingat pars affirmativa, quia non plerumque contingit, matres à filijs graviter offensas eos diligere. Hæc Palanco. Mirabilis doctrina!

N. 204. N. 205. Quis enim à motivo movente ad negandum moveatur ad affirmandum, ut hic Doctor supponere videtur, dum vult absolutam, & strictam probabilitatem constitui per considerationem motivorum tum partis affirmativæ, quàm negativæ, cùm tamen hæc probabilitas sit potiùs respectiva, quàm absoluta?

N. 206. Contra 2. quia si dicit, quòd utraque pars possit simul esse probabilis secundùm quid, seu attento suo peculiari motivo, eò ipso ex simultate probabilitatis sequitur probabilitas simultatis, seu quòd utrumque contradictorium sit simul verum secundùm idem; si tenent argumenta, quæ contra nos trahit; tam enim implicat, ut utrumque contradictorium sit absolutè verum, quàm quòd utrumque sit secundùm quid verum, secundùm idem, quod affirmatur, & negatur. Contra 3. quia mihi non tantùm est simpliciter probabilis sententia negans lumen gloriæ esse totam rationem videndi, sed etiam est probabilis mihi opposita affirmans; & quidem non tantùm probabilitate latâ, & vulgari sumptâ pro immunitate à notâ, & censurâ, ut vult Palanco *n.* 24. sed probabilitate strictâ, quatenus video Thomistas habere pro se rationes graves; nam mihi sententia Thomistica est longè aliter probabilis, quàm sit probabilis hæc propositio, *Stellæ sunt pares*, quæ non est digna censurâ; ergo est mihi probabilis probabilitate strictâ. Nec aliter dicere possumus, nisi dicere velimus, quòd omnes Scotistæ apud se judicent, quòd omnis sententia Thomistica nullam pro se habeat solidam rationem, & quod careat probabilitate strictâ, & sit tantùm probabilis probabilitate latâ, quatenus digna non est censurâ. Addo opinionem dupliciter esse posse immunem à censurâ; vel quatenus habet pro se rationem solidam, eaque solida videtur non tantùm ei, qui eam opinionem defendit, sed etiam ei, qui eam impugnat; vel quatenus, licèt careat solidâ ratione, nihil tamen habet censurâ dignum. Si primo modo se habeat, est strictè probabilis; si secundo modo, est tantùm latè probabilis, immò potiùs non est probabilis. Puto autem, quòd nullus Scotista dicet nullam opinionem D. Thomæ Scoto oppositam, esse sibi probabilem, sed tantùm latè probabilem, seu immunem à censurâ in secundo sensu; immò dicet, si sapit, esse in primo sensu immunem à censurâ, quatenus verè est non tantùm ipsi Divo Thomæ, sed etiam sibi probabilis. Vide quò tandem tendat sententia negans duplicem contradictoriam esse posse eodem instanti eidem intellectui probabilem; eò enim tendit, ut quilibet dicere possit, immò debeat, de opinione sibi oppositâ, quòd non sit sibi absolutè probabilis; adeoque nullus laudare positivè poterit rationes, opiniones, & Doctores sibi oppositos, sed tantùm negativè, dicendo eam opinionem, rationem, & Doctorem nil habere censurâ dignum: quod quantùm à modestiâ, tantùm à veritate exorbitat.

N. 207. N. 208.

Dices ex Palanc. *n.* 27. Utraque contradictoria non potest eodem instanti videri eidem intellectui probabilior alterâ; ergo neque utraque simul probabilis. Nego consequentiam, ut dixi §. 3. *in fine*; quia implicat, ut idem sit absolutè vincens, & victum simul, & semel, ut apparet in pondere, quod non potest

N. 209. Palanc.

potest secundùm idem, esse vincès, & victum ab opposito; etsi non repugnet, ut idem pondus sit tantùm vel vincens oppositum, vel victum ab opposito; vel nec vincens, nec victum, sed æquale oppositò: ergo non repugnat, ut eidem intellectui, cui propria videtur probabilior, eidem opposita videatur absolutè, etsi minùs, probabilis; vel quòd utraque videatur eidem æquè probabilis; licèt repugnet, ut utraque contradictoria videatur simul probabilior alterâ ad invicem.

§. VI.

Argumentis P. Thyrsi occurritur.

SUMMARIUM.

Arguit, quia motiva diversum statum habent in intellectu assentientis, nam apparent verisimiliora, ac dissentientis, cui videntur minus verosimilia, n. 210.

Utitur paritate testium; alteruter enim mentitur, ita alteruter Doctor fallitur, aut ratio falsa est, n. 211.

Et quia alterutrum motivum conjungitur cum falsitate, n. 212.

Et quia intellectus non potest probare, ut verum, id, quod habet æquale fundamentum, ut reprobetur, ut falsum, n. 213.

Rejicio; cur? n. 214.

Contradictio, nam sæpe supponit motiva probabilia simul esse, n. 215.

Si motiva æqualia non sunt simul, non se elidunt, nec impediunt, n. 216.

Nullum dabitur probabile, sed omnia erunt moraliter certa, n. 217.

Obligans ad tutiorem minùs probabilem, obligabit ad non probabilem, n. 218.

Confundit probabilitatem cũ veritate, nec enim est de essentiâ probabilitatis, ut re ipsâ connectatur cum veritate, n. 219.

Confundit simultatem probabilitatis cum probabilitate simultatis, & judicium speculativum Judicis cum sententiâ definitivâ Judicis, n. 220.

Asserens, quòd ut quid sit probabile, debeat esse verosimilius, invertit formalitates Theologicas, & Theologos facit idiotas, n. 221.

Si alibi positivum stat pro comparativo, est, quia datur ratio ita interpretandi, quæ hic non datur, ibid.

N. 210. P. Thyr. PRimum est *dis.* 7. §. 18. *à n.* 100. quòd motiva quando sunt in meo intellectu, eo ipso non habent eum statum, quem habuere in mente suorum Authorum; nam motivum A, quod impulit S. Thomam ad aliquid affirmandum, repræsentatur illi ut verosimilius motivo B, quod impulit S. Bonaventuram ad negandum; & econtra: ergo in mente S. Thom. motivum A est illi verosimilius; & in mente Divi Bonav. motivum B est illi verosimilius; in mente autem meâ dum ea sunt, repræsentantur ut æquè verosimilia; ergo habent diversum statum ab eo, quem habent in mente Doctorum, dum impellunt ad assensus oppositos; ergo ego neutri prudenter assentiri potero in eo casu, in quo concurrit cum alio æqualiter movente. Confirmat: quia nostris rationibus unicè concluditur, quodcumque eorum motivorum esse probabile secundùm se seorsim sumptum, non autem simul sumptum, quia nullum virum prudentem movit, nec movere potest ad prudentem assensum, si simul concurrant, ut patet in quæstione facti; si enim tres fide graves jurent se vidisse Petrum Romæ tali die, & totidem æquè graves jurent eumdem Petrum vidisse eodem die Matriti; in hoc casu utraque pars est seorsim probabilis, non tamen simul respectu ejusdem intellectûs, nam unum motivum elidit aliud, ait *n.* 102. ergo idem in quæstione juris, nempe, non poterit utraque pars esse simul probabilis respectu ejusdem intellectus. Neque disparitas inter testes oppositum factum deponentes, & inter DD. æqualis authoritatis, allata à P. Terillo dicente, alterutros mentiri, adeoque unam partem non esse dignam assensu; hæc, inquam, disparitas nihil prodest: ut enim in quæstione facti nec huic, nec illi testi æquè gravi oppositum deponenti credere possum, quia alteruter mentitur; ita (ait P. Thyrsus) in quæstione juris alteruter ex DD. æquè gravibus oppositum affirmantibus, quorum unus affirmat hoc licere, alius negat licere, alteruter, si non mentitur, fallitur, & alterutrius ratio est fallax: ergo sicut in casu testium, utraque pars, nempe Petrum tali die fuisse, & non fuisse Romæ, non potest simul esse probabilis eidem intellectui, ita in quæstione juris utraque pars non potest esse simul eidem intellectui probabilis; nec intrinsecè, quando rationes oppositæ apparent eidem æquè probabiles; nec extrinsecè, quando Doctores oppositi, eidem intellectui apparent æquè graves. N. 211.

Secundum est à *n.* 106. quia argumento P. Terilli unicè probatur, quòd intellectus potest simul judicare utrumque motivum esse probabile, comparatum cum collectione sibi similium, (quia quælibet collectio motivorum similium continere poterit plura motiva connexa cum veritate, quàm cum falsitate) non tamen probat, quòd utrumque motivum N. 212. P. Teril.

motivum æquale sit eidem intellectui probabile respectu hujus objecti determinatè hic, & nunc; quia evidens est intellectui, quod unum ex illis motivis comparatum cum hoc objecto, conjungitur cum falsitate, alterum cum veritate; hinc quia intellectus nescit, quodnam sit, neutri assentiri potest; ergo cùm neutrum approbare possit per assensum, ait *n.* 106. neutrum est eidem intellectui probabile. Neque enim intellectus po- N. 213.
test probare ut verum (ait *n.* 107.) illud, quod habet æquale fundamentum ut reprobetur tamquam falsum. Quare illud solum est respectu alicujus certò probabile, *quod fundat judicium probabile, quod res sit vera,* ut P.Teril. ait P. Teril. *qu.* 2. de Conic. *n.* 26. sed hoc judicium fundare non potest, (subdit P. Thyrsus *n.* 108.) nisi manifestè quoad verosimilitudinem præemineat suo contradictorio. Demum concludit Dissertationem ver- C.Pal
bis Card. Pallavic. *lib.* 3. de Fide *cap.* 4. *n.* 114. scribentis, Uni eidem intellectui non potest eodem instanti videri probabilis utraque pars contradictionis.

N. Respondeo, etsi hæc Authoris sui mag-
214. num sapiant ingenium, nihilominus tamen me non movent. Primò, quia sequeretur ridiculam esse quæstionem classicam, an licitum sit alterutram ex æquè probabilibus sequi: si enim est chimæra simultas æqualis probabilitatis duplicis opinionis contradictoriæ, tam affirmantes licitum, quàm negantes licitum, supponerent chimæram; supponût enim utramque esse posse simul æquè probabilem eidem intellectui; & uni deinde affirmant licere, alij negant. 2. quia sequeretur nullum dari in intellectu dubium, nec ullum posse de aliqua re dubitare, dubium enim ex P. Thyrso supponit æqualitatem motivorum; si autem implicat, ut in eodem intellectu stent duo motiva oppositа æquè probabilia, implicat dubium in quocumque intellectu: ergo cùm certum sit, quòd dubium non implicet, certum etiam esse debet non implicare, ut in eodem intellectu stent simul duo motiva æquè probabilia: ergo licèt assereretur repugnare, ut intellectus assentiretur alterutri ex motivis æquè probabilibus, non ideo tamen simultas probabilitatis motivorum respectu ejusdem intellectus repugnat. 3. quia impugnans opinionem aliquam, quatenus ejus fundamenta videntur sibi minus probabilia, habet simul eodem instanti, tum motiva minùs probabilia opinionis oppositæ, quæ solvit; tùm motiva magis probabilia opinionis propriæ, per quæ dissolvit: ergo si non repugnat simultas duplicis inæqualis probabilitatis inclinantis ad oppositа, nec repugnare poterit simultas duplicis æqualis probabilitatis inclinantis ad oppositа. 4. implicat judicium comparans unum extremum cum alio sine præsentiâ utriusque: ergo si intellectus judicat motiva utriusque opinionis oppositæ esse quoad vim motivam æqualia, eo ipso utriusque motivum est per modum objecti judicati in eodem intellectu; ergo etsi repugnaret, ut tunc intellectus assentiretur uni præ alio, (de quo *sect. sequenti*) adhuc tamen non repugnat, immò necessaria est simultas probabilitatis æqualis.

Confirmo: quia ex datâ P. Thyrsi do- N.
ctrinâ plura sequuntur contradictoria; si 215.
enim, ut passim affirmat, *intellectus ut assen-* P.Thyr.
tus motivo A non inclinatur ad assensum, ut componendum cum motivo B æquè trahente ad dissensum, sed tantum ad assenium secundùm se; & si, ut *diss.* 7. *n.* 93. affirmat, *Intellectus præventus æquali motivo ad oppositа, non magis inclinatur ad unam partem, quam ad aliam, quia quantum unum motivum inclinat, tantum retrahit aliud; hinc utrumque est impedimentum alterius, & neutrum in sensu compositо alterius habet potestatem ad persuadendum assensum, quia in ratione potentiis absolutè persuadere assensum illius partis, constituitur per carentiam motivi æqualiter movetis ad oppositum.* Et si toties utitur paritate stateræ æquali pondere onustę; quæ & alia supponunt duo motiva æquè probabilia stare simul in intellectu, imo hinc infert, non esse licitum sequi alterutram ex æquè probabilibus opinionibus; quomodò deinde, quod totâ Dissertatione suppositum erat ut verum, immò quod non potest non affirmare ut verum, nempe simultatem motivorum æquè probabilium eodem instanti in eodem intellectu, (non minus ac est certa simultas in eâdem staterâ eodem instanti ponderum æquè inclinantium in oppositum motum, nempe sinistrum, & dexterum) si velit suas rationes concludere contra affirmantes esse tunc licitum sequi alterutram, quomodò, inquam, absolvit dissertationem, negando toto *ultimo* §. utramque partem cõtradictionis posse simul esse æquè probabilem eidem intellectui? Similiter *diss.* 9. *n.* 20. hæc habet: *Qui judicat ob fundamenta urgentissima rationis, rem esse licitam, potest considerando magnam authoritatem Doctorum asserentium rem esse illicitam, induci in dubitationem: vel in dubitationem simpliciter, si illâ consideratione ductus suspendit judicium; vel in dubitationem secundum quid, si retento judicio de honestate objecti prudenter formidet de malitiâ ejusdem.* Hæc P. Thyrsus. N.

Ecce 1. per hæc verba supponit in mente 216.

judicantis ob fundamenta urgentissima, *rem licere*, stare simul magnam authoritatem Doctorum asserentium, *rem non licere*; ergo supponit simultatem motivorum, etsi inæqualium, eodem instanti in eodem intellectu; nam eo instanti, quo quis judicat, habet motivum sui judicij; rursus eo instanti, quo judicat, potest formidare prudenter de opposito, adeoque habet motivum causans formidinem; ergo habet simultatem utriusque motivi, etsi inæqualis; ergo multo magis habere potest simultatem motivi æqualis. Ecce 2. quod *ultimus* §. *diß.* 7. contradicit omnibus, quę hâc Dissertatione docuerat. Ita enim arguo: Implicat simultas probabilitatis utriusque partis contradictoriæ respectu ejusdem intellectus, ait P. Thyrs. *diß.* 7. §. 18. *per totum*: ergo æqualia motiva non se elidunt, non sunt ad invicem impedimenta, (& sic de alijs ejus rationibus, quibus suadet, non esse licitum sequi alterutram ex æquè probabilibus) quia non entis nullæ sunt passiones, & quæ non sunt, non se impediunt, non se elidunt, non trahunt, non retrahunt: sed ex omnibus §§. *antecedentibus* motiva æqualia se elidunt, se mutuò impediunt respectu ejusdem intellectus; ergo simul coexistunt; implicat enim, ut simul opponantur ad invicem, nisi simul sint: ergo simul implicat, & non implicat simultas probabilitatis utriusque contradictorij respectu ejusdem intellectus: implicat, ut fatetur §. 18. non implicat, immo tamquam certam eamdem simultatem probabilitatis in eodem intellectu supponit, & supponere debet, si velit suas rationes, quas §§. *antecedentibus* contra nos adduxerat, contra nos concludere.

P.T. yr.

N. 217. Ecce 3. non dari probabile, sed omnia esse moraliter certa, aut evidentia; nam *n.* 98. ait: Nec demum aptè dicitur dubium positivum, quando pro unâ parte contradictionis occurrit ratio probabilis, & pro aliâ non occurrit ratio ulla; quia hoc non tam est dubium, quàm moralis quædam securitas. Nam si occurrit ratio gravis ad probandum aliquid esse licitum, & nihil in contrarium occurrit post sufficientem diligentiam adhibitam ad inquirendam veritatem, certum moraliter erit, me posse licitè exequi illam actionem. Hæc P. Thyrsus, ex cujus doctrinâ ita arguo: Si implicat simultas probabilitatis in eodem intellectu, eò ipso, ut aliquid sit probabile, necesse erit, ut oppositum non appareat probabile; sed eò ipso quòd oppositum non apparet probabile, eò ipso pars illi contradictoria erit moraliter certa, nam elidit omnem probabilitatem partis oppositæ: ergo pars purè probabilis, non erit purè probabilis, sed moraliter certa: ergo nihil dabitur purè probabile, immò omne probabile erit moraliter certum. Ecce 4. si implicat simultas probabilitatis, & si æqualia motiva se mutuò elidunt, sequens tutiorem minùs probabilem, eò ipso sequitur non probabilem; & obligans ad tutiorem inter æquè probabiles, obligabit ad non probabilem; sed implicat, ut quis obligetur ad non probabilem: ergo vel non implicat simultas probabilitatis, nec motiva æqualia se mutuò elidunt, si inter æquè probabiles obligamur ad tutiorem, ut vult P. Thyrsus; vel si ea implicat, implicat, ut obligemur ad tutiorem inter æquè probabiles.

N. 218.

Demum totum doctrinæ oppositæ æquivocum fundatur 1. in confusione probabilitatis cum veritate, quasi quia evidens est alterutram contradictoriam esse falsam, evidens etiam sit alterutram probabilitatem esse falsam, cùm tamen non sit falsa probabilitas, sed sit certa, & vera, licèt non connectatur necessariò cum veritate; non enim de essentiâ veræ probabilitatis est, ut reverà connectatur cum veritate: 2. in confusione simultatis probabilitatis cum probabilitate simultatis: 3. in confusione judicij, quod potest habere Judex, quando dantur hinc inde pro aliquo facto testes sibi contradicentes; potest enim Judex judicare testem A dicere verum, dum dicit Petrum fuisse Romæ; in confusione, inquam, judicij speculativi cum sententiâ definitivâ judicis; Judex enim non potest tunc ferre sententiam pro unâ potiùs parte, quàm aliâ, quando jura partium sunt æqualia; ex hoc autem quòd Judex hanc sententiam ferre non possit, non infertur, quòd non possit, immò potest credere potiùs uni, quàm alij testi æquali: 4. quia ex eo quòd unum motivum non inclinet magis, quàm aliud, infert ex non maiori inclinatione non inclinationem, quod est contra bonam Dialecticam: 5. quia semper supponit, quòd ut quid sit probabile, apparere debeat verisimilius; hoc autem est pervertere omnem Syntaxim, & Lexicon Theologicũ, & omnes quæstiones morales subindeque vertere, & facere omnes Theologos idiotas, dum alienam opinionem dicunt probabilem, & similia. Exempla autem, quæ possunt trahi, ut ostendatur accidere sæpe, ut comparativum stet pro positivo, & positivum pro negativo, immò positivum pro comparativo, non sunt ad rem; tùm quia ostendi debet, quòd in nostro casu detur eadem ratio interpretandi comparativum pro positivo, & positivum pro negativo, immò positi-

N. 219.

N. 220.

N. 221.

positivum pro comparativo; ita ut idem sit magis probabile ac probabile, & minùs probabile ac non probabile; & probabile, ac probabilius; tùm quia Theologi assueti severo loquendi Scholarum modo, non solent confundere terminos, & comparativum cum positivo.

P. Thyr. Tandem P. Thyrsus non solvit argumentum P. Terilli; nam si, ut P. Thyrsus fatetur *n.* 106. potest utraque pars simul esse probabilis eidem intellectui, quoties quælibet pars comparatur cum collectione motivorum sibi similium, quomodo ait utramque partem non posse simul esse probabilem, si comparetur cum actu hìc, & nunc eliciendo? si enim motiva similia sunt sufficientia ad actum hìc, & nunc eliciendum, ignoro, quomodo quælibet pars comparata cum collectione horum motivorum similium ad actum hìc, & nunc eliciendum, non sit sufficiens ad actum hìc, & nunc eliciendum?

SECTIO III.

An voluntas possit determinare intellectum inter motiva æqualiter, aut inæqualiter probabilia positum, ut assentiatur motivo æquè, immò minus probabili?

§. I.

Status quæstionis, & occasio.

SUMMARIUM.

Anti-Probabilistæ supponunt usum opinionis minus, aut æquè probabilis esse illicitum, & chimæricum: eorum rationes, & illationes, à n. 222. ad 225.

Doctores, n. 225.

Duplex quæstio, una Philosophica, alia Theologica, n. 226.

Quæstio Philosophica, etsi non sit necessaria, tollit tamen omnem Theologicam, n. 227. 228. 229.

Cur non sit necessaria? n. 230.

DD. negantes intellectum posse assentiri physicè æquè, aut minùs probabili; & simul tuentes, licitum sequi minus probabilem, n. 231.

Etsi intellectus physicè non posset assentiri directè minus probabili, potest tamen judicare reflexè, quòd liceat sequi minus probabilem, n. 232. 233. 234. 235.

Ut quis sine peccato operetur, satis est judicium reflexum de non peccato; principia hujus judicij, n. 236.

Examino quæstionem Philosophicam, quia utilem Theologicæ, n. 237.

INter alia, quæ Anti-Probabilistæ supponunt, ut licitum opinionis minùs, aut æquè probabilis usum negent, est, quòd intellectus non possit determinari à voluntate ad assensum objecti æquè, aut minùs probabilis; quapropter quæstionem affirmantem licere sequi opinionem minùs probabilem, dicunt esse de subjecto non supponente: supponit enim, quòd intellectus æqualibus pro utrâque opinione contradictoriâ motivis fultus, possit à voluntate determinari ad alterutrius partis assensum; quod (inquiunt) est falsum; ergo quæstio falsum supponit. Minorem probant; quia implicat assensus sine motivo; sed quoties adsunt motiva æqualia, nullum adest motivum, nam se mutuò elidunt, & enervant; ergo stantibus æqualibus motivis, implicat quilibet cujuslibet partis assensus, non tantùm simul cum assensu partis oppositæ, sed etiam divisim ab assensu partis oppositæ. Hinc est 1. quòd tantò magis repugnat, ut voluntas determinet intellectum ad assensum partis minùs probabilis; si enim non potest, quando sunt fundamenta æqualia, multò minùs voluntas poterit imperare intellectui, ut assentiatur objecto minori fundamento instructo: ergo quæstio de licito usu opinionis minùs probabilis, quia supponit intellectum, præsentibus solidioribus motivis, posse fragiliori motivo ex imperio voluntatis assentiri, est de subjecto non supponente. N. 222. N. 223.

Hinc est 2. quòd habens motiva pro utrâque parte æqualia, quibuscumque innitatur, peccabit; qui enim operatur cum conscientiâ dubiâ peccati, peccat: sed stante æquali motivorum oppositorum probabilitate conscientia manet dubia: ergo operans, stante æquali motivorum oppositorum probabilitate, peccabit: ergo cuicumque motivo adhæreat, peccabit. Minorem probant; quia motiva æqualia se mutuò elidunt; si autem se elidunt, intellectus necessariò manet suspensus, & sine omni judicio de licentiâ operationis, quod necessarium est, nè quis peccet; ergo quamcumque partem tunc sequatur, peccabit. Confirmant, tùm ex Jure decernente, quòd quoties contraria deponuntur à testibus æqualibus, toties Judex pro neutrâ parte potest dicere jus; tùm ex S. Augustin. dicente, quòd in casu duorum adolescentium se mutuò de adulterio accusantium, neutri credendum sit. N. 224.

Hinc est 3. quòd usus opinionis minùs probabilis non tantùm est illicitus, quatenus intellectus informatus motivis æquè probabilibus manet necessariò dubius de peccato, seu necessariò suspendit omne de non N. 225.

peccato judicium; atque adeo multò minùs assentiri potest objecto minus probabili: sed etiam usus opinionis minus probabilis est impossibilis; si enim impossibile est, ut intellectus assentiatur alterutri parti ex duabus æquè probabilibus, multo magis impossibile erit, ut assentiatur parti minùs probabili, præsente oppositâ probabiliori. Hæc Philaletus, M. Mercor. M. Baro, P. Eliz. P. Thyrsus, Palanco, & alij.

Phila!. M. Mer. M. Bar. P. Thyr. P. Eliz. Palanc.

N. 226. Duplicem, si rectè penetretur argumentum propositum, continet difficultatem; unam Philosophicam, alteram Theologicam. Philosophica est, an intellectus, stante æquali, aut inæquali, pro duplici objecto contradictorio, objectivâ probabilitate, possit ex voluntatis imperio determinari, ut assentiatur uni præ altero extremo æquè probabili; immo ut assentiatur minùs probabili? Intelligendum semper divisim ab assensu extremi oppositi, æquè, aut magis probabilis, nam ex *sect.* 2. constat repugnare simultatem assensùs cum dissensu. Theologica est, an dato quòd intellectus à voluntate determinari non possit ad assensum directum extremi A, præ assensu directo extremi B contradictorij æquè probabilis; & multò magis dato, quod non possit assentiri directè extremo A minùs probabili, stante maiori pro extremo B probabilitate; an, inquam, utroque hoc dato, intellectus maneat necessariò dubius de peccato? Si manet, tunc evidenter sequitur, quòd usus opinionis minus, aut æquè probabilis, stante oppositâ magis, aut æquè probabili, sit non tantùm impossibilis ex sententiâ Philosophicâ negante voluntati tale imperium in intellectum, sed etiam sit illicitus ex sententiâ omnium TT. docentium, neminem posse sine peccato operari cum conscientiâ peccati dubiâ.

N. 227. Dico 1. Quæstio Philosophica est utilissima, & omnino dirimit difficultatem Theologicam.

N. 228. Dico 2. Licèt sententia Philosophica affirmans tale voluntatis imperium in intellectum dirimat omnino difficultatem Theologicam; adhuc tamen ad difficultatis Theologicę solutionem non est necessaria, cùm etiam sine illa solvi possit.

N. 229. Prima conclusio probatur; quia suppositâ ut verâ sententiâ Philosophicâ affirmante, quòd intellectus à voluntate determinari possit, ut assentiatur directè extremo æquè, aut minus probabili, præsente extremo oppositio æquè, aut magis probabili, sequitur evidenter, quod intellectus stantibus motivis æquè probabilibus non maneat suspensus, seu omnino dubius de peccato: ergo sententia Philosophica affirmans intellectum, stantibus motivis æquè, aut non æquè probabilibus, determinari posse à voluntate ad assensum directum alterutrius extremi ex æquè probabilibus, aut ad assensum directum extremi minùs probabilis ex non æquè probabilibus, prorsus dirimit difficultatem Theologicam. Hinc evidenter sequitur, quòd si intellectus tunc non manet necessariò dubius de peccato, quæstio de usu opinionis minùs, aut æquè probabilis, non erit de subjecto non supponente, immò erit de subjecto affirmato; affirmo enim, quòd intellectus determinari possit à voluntate ad assensum directum objecti æquè, aut minùs probabilis, stante oppositâ opinione æquè, aut magis probabili. An autem sententia Philosophica attribuens tale voluntatis in intellectum imperium sit vera, paulò pòst videndum.

Secunda conclusio probatur 1. authoritate; omnes enim Doctores, quos P. Eliz. *lib.* 2. *qu.* 2. & in Appendice *qu.* 2. citat pro sententiâ negante intellectui potentiam physicam assentiendi opinioni æquè, aut minùs probabili, ijdem Doctores affirmant licitum esse opinionis benignę, seu minùs tutæ, & minùs probabilis, usum, atque adeo adhuc negatâ intellectui potentiâ physicâ, ut assentiatur directè extremo æquè, aut minùs probabili, adhuc negant intellectum tunc manere dubium. Doctores autem sunt P. Vasqu. 1. 2. *d.* 62. *cap.* 3. *n.* 9. & *d.* 67. *cap.* 1. *n.* 4. P. Sanch. *lib.* 1. Sum. *cap.* 10. *n.* 4. P. Layman *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 2. P. Lessius Tomo posthumo de Act. hum. *qu.* 17. *art.* 16. P. Suar. *tr.* 1. *de Act. hum. d.* 10. *sect.* 1. quibus addo P. Perez *tr.* 1. *de Just. d.* 4. *n.* 104. *cap.* 5. dicentem, esse valdè probabile, quod judicans partem aliquam contradictionis esse probabiliorem, non possit contrariæ assentiri; & *cap.* 8. *n.* 41. ait: Videtur valdè stultum dicere, verum esse, quod omnibus pensatis videtur minùs probabile: & P. Teril. de Reg. mor. *qu.* 29. *n.* 29. qui ait: Fateor intellectum flecti non posse ad assensum ullius ex partibus, quas actu putat æquales; & multò minùs ad assensum partis, quam putat minùs probabilem: & Herinx *tom.* 2. *d.* 2. de Lib. arbitr. *qu.* 8. *n.* 76. postquam dixit D. Thomam docere, quòd intellectus assentiri, aut dissentiri possit pro voluntatis arbitrio, ubi non est evidentia, ait, se sentire cum Scoto, quòd voluntas non possit imperare intellectui, ut assentiatur minùs probabili, sed tantùm eum divertere à probabiliori, & deinde assentiri minùs probabi-

N. 230. P. Eliz.

N. 231. P. Vasq. P. Sanc. P. Layman, P. Lessius, P. Suar. P. Perez P. Teril. Herin.

probabili ; & tamen omnes isti Doctores pieno ore docent, licitum esse amplecti opinionem minùs probabilem : ergo quæstio de licito usu opinionis minùs, aut æquè probabilis, præsente oppositâ, æquè, aut magis probabili, nullatenus necessario pendet à quæstione Philosophicâ, de potestate physicâ intellectus ad assentiendum parti æque, aut minùs probabili; etsi enim hæc potestas physica negetur intellectui, adhuc licitus erit usus
N. 232. opinionis benignæ ; & licèt tunc intellectus formare nõ possit ullum directum judicium circa objectum æquè, aut minùs probabile, poterit tamen tunc concipere judicium reflexum certum, quòd licitum sit sequi opinionem minùs probabilem ; quo judicio reflexo concepto, intellectus non manet amplius dubius peccati ; immò est certus de non peccato, ut rectè notavit P. Moya *tom.* 2. *qu.* 7. *n.* 28. & ante eum P. Oviedo 1. 2. *tr.* 5. de Consc. *contr.* 3. *pun.* 2. *n.* 18. ubi postquàm breviter quæsivit an intellectus ex imperio voluntatis assentiri possit opinioni, quàm judicat minùs probabilem, ait : Quæstio hæc ad rem moralem nihil conducit ; & dat rationem ; quia ut homo habeat prudens judicium, quòd objectum A sibi nunc liceat, non est necessarium judicium, quo veritati opinionis assentiatur, sed sufficit judicium, quo ejus probabilitati assentiatur. Hæc P. Oviedo. Id est, non est necessarium judicium directum cadens supra veritatem opinionis minùs probabilis, sed satis est judicium reflexum cadens supra ejus probabilitatem ; de quo ego infrà.

P. Moy. P. Ovie.

N. 233. Secundò probatur ; quia adhuc negato, quòd intellectus possit à voluntate determinari ad assensum directum, præ dissensu directo ejusdem partis, aut præ assensu directo partis oppositæ, adhuc tamen, stante æquali, immò minori probabilitate directâ opinionis pro libertate, quàm opinionis pro
N. 234. lege, potest intellectus formare judicium practicum reflexum, non tantùm probabile, aut probabilius, sed moraliter certum de licentiâ operationis, per quod excludatur omne dubium peccati, hoc, vel alio modo. Hæc
N. 235. actio, aut objectum mihi licet, quia quoties est certò probabile, sive æquè, sive minùs, aliquam actionem, aut objectum non esse vetitum, toties reflexè certum est ratione possessionis libertatis, & ratione legis non sufficienter intimatæ, eam actionem esse permissam ; ergo tunc operabitur cum bonâ fide reflexâ honestatis, & judicio reflexo de
N. 236. honestate objecti excludente omne dubium peccati. Confirmo, & simul ostendo æquivocum Anti-Probabilistarum ; quia ut quis sine peccato operetur, non est necessarium judicium directum de non peccato, sed satis est judicium reflexum de non peccato : sed per sententiam negantem voluntati potestatem physicam in intellectum, ut assentiatur objecto minùs, aut æquè probabili, stante opposito magis, aut æquè probabili, negatur unicè judicium directum de non peccato, stante æquali, vel maiori probabilitate objectivâ pro peccato ; non autem negatur, quòd tunc intellectus, stante eâ maiori, vel æquali probabilitate objectivâ pro peccato, non possit concipere judicium reflexum certum de non peccato, tollens omne dubium peccati fundatum in hoc principio reflexo, *Non obligor ad directè probabilius, non datâ lege obligante ad directè probabilius:* ergo sententia Philosophica affirmativa non est necessaria, immo suppositâ ut verâ sententiâ negativâ, adhuc evidenter solvitur difficultas Theologica.

Quia tamen, ut dixi paulò antè, quæstio N.
Philosophica utilissima est ad dirimendam 237.
difficultatem Theologicam, immò necessaria est, ut Adversarij contra nos mussitare non possint, dum tamquàm certam supponunt sententiam negantẽ intellectui potentiam physicam, ut ex imperio voluntatis opinioni æquè, aut minùs probabili, stãte oppositâ æquè, aut magis probabili, assentiatur, ideo quæstionem Philosophicam ad examen vocare operę pretium duxi.

§. III.

Aliqua fundamenta sententiæ negantis intellectum posse ex imperio voluntatis assentiri opinioni minus, aut æquè probabili, stante oppositâ æquè, aut magis probabili.

SUMMARIUM.

DD. negantes, n. 238.

Contradictio M. Merc. quòd intellectus possit, & non possit assentiri probabiliori, stante oppositâ minùs probabili, n. 239.

Contradictio M. Baro, quòd intellectus possit, & non possit assentiri æquè probabili, n. 240.

Contradictio Candidi, quòd liceat, & non liceat sequi æquè probabilem, n. 241.

Candidus ait ex S. Thom. in ijs, quæ ad mores non spectant, nos posse sequi utrumque, num. 242.

P. Eliz. ait, impossibile, ut intellectus assentiatur minùs probabili, n. 243.

Adversariorum principium, quia opinari non est nobis liberum, n. 244.

Quia ex Aristot. phantasia, & opinio non sunt idem, n. 245.

Quia verum, & falsum non pendet à libertate, & uno tantum modo se habet, n. 246.
Quia ait Candidus: Opinari tantùm est liberum quoad exercitium, non quoad specificationem; immò ait, voluntatem non esse liberam inter bona æqualia, ibid.
Quia opinari unicè pendet ab objecto, num. 247. 248.
Quia si utrumque motivum est æquale, neutrum satis movet, n. 249.
Utitur paritate stateræ, n. 250.
Et pictoris, n. 251.
Quia intellectus sequeretur motionem voluntatis, non motivi, n. 252.
Quia ad sortem eligeret verum, n. 253.
Quia intellectus in dubio, sine aliâ ratione tollente dubium, opinari posset, quod est contra omnes, n. 254.
Utitur paritate duplicis æquè trahentis; idem enim est, ac nullum trahens, n. 255.
Quia posemus licitè dicere bonum, malum, & malum, bonum; & utitur paritate viri æquè fidelis, ac infidelis, qui non potest movere ad fidem, n. 256.
Quia minùs probabiliter bonum est magis probabiliter malum, n. 257.
Quia opinans minus probabile, sequitur magis falsum, quàm verum, n. 258.
Quia possumus imaginari pro libito, non autem opinari, n. 259.

N. 238. P. Layman, P. Per. P. Thyr P. Suar. STant pro sententiâ negante P. Layman *lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 2. n. 5.* P. Perez *tr. 1. de Just. d. 4. cap. 3. n. 41. & cap. 5. n. 104.* P. Thyrsus *disp. 3. cap. 2. a n. 11.* qui citat P. Suar. *1. 2. d. 10. sect. 1.* dicentem: Mihi probabile est non posse voluntatem movere nisi in illud, quod verosimilius, & probabilius apparet; quamvis affectio voluntatis plurimùm conferre possit, ut ipsum objectum probabilius, & verisimilius appareat. C. Pallavic. *d. 8. de Act. hum. qu. 6. art. 4.* P. Bresserus de Consc. *lib. 3. cap. 2.* Palanco *qu. 26.* per totam, M. Mercor. qui *2. p. art. 3.* vult intellectum cognoscentem utramque partem contradictionis esse æquè probabilem, non posse alterutram pro libito opinari; immò *2. p. art. 17.* ait, intellectum non posse assentiri parti probabiliori, concurrente minùs probabili; in quo D. Thomæ, & omnibus Theologis, immò sibi ipsi contradicit; tùm quia idem M. Mercor. *2. p. art. 16. pag. 114. §. nota 2.* affirmat posse intellectum sequi speculativè partem minùs probabilem; ergo multò magis æquè, aut magis probabilem; tùm quia *2. p. art. 24.* ait, Paganum, cui si sententia negans licitum sequi Hebræorum fidem proponatur ut probabilior, sententia autē affirmans proponatur ut probabilis, teneri adhærere probabiliori: ergo ex M. Mercoro intellectus potest assentiri parti probabiliori, concurrente minùs probabili. M. Baro *d. 2. sect. 2. art. 2. §. 6. & 7.* esto sibi contradicat, nam defendit intellectum debere assentiri parti magis tutæ minùs probabili; immò defendit, quòd si utraque opinio stet pro officio, & pro honesto, & sit æquè probabilis, quòd possit assentiri, cui maluerit.

N. 239. N. 240. M. Bar. M. Mer.

Philaletus *qu. 4. pag. mihi 60.* ubi ait, intellectum non posse præbere assensum probabilem, quando habet in contrarium æqualia, vel fortiora motiva: ergo intellectus in opinando hoc præ illo non pendet à voluntate, sed à motivis, & necessariò agit: ergo non potest assentiri, stantibus motivis æqualibus, quia sic non esset ratio, cur assentiretur uni parti contradictionis, quàm alteri, & sic deberet assentiri utrique, quod implicat. Hæc Philal. Idem repetit eâ *quæst. 4. pag. 69. & 70.* dicens: Nec potest physicè intellectus assentiri potiùs uni, quàm alteri, quia est æquè probabilis, ut supponit ratio de illicito, ac de licito; & *pag. 169.* ait, intellectum non posse assentiri in æquè probabilibus, quia quantùm unum movet, ut dicat licere, tantùm oppositum destruit movendo ad non licere, ut patet in duobus æquè moventibus in oppositam partem; & *pag. 125. & 126. qu. 6.* ait, intellectum manere suspensum, quoties motiva sunt æqualia. Sed Philaletus quoque sibi contradicit; nam *qu. 6. pag. mihi 131.* ait, duarum opinionum oppositarum æquè probabilium non licere utramque sequi, nisi utraque aliunde sit tuta: ergo (infero ego) si utraque sit tuta, licebit sequi quam maluero ex æquè probabilibus: ergo poterit intellectus inter æquè probabilia æquè tuta determinari à voluntate; adeoque opinari hoc, vel illo modo erit nobis liberum, quod tamen fusissimè Philal. *qu. 2. à pag. 18.* negat.

Philal. N. 241. Philale.

Rursus sibi contradicit, quia *qu. 6. pag. 132.* citat S. Thomam *opusc. 3.* dicentem, in alijs, quæ ad mores non pertinent, utrumque nos posse sequi, & defendere, non tamen in illis, quæ ad mores pertinent, seu in quibus est peccandi periculum: ergo (infero ego) quòd intellectus poterit physicè sequi partem, quam voluerit, in rebus, quæ ad mores non pertinent; immò physicè poterit etiam in rebus, quę ad mores pertinent, etsi hoc licitè non poterit, nisi textus explicetur, ut à nobis explicatur. Hinc est quòd P. Moya *tom. 2. qu. 7.* dixit Candidum sentire cum sententiâ affirmante, & citat ejus

N. 242. S. Tho.

P. Moy. Philal.

paginas 51. 60. 61. 78. Verùm, ut dixi, ſtat potiùs pro negativâ, ex locis à me citatis; licèt, quia ſibi contradicit, citari etiam poſſit pro affirmativâ. P. Eliz. *lib.* 2. *qu.* 2. & in Append. *qu.* 2. couſque progreſſus eſt, ut *lib.* 2. *qu.* 7. dixerit, quòd ſententia negans poſſe intellectum aſſentiri parti æquè, aut minùs probabili ſit omnium Doctorum è Societate, uno excepto P. Valentia, in quo tamen non modicè deceptus eſt, cùm potiùs affirmativa ſit ferè omnium Doctorum: immò hoc non contentus in ſuâ Appendice de Naturâ opinionis, quæ jacet poſt *lib.* 4. ait *qu.* 2. impoſſibile eſſe, ut intellectus aſſentiatur æquè, aut minùs probabili; & §. 2. ex Antiquis citat Maiorem, Richardum, Hendricum, Sylveſtrum, dicens eſſe communiſſimam inter Antiquos; & ex Modernis citat Æmin. Pallav. Philal. P. Leſſ. P. Comit. P. Suar. P. Vaſq. concludens, huic ſententiæ, poſtquàm tractari cœpit (ecce ſi tractari cœpit, ergo ab Antiquis tractata non fuit) ſubſcribere multos RR. in Hiſpaniâ, & Italiâ.

P. Eliz. N. 243. Maior. Richar. Henr. Sylveſt. Citalla. P. Leſſ. P. Com. P. Suar. P. Vaſq. Philal.

N. 244. Antequàm adverſa argumenta producam, conſultum duxi examinare principium, cui pleraque nituntur. Principium autem eſt, quod opinari non eſt nobis liberum; hoc autem latiſſimè ſuadetur à Philaleto *qu.* 2. *à pag.* 18.

N. 245. Ariſtot. Primò ex Ariſt. *lib.* 2. de Animâ *textu* 153. dicente, *Non eſt eadem phantaſia, & opinio; ea quidem paſſio in nobis eſt, cùm volumus; licet namque, cum libet, fingere, quidquid volumus; opinari autem non in nobis eſt; neceſſe enim eſt falſum, aut verum dicere*: ergo non eſt liberum nobis opinari. Conſequentia probatur; quia, ut ait Philal. ad finem libri in Corollarijs *pag.* 167. verum, & falſum ſe habet uno tantùm modo, & independenter omnino à noſtrâ libertate; nam pendet à rebus, quæ uno tantùm modo ſe habent; & rem hoc modo ſe habere non pendet à noſtrâ libertate; ſed anima per opinionem dicit verum, aut falſum: ergo habere opinionem non eſt in noſtrâ manu. Hinc *pag.* 18. dicit, quòd opinari eſt tantùm liberum nobis quoad exercitium actus, quatenus poteſt voluntas ſuſpendere omnem aſſenſum, & diſſenſum; non quoad ſpecificationem, quatenus dato quòd intellectus circa aliquod objectum judicare velit, non poteſt pro libito ei aſſentiri, vel diſſentiri, ſed neceſſitatur ab objecto ad aſſenſum, vel diſſenſum. Prima pars (inquit) conſtat experientiâ. Secundam probat ex Commentatore dicente: Imaginatio eſt nobis libera; exiſtimatio autem non eſt voluntaria; non enim pendet à voluntate, ſed ab objecto, quòd ſit vera, vel falſa. Addit Themiſtium, Philoponum, Simplicium, immo S. Thomam 1. 2. *qu.* 13. *art.* 6. *ad* 3. negantem, electionem alterius ex duobus æquè moventibus, niſi in alterutro conſideretur aliquid in quo emineat; ſi autem S. Doctor hoc negat voluntati, quanto magis intellectui æquilibri, aut minùs probabili, negabit libertatem ſpecificationis in opinando? quia intellectus ab objecto, & motivis magis determinatur, quàm voluntas. Rurſus addit ex S. Thom. 2. 2. *qu.* 1. *art.* 4. *ad* 2. quòd ea, quæ ſubſunt fidei, ſub ratione credibilis ſunt viſa credenti; non enim crederet, niſi videret eſſe credendum: ſed quæ ſunt viſa, neceſſitant ad ſpecificationem; ergo, ut movent intellectum ad credendum aut non credendum, quoad ſpecificationem; non autem quoad exercitium, neceſſitant intellectum; qui enim videt eſſe credendum, quomodo liber eſt ſecundùm ſpecificationem ad non credendum? Demum citat Maiorem *in* 4. *qu.* 2. Prol. Richardum de Mediâ Villâ *in* 2. *diſt.* 38. *art.* 2. *qu.* 4. dicentem: Intellectus reſpectu ſui judicij, aut habet rationem neceſſariam, aut probabilem, aut non plus habet de probabilitate pro unâ parte, quàm pro aliâ: ſi primo modo, neceſſariò aſſentitur; ſi ſecundo, de neceſſitate opinatur hoc eſſe eligendum; ſi tertiò, de neceſſitate non plus opinatur unam partem, quàm aliam: Henricum *quodlib.* 14. *qu.* 8. Conradum de contractibus *qu.* 10. Corduban *lib.* 2. Quæſtionarij *qu.* 3. Holcot in 1. *qu.* 1. C. Toletum in Sum. *cap.* 20. P. Comitolum *lib.* 5. in Reſponſis moralibus *qu.* 16. *n.* 2.

Them. Philop. Simplic. S. Th. Maior. Richar. Henric. Conrad. Cordu. C. Tole. P Com. Philal.

N. 247. Secundò probat Philal. *pag.* 23. quia quod in agendo pendet tantùm à movente neceſſario, neceſſariò agit: ſed in aſſenſu, vel diſſenſu opinativo, ut ſit verus, aut falſus, intellectus pendet tantùm à movente neceſſario, ſeu ab objecto, cui ut ſit verus debet conformari, ut ſit falſus, difformari: ergo in aſſenſu, vel diſſenſu opinativo, ut ſit verus, vel falſus, intellectus neceſſariò agit: ergo ſicut imaginari eſt liberum, quia pendet ab arbitrio; ita opinari non eſt liberum, quia pendet totaliter ab objecto. Confirmat 1. quia neceſſe eſt, ut intellectus per opinionem dicat verum, aut falſum; ſed ut dicat verum, vel falſum, non eſt liber; ergo in opinando non eſt liber. Maior eſt certa; quia omnis opinio eſt vera, vel falſa. Minorem probat; quia intellectus, ut dicat verum, vel falſum, habet cauſam neceſſariam, nempe eſſe, aut non eſſe rei, ſeu objecti; nam ideò tantùm opinio eſt vera, aut falſa, quia res eſt, aut non eſt: ergo non eſt liber.

Confir-

Confirmat 2. quia si volo imaginari verum, ex. gr. Socratem, non habeo ullam libertatem imaginandi ut volo, sed ut est: ergo cùm opinor, cùm semper intendam opinari verum, non sum liber opinari ut volo.

N. 248. Tertiò probat; quia opinari est adhærere uni parti contradictionis cum formidine oppositæ; sed hoc non est liberum quoad specificationem; ergo. Minor probatur; quia assensus intellectus quoad specificationem causatur tantùm à motivis, seu argumentis rei, cui conformari debet; sed hæc causant independenter à libertate; ergo &c. Confirmat 1. quia quilibet opinatur, ut res intellectui ipsius videtur vera, vel falsa; sed videri veram, vel falsam non pendet à nostrâ libertate, sed à motivis, quæ movent independenter à libertate; ergo &c. Confirmat 2. Ut enim stateræ non est liberum inclinare in hanc præ illa parte, sed à solo pondere necessariò inclinatur; ita intellectus à solis motivis, vel authoritate, cùm sit ad modum Judicis, cujus judicium nullo modo pendet à libertate, ut sit justum, sed tantùm à motivis. Confirmat 3. quia judicium intellectûs præcedit voluntatis imperium, nam dirigit voluntatem, & omnis actus prudentiæ præcedit voluntatis imperium, ergo ei non subordinatur.

N. 249. Quartò probat argumento, quo plerique utuntur; quia motiva probabilia, vel æquè movent intellectum in utramque partem contradictionis, vel non æquè, sed magis in unam, quàm in aliam? Si primum, intellectus à neutris movetur sufficienter ad opinandum, quia non habet motiva sufficientia, ut judicet verâ magis unam præ aliâ parte; si enim pro libito voluntatis judicet veram hanc præ illa, (utramque enim contradictoriam non potest judicare veram) non putat se verum dicere, & tunc non opinatur, sed fingit; si ergo vult verum dicere, & conformare suum judicium objecto, tunc necessariò dubitat. Si secundum, tunc non potest judicare veram alteram, quia intellectus non minùs necessariò, & independenter à libertate movetur in maximâ inclinatione, quæ est totalis, & absoluta, qualis est scientiæ, quàm moveatur in minori inclinatione, qualis est opinionis; quia causa movens est pondus rationis, vel authoritatis, quæ non minùs necessariò independenter à voluntate movet ad assensum minus firmum, quia minùs movet, quàm quæ maximè ad assensum firmissimum; ergo si in hoc non potest inclinari in contrarium, neque in illâ:

N. 250. ergo non est liberum opinari.

Confirmat 1. paritate stateræ, quæ necessariò movetur tàm à maiori, quàm à minori ponderum inclinatione; à maiori ad maiorem; à minori ad minorem: si autem intellectus in judicando inclinaretur à voluntate, fingeret, non opinaretur; sicut si statera parumper moveretur à manu, non ponderaret res, ut sunt. Confirmat 2. paritate pictoris; N. 251. nam intellectus in intelligendo est veluti pictor; ut enim pictor aliquando fingit, & tunc nec verum, nec falsum dicit, quia fingit ut libet; aliquando exprimit, seu, ut vulgo dicitur, *retrahit*, & tunc exemplar semper dicetur verum, vel falsum, juxta prototypum, cui conformatur, aut difformatur; & in hoc secundo casu non est liber, sed debet sequi prototypum; quòd si non sequatur, fingit: ita intellectus in judicando de re per scientiam, aut opinionem, est pictor in retrahendo, quia exprimit enuntiando, quod est in re, & non ad libitum, & dicit semper verum, si conformetur rei, vel falsum, si difformetur; ergo non est liber, sed debet N. omnino sequi rem. Confirmat 3. Intellectus 252. sequens in componendo motivum voluntatis, non objecti, non judicat, sed fingit; sed quoties sequitur debiliorem partem movantem, omissâ solidiori, sequitur motivum voluntatis, non objecti; ergo non judicat, sed fingit. Maior patet: minor probatur; quia quoties res in contrarias partes movetur, in eam simpliciter movetur, in quam impellit fortius motivum: ergo si intellectus movetur in motivum debilius, non sequitur motionem motivi, sed voluntatis; ergo fingit ad libitum, non judicat.

Quintò probat: quia si liberum est opinari, maximè quando motiva contraria sunt N. 253. æquè probabilia, sed tunc non est liberum Philal. opinari; tùm quia quoties utrumque est æquale, & alterutrum eligitur, non dicimus ex opinione, sed ad sortem eligere alterutrum; ut patet exemplo duplicis paleæ exteriùs æqualis è digitis educendæ; tùm quia siquis in bivio stans roget de viâ, quâ sibi eundum est, & à duplici æqualis authoritatis viro audiat oppositum, ridiculum est dicere, hunc posse ex hoc præcisè opinari, vel credere uni plùs, quàm alteri, nam non potest, nisi dubitare; ergo &c. Confirmat: quia N. si liberum esset opinari, posset quis in dubio 254 sine aliâ ratione tollente dubium opinari, & sequi in praxi, quod libuerit; consequens est contra omnes TT. apud P. Sanch. *lib.* 1. P. Sanch. *Sum. cap.* 10. ergo, &c. Minor probatur: quia quoties utraque contradictoria est probabilis, liberum per nos est sequi utramque; sed hoc est in dubio opinari quodlibet sine ullâ ratione tollente dubium; ergo &c.

Minor

N. 255. Minor probatur; quia duæ rationes moventes in oppositum, non plus movent, quàm si nulla moveret, ut patet in duplici æquè movente idem pondus in contrarium: ergo tam est opinari tunc unam partem, ut libet, in dubio sine ullâ ratione tollente dubium, quàm in eo dubio, in quo nulla est ratio. Hinc constat multò minùs esse liberum opinari partem, quæ minùs movet, nam hęc non movet præsente fortiori, ut patet in duplici agente, quorum debilius non trahit, fortiori trahente.

N. 256. Sextò probat; quia si liberum esset opinari, possemus licitè dicere bonum malum, & malum bonum, quia malum est, quod non est ex fide; sed quod non est ex fide, possem per voluntatem licitè facere, ut esset de fide, quia illud non est ex fide, quod omnibus pensatis non facit fidem sui, quòd sit bonum, sed hoc per voluntatem facere possem licitè, ut esset de fide; ergo &c. Maior probatur: Ut enim ille homo non dicitur fidelis, seu talis, qui mereatur fidem, qui habet potiùs argumenta probantia eum esse infidelem, quam fidelem; ita illud objectum non est tale, quòd mereatur fidem, quòd habet potiùs motiva facientia fidem, quòd sit malum, quàm quòd sit bonum. Minor N. 257. probatur: Illud, quod est minùs probabile esse bonum, & est magis probabile esse malum, habet plura argumenta facientia fidem, quòd sit malum, quam bonum: sed tale objectum opinari possem, quòd esset bonum, adeoque dicere, quòd esset ex fide; ergo &c. Idem valet de æquè probabili, quòd sit malum, ac quòd sit bonum; ergo numquàm liberum est opinari. Confirmat 1. quia vel intellectus pensatâ omni ratione, & authoritate assentitur alterutri parti, vel neutri, vel utrique? Si primum; ergo non potest assentiri oppositæ, quia judicaret etiam veram oppositam, implicat autem judicare utramque veram. Si secundum, tunc non opinatur, sed dubitat; qui enim nulli parti assentitur, dubitat. Si tertium, contra est; quia non potest judicare veram utram- N. 258. que partem. Confirmat 2. quia opinans minus probabile sequitur magis falsum, quàm verum.

Septimò probat, quia sicut utraque pars contradictionis non potest esse vera per diversa media, ita nec utrique per diversa media assentiri. Hinc concludit *pag.* 36. cur imaginari possumus, quando volumus, non Philal. autem opinari, quando volumus, ut dixit Aristot. Aristoteles; quia imaginari, (ait Candidus) N. est fingere pro libito voluntatis; opinari au- 259. tem est examinare, & sequi momenta rationis, à quibus intellectus determinatur ad hanc, aut illam opinionem, ita ut non sit in mœa voluntatis arbitrio.

§. III.

Solvuntur argumenta Candidi Philaleti negantis intellectui libertatem opinandi.

SUMMARIUM.

Omnia ab eo solvenda, n. 260.

Paritas Fidelis, qui stantibus fidei motivis, potest dissentiri articulo vero, immò assentiri falso, convincit oppositum, n. 261.

Quid libertas exercitij, quid specificationis? n. 263.

Intellectus non potest simul, potest tamen divisim, assentiri æquè, immò minùs probabili, n. 264.

Aristot. unicè vult, quòd ut quis imaginetur, non egeat motivo, egeat ut opinetur, n. 265.

Verum, & falsum formaliter non pendet à voluntate, pendet efficienter, n. 266.

S. Thom. negat tantùm libertatem prælegendi, *quando motiva sunt æquè bona; & unicè negat, quòd Fidelis sit liber in ordine ad judicium credibilitatis, & credenditatis, & acutè locutus est*, n. 267. 268.

Exponitur libertas fidei, n. 269.

Defenditur Scotus, n. 270.

Veritas formalis non pendet ab intellectu, sed à solo objecto; opinari autem efficienter hunc præ eo actu, pendet ab intellectu, ut subjecto voluntati: Explicatur, n. 171. 172.

Intellectus etiam dum opinatur falsum, elicit actum sub ratione veri, n. 273.

Expono axioma, Nemo intendens ad malum operatur, ibid.

Ut sententia Judicis sit formaliter justa, non pendet à libertate, pendet tamen electio sententiæ favorabilis, præ non favorabili, n. 275.

Cur intellectus opinando hoc præ illo, nec fingat, nec dubitet, n. 276.

Intellectus non necessitatur à probabiliori, num. 277.

Paritas stateræ nobis favet, n. 278.

Intellectus tendit semper sub ratione veri, n. 279.

Exemplum palearum, & bivij, non est ad rem, n. 280.

Opinans non est dubius, 281.

Paritas duplicis agentis, & ponderis, stat pro nobis, n. 282.

Potest voluntas præsente gravi ratione facere, ut, quod non erat, sit ex bonâ fide, n. 283.

Exemplum hominis æquè fidelis, ac infidelis non est ad rem, n. 284.

Fateor, quòd opinans minùs probabile, sequatur, quod apparet minùs verum, n. 286.

Licèt duo contradictoria non possint esse in re vera,

vera, poßunt tamen ambo eße probabiliter vera, n. 287.

Hoc ipßum ſæpe docet Candidus, ibid.

Licèt intellectus non ſit liber opinari aliter, ac objectum ſibi proponitur, liber tamen eſt opinari hoc, vel illud: quomodo, n. 288.

N. 260. Philal. NOta 1. nullum omnino formari à Candido Philal. ſeu à P. Andrea Blanco argumentum, quod ab ipſo ſolvendum non ſit, nam præter contradictoria, quæ §. 2. ex eo retuli, eo ipſo quòd *pag.* 131. docet, licere utramque ex æquè probabilibus ſequi, ſi utraque ſit tuta, eo ipſo concedit intellectui libertatem ſpecificationis opinandi partem, quam voluntas ex æquè probabilibus æquè tutis maluerit; poteſt enim tunc aſſentiri huic, & diſſentiri alteri; & econtra aſſentiri alteri, & diſſentiri huic, quæ eſt libertas ad aſſenſum, & diſſenſum, ſeu ſpecificationis, cùm ſit ad extrema ſpecie diverſa. Secundò ſolvenda ab eo ſunt, eò quòd *pag.* 132. velit in illis, quæ ad mores non pertinent, utramque contrariam nos ſequi poſſe: ergo tunc intellectus habet libertatem phyſicam ad aſſenſum, & diſſenſum. Tertio, omne argumentum inſtatur paritate actus fidei, (de quo infrà) Fidelis enim ſtantibus motivis probabilioribus pro veritate noſtræ fidei, non tantùm eſt liber credere, & non credere, quod Fides Catholica proponit, ſed etiam eſt liber credere oppoſitum, ex. gr. quod Calvinus proponit. Ex quâ paritate duo evidentia

N. 261. colliguntur: primum, quòd ſi datur libertas ſpecificationis tam ad credendum, quòd noſtra fides proponit, quàm ad credendum quod Calvinus proponit, eo ipſo eſt evidenter falſum, quòd ſtante motivo probabiliori intellectus non ſit liber quoad ſpecificationem, nam in caſu allato intellectus eſt liber tàm ad affirmandum, ut vult fides, quàm ad diſſentiendum eidem articulo, ut vult Calvinus. Secundum eſt, quòd ſi ſtantibus motivis moraliter certis pro veritate noſtræ fi-

N. 262. dei, & motivis, quæ vix aliquam apparentiam veri habent pro ſectâ Calvini, intellectus eſt liber non tantùm credere, & non credere in ſenſu diviſo articulum Catholicum, quæ eſt libertas quoad exercitium, ſeu ad contradictoria, ſed etiam eſt liber aſſentiri, aut diſſentiri articulo Catholico, quæ eſt libertas quoad ſpecificationem; multò magis intellectus erit liber libertate non tantùm exercitij, ſed etiam ſpecificationis opinari, putà non tantùm aſſentiendo, aut non aſſentiendo, diſſentiendo, aut non diſſentiendo, quæ eſt libertas exercitij, ſed etiam aſſentiendo, vel diſſentiendo objecto minùs probabili in præſentiâ objecti probabilioris: ſi enim certitudo moralis motivorum, quibus Fides Catholica fulcitur, neutram libertatem ab intellectu tollit, ſed liber manet tam aſſentiri, quàm diſſentiri articulo Catholico, quinimmò liber eſt aſſentiri articulo Catholico, aut aſſentiri articulo Calvini, etſi habenti ad ſummum abſolutam tenuiſſimam probabilitatem, ſeu non conſideratis noſtræ fidei motivis; nullam autem relativam, ſeu comparando motiva pro articulo Calvini cum motivis noſtræ fidei; quantò magis erit liber opinari, vel non opinari probabilius; immò opinari minùs probabile ſtâte motivo probabiliori? Ruit itaque tota Philaleti machina. N. 263. Philal.

Nota 2. quòd cùm dicimus intellectum utramque ex æquè, immò ex non æquè probabilibus poſſe opinari, intelligendum eſt poſſe diviſim, ut toties dixi; non enim intellectus poteſt aſſentiri ſimul, & diſſentiri, eſtò ſimul poſſit aſſẽtiri, vel diſſẽtiri: ut enim repugnat in intellectu ſimultas ad componendum aſſenſum ſimul cum diſſenſu; ita non repugnat ſimultas ad ſe componendum, vel cum aſſenſu, vel cum diſſenſu diviſim; eo modo, quo in voluntate repugnat ſimultas ad componendum amorem cum odio; non autem ſimultas ad componendum ſe, vel cum amore, vel cum odio. N. 264.

Nota 3. aliqua Philaleti argumenta probare non eſſe licitum ſequi minus, vel æquè probabilem; hæc autem in præſenti ab illo trahenda non eſſent, cùm totus ſermo ſit, an intellectus ſit liber phyſicè opinari minùs, aut æquè probabile; quidquid ſit, an hoc licitè poſſit; plura enim libera ſunt, quæ licita non ſunt: ergo in præſenti deberet tantùm loqui de eo, quòd intellectus phyſicè poteſt, quidquid ſit de eo, quòd moraliter, ſeu licitè poteſt.

Ad 1. argumentum dico, quòd ſiquid ex textu Ariſtotelis ſuadetur, ſuadetur intellectum, ne quidem eſſe liberum libertate exercitij ad opinandum, nam abſolutè ait, *Opinari non eſt in nobis*: ergo ſicut Candidus ſtante abſolutâ Ariſtotelis ſententiâ vult, Ariſtotelem negare tantùm libertatem ſpecificationis intellectui, non autem exercitij; ita ego infero Ariſtotelem non negare intellectui libertatem ſpecificationis, & exercitij, ſed unicè negare, quod concedit phantaſiæ; concedit autem phantaſiæ, quòd ut fingat, & imaginetur, nullum requirat motivum movens ad imaginationem, cùm ipſum motivum à me fingi poſſit. Econtra ut intellectus opinetur, debet præhabere motivum, nec hoc fingere poteſt; ſtante autem motivo, N. 265. Ariſtot. Philal.

uno

uno alliciente ad assensum, alio ad non assensum, (idem dic de dissensu, & non dissensu) intellectus est liber libertate exercitij, seu contradictionis, assentiri, vel non assentiri; dissentiri, vel non dissentiri: & stante motivo, uno alliciente ad assensum, alio ad dissensum, intellectus est liber libertate specificationis, seu contrarietatis, assentiri, vel dissentiri eidem objecto. Ad probationem fateor verum, & falsum *formaliter* non pendere à nostra libertate; at verum, & falsum *efficienter* pendet a nostrâ libertate. N. 266. Fateor 2. rem uno tantùm modo se habere à parte rei, vel enim est, vel non est. Fateor 3. rem ita esse, aut ita non esse à parte rei, non pendere à nostrâ libertate; nego tamen, quòd opinari per assensum, aut dissensum nō sit in meâ manu; similiter nego, quòd opinari sit tantùm liberum nobis libertate exercitij: ego enim non video cur Philaletus concedat intellectui, stante motivo probabili pro assensu, & non assensu, libertatem exercitij, seu assentiendi, aut non assentiendi; stante autem motivo probabili pro assensu, & dissensu, non concedat intellectui libertatem specificationis, seu assentiendi, vel dissentiendi.

N. 267. S. Tho. Ad 1. S. Thomæ textum, dico negare tantùm voluntati libertatem *præeligendi*, quoties versatur inter motiva oppositа æqualia, quod verum est; si enim unum non præeminet objective alteri, nec datur prælectio objectiva, non autem negat electionem voluntati versanti inter motiva æqualia. Ad 2. N. 268. textum dico D. Thomam acutissimè dixisse, credentem videre esse credendum, quod certissimum mihi est; libertas igitur specificationis, quam S. Thom. negat inesse credenti, est in ordine ad *judicandum*, an sit credendum, non autem in ordine ad credendum; quia aliud est, quòd Fidelis non sit liber, quoad specificationem, in ordine ad judicandum, quòd sit credendum, quod mihi certum est, imò nec est liber quoad exercitium in ordine ad judicium credenditatis; est enim Fideli evidens, quòd teneatur credere; nec potest suspendere illud judicium credenditatis, seu judicium evidens de credendi obligatione: aliud est, quòd non sit liber libertate specificationis in ordine ad assensum fidei, aut dissensum contra fidem, quod mihi est omnino falsum; quia licèt Fideli sit evidens, quòd teneatur credere, potest tamen tam credere, quàm non credere articulum Catholicum, quæ est libertas N. 269. exercitij; immò potest tam credere articulum Catholicum, quàm credere articulum Calvini, quæ est libertas specificationis: quomodò evidens est mihi obligatio colendi Deum, attamen Dei cultus, & amor est mihi liber, tam quoad exercitium, quatenus possum amare, & non amare; quàm quoad specificationem, quatenus possum amare, & offendere (quod absit) Deum summum bonum. Hinc acutissimè dixit Angelicus, quòd nostri articuli sub ratione credibilis sint visi, quatenus evidens esse credibiles; atque adeo de credenditate, & credibilitate talis articuli ne quidem datur libertas quoad exercitium; etsi detur libertas tam exercitij, quàm specificationis de eodem articulo, quatenus stante evidenti credibilitate de veritate articuli fidei, potest intellectus ei articulo assentiri, vel non assentiri; immò dissentiri illi, & assentiri opposito. Ita docui cum ferè omnibus in *tract. de Fide*. Ad alios Doctores dico ijsdem longè plures opponi posse; immò plures ex illis stant pro nostrâ sententiâ; si enim verba Richardi strictè sumantur, sunt contra Candidum; quia si, ut ait Richar- Richar. dus, intellectus habens rationem probabilem pro unâ tantùm parte necessitatur ad opinandum, tunc ne quidem liber erit ad exercitium.

Adverto autem quòd, licèt Herinx *tom.* N. 3. *d.* 7. de Fide *n.* 12. & alij Scotistæ commu- 270. niter doceant cum Scoto, Fidem non esse li- Herinx. beram libertate specificationis, stante evidentiâ credibilitatis ad oppositum, ex. gr. Calvinistam non esse liberum ad credendum articulum suum, stante evidentiâ credibilitatis pro non articulo Calvini, seu pro articulo opposito; revera tamen non negant libertatem specificationis: nam Scotus in 3. Scotus. *dist.* 25. *qu.* 1. *n.* 13. ait: Actus credendi dependet ex duobus, scilicet habitu inclinante, & credibili præsentato; non quomodocumque, sed præsentato tamquam credibile; & sic communiter non præsentatur nisi per doctrinam, & adhuc si sic præsentatur, non necessariò credit intellectus, ut sic credere præcedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat, ita ut cogat intellectum ad assentiendum, ideò non credit nisi volens. Quamvis autem voluntas sic habeat imperium super actum credendi, non tamen habeat imperium super oppositum actum, stante fide, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis; sed solùm potest impedire intellectum, ne exeat in actum suum credendi elicitum circa credibilia proposita. Hæc Scotus; in cujus verbis 1. tradit, quòd stante evidentiâ credibilitatis non detur evidentia rei creditæ, ut infrà contra Elizalde: 2. docet, quòd P. Eliz. stante eâ evidentiâ credibilitatis, possit intellectus credere, aut non credere ex imperio

perio voluntatis rem propositam, seu docet fidem esse liberam libertate exercitij, aut contradictionis, quod idem est: 3. docet, quod intellectus non possit ex imperio voluntatis credere oppositum, *stante fide*, id est, quòd intellectus credens articulum A, non possit credere articulum B oppositum, quod certum prorsus est; nec nos, dum damus libertatem contrarietatis, concedimus, quòd intellectus possit credere ambo contraria simul. 4. Scotus unicè negat, quòd intellectus possit credere unum oppositum stante fide alterius oppositi: rursus negat, quod possit credere oppositum, quando caret motivis oppositis pro eo credendo; non autem negat, quòd si proponantur motiva, tum pro nostro articulo, tum pro articulo Calvini, quòd possit non tantùm credere, & non credere nostrum, quæ est libertas contradictionis, sed etiam credere nostrum, aut credere scorsim oppositum, quæ est libertas specificationis; immò utramque libertatem concedit.

N. 271. Ad 2. argumentum dico primò, eo probari, quòd intellectus nullatenus sit liber opinari, aut non opinari; & non tantùm probat, quòd non sit liber opinari hoc, vel illo modo; cùm tamen Candidus concedat intellectui libertatem opinandi, & non opinandi, seu exercitij. Deinde concedo totum syllogismum, quo unicè probatur, non esse in potestate intellectus facere, ut assensus sit verus, aut falsus, quod verum est; nam esse talem, pendet ab objecto, cui conformatur, aut difformatur; non autem probat, ut probare deberet, non esse in potestate intellectûs facere, seu ponere assensum, præ non assensu, aut dissensu. Quando ergo dicitur, quòd opinari non sit nobis liberum, quia totaliter pendet ab objecto, intelligi debet, quòd opinari faciendo ut actus sit verus formaliter, non pendeat ab intellectu, sed à solo objecto, quod verum est; opinari autem elicitivè hunc, aut illum actum, ex. gr. assensum præ dissensu, pendet ab intellectu, ut subjicitur voluntati. Breviter, aliud est, quòd veritas, & falsitas assensûs, vel dissensûs opinativi non pendeat, nisi ab objecto, seu à conformitate, vel difformitate objecti, quod verum est; aliud est, quòd ut assensum verum præ dissensu falso, aut dissensum falsum præ assensu vero, intellectus eliciat, non pendeat nisi ab objecto, quod falsum est; nam elicitivè est ab intellectu ex imperio voluntatis: hoc autem instatur in libertate contradictionis ad assensum præ non assensu probabili, quam Candidus concedit intellectui; nam quòd assensus sit verus, vel falsus, pendet à solo objecto; quòd autem existat talis assensus, pendet elicitivè ab intellectu, imperativè à voluntate.

Ad 1. confirm. dico, eâ tantùm probari, quòd veritas, & falsitas formalis actus intellectus non sit libera intellectui; non autem probat, quòd eadem elicitivè, & imperativè non pendeat ab intellectu libero: quomodò me esse formaliter hominem non pẽdet à Deo, sed à solâ meâ essentiâ; attamen mea essentia formalis, ut existat, pendet à Deo. Quare omnia argumenta nituntur æquivoco; transeunt enim à veritate, vel falsitate formali actus, quæ unicè pendet ab objecto, ad causam efficientem ejusdem actus veri, vel falsi, quæ est intellectus liber. N. 272.

Ad 2. confirm. fateor intellectum intendere semper opinari verum; quod adeo verum est, ut ipsum actum opinionis falsum eliciat sub ratione veri, seu verosimilis: cùm ergo assensus, & dissensus appareant ambo verosimiles, ideò potest utrumque divisim, ut libuerit, opinari. Sicut enim axioma est, Nemo intendens ad malum operatur; id est, nemo potest velle malum, ut malum, sed tantùm malum sub ratione boni, quod latè exponit Godoy *tom. 1. in 1.2. d. 19. n. 21. & d.* M God. *25. n. 64. & d. 26. à n. 14.* ita à pari intellectus non potest assentiri falso ut falso, sed assentitur falso sub apparentiâ veri. N. 273.

Ad 3. argum. nego minorem; ad probationem distinguo antecedens: assensus intellectus quoad specificationem veri, aut falsi formalem est tantùm ab objecto, concedo; eadem species actus veri, aut falsi non est efficienter ab intellectu, nego. N. 274.

Ad 1. confirm. patet ex dictis ad 2. argumentum.

Ad 2. confirm. dico, quòd sicut existentia sententiæ favorabilis præ non favorabili pendet à libertate Judicis, licèt ut ea sit justa formaliter, aut injusta, non pendet à libertate Judicis; ita existentia assensus veri præ dissensu falso pendet ab intellectu ut libero, posito inter motiva probabilia; licèt assensus, vel dissensus in ratione veri non pendeant ab intellectu ut libero, cùm intellectus necessariò in quemlibet actum tendat sub ratione veri. Paritas stateræ infrà librabitur. N. 275.

Ad 4. argum. dico motiva probabilia movere æquè intellectum ad utramque partem contradictionis. Ex hoc autem, quòd intellectus tunc non habeat motivum ad judicandam veram *magis* unam partem præ aliâ, immo repugnet, si motiva utriusque partis sint æqualia, non ideò infertur intellectum à neutro motivo sufficienter moveri ad opinandum; N. 276.

Phlal.

nándum; nam à quòlibet motivo sufficienter movetur, etsi à neutro necessitetur. Ad id quod additur, quòd si intellectus à voluntate determinatur ad judicandum veram hanc præ illâ parte, tunc intellectus non putat se verum dicere, nec opinatur, sed fingit; nego, tùm quòd intellectus tunc non dicat verum, nam dicit, & opinatur verum, & non fingit; tùm quòd tunc necessariò dubitet; nam non dubitat; implicat enim, ut dubitet, eo ipso quòd uni parti assentitur; quia dubium est suspensio omnis assensus. Ad alteram partem dilemmatis, quâ probat intellectum opinari non posse partem minùs probabilem, sed necessariò opinari magis probabilem, nego antecedens. Ad paritatem scientiæ est evidens instantia, & disparitas; instantia in actu, quo homo credit articulum falsum propositum ut minùs probabilem, & non credit articulum verum propositum ut magis probabilem; si enim intellectus necessariò assentiretur parti magis probabili, neque actus fidei, quo crederet articulum verum, esset liber; neque quis credere posset articulum falsum; quod utrumque est erroneum: ergo intellectus non assentitur necessariò parti magis probabili. Disparitas est, quia scientia ratione evidentiæ necessitat intellectum ad sui assensum; N. 277. cùm autem pars magis probabilis non sit evidenter vera, immò incertò vera, & sæpe falsa, ideò intellectus non necessitatur ad assensum partis magis probabilis. Confirmo: quia certum est intellectum non necessitari nisi ab evidentiâ metaphysicâ, aut morali: ergo ratio probabilis non cogit intellectum ad assensum: ergo licèt intellectus habeat pro utrâque parte rationem probabilem, sive æquè, sive non æquè, erit illi liberum suspendere omnem actum circa utramque, ut patet perpetuâ experientiâ; nam dum Theologus, aut Philosophus examinat utriusque opinionis contradictoriæ rationes, hæret anceps suspendendo judicium circa utramque: ergo intellectus à neutrâ ratione, sive æquè, sive non æquè, sed magis probabili, non cogitur ad assensum.

N. 278. Ad 1. confirm. dico paritatem stateræ non tenere: aliàs sicut statera ex unâ tantùm parte onustâ inclinatur necessariò in illam; ita intellectus, propositâ unâ tantùm parte contradictionis cum exiguâ probabilitate, necessariò illi assentiretur: ergo paritas non tenet; & hanc infrà ex professo discutiemus. Ad aliud, quòd si intellectus inclinaretur à voluntate, fingeret, nego antecedens: & quæro, an quando intellectui una tantùm pars cum levi probabilitate proponitur, & à voluntate determinatur ad illam, intellectus fingat?

Ad 2. confirm. dico non evinci, nisi quòd N. intellectus non sit liber ad falsum cognitum 279. evidenter ut falsum; & in omne falsum tendat sub ratione veri, quod ultro damus; sive enim assentiat, sive dissentiat, assentit, & dissentit sub ratione veri, esto per unum ex illis dicat falsum.

Ad 3. confirm. dico intellectum, dum opinatur, sequi tùm motionem voluntatis, à quâ determinatur, tum objecti, à quo movetur, atquè adeò non fingit, cùm judicat.

Ad 5. argum. nego maiorem; vel eâ transmissâ, nego minorem; ad 1. probationem N. nego antecedens: exemplum palearum non 280. est ad rem, quia supponuntur similes quoad omnia, & æquales quoad apparentiam; econtra motiva assensûs, & dissensûs, licèt sint æqualia quoad vim motivam, non sunt tamen similia, immò opposita: ergo datur electio unius præ alio. Ad 2. probationem, & paritatem bivij, neque est ad rem, quia ut eam Romam, necessaria est vera via, non via apparens vera; ut autem licitè operer, non est necessaria veritas, ut dixi contra Jansenistas.

Ad confirm. nego antecedens, immò sup- N. positum; supponit enim, quòd opinans ma- 281. neat dubius, quod implicat, nam dubium est suspensio omnis actus circa tale objectum, eo autem ipso, quòd illi assentiar, aut dissentiar, eo ipso habeo actum, ergo non maneo dubius. Ad probationem concessâ maiori, nego minorem, immò suppositum. Ad hujus probationem nego antecedens: ut N. enim duo pondera æqualia ponderant, esto 282. neutrum præponderet; ita duo motiva æqualia movent, esto unum non moveat magis, quam aliud. Ad illationem nego, quòd pars, quæ minùs movet, non moveat præsente fortiori; immò eo ipso, quòd minùs moveat, eo ipso movet. Exemplum duplicis agentis est contra Candidum; si enim agens debilius non traheret, id est, non imprimeret impulsum in mobile agens, fortius non perciperet ullam resistentiam; sed percipit; ergo imprimit; etsi non trahat, quia tractio est victoria competens fortiori tantùm agenti.

Ad 6. argum. nego maiorem; ad proba- N. tionem concessâ maiori, nego minorem; vel 283. eam distinguo: posse per *solam* voluntatem nullâ præsente ratione gravi facere, ut quod non est ex fide, esset ex fide, nego minorem; præsente gravi ratione, concedo minorem, & nego consequêtiam. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo mi-

norem juxta datam distinctionem, & nego consequentiam. Ad paritatem dico, quòd si pro fidelitate hominis adsint argumenta gravia, licèt minoris ponderis, quàm pro ejus infidelitate, eum hominem dici posse minùs fidelem, non autem absolutè infidelem. Addo non esse ad rem, quia quòd ego putem, etsi probabiliùs, aliquem esse fidelem, non facit eum esse talem: quòd autem
N. 284. ego putem, sive probabiliùs, sive minùs probabiliter, objectum esse licitum, facit, ut sit formaliter licitum, licèt materialiter possit esse illicitum. Breviter, ire, vel non ire Romam, non pendet à meo judicio; peccatum autem, & non peccatum pendet à meo judicio.

Ad 1. confirm. dico, quòd intellectus, pensatâ omni ratione, & authoritate, non assentiretur utrique contradictorio, hoc enim repugnat; sed uni tantùm assentiretur, ita ut in sensu composito, quòd uni assentiatur, non poterit assentiri oppositio.

N. 285. Ad 2. confirm. dico opinantem minùs probabile sequi id, quod apparet minùs verum, adeoque magis falsum.

Ad 7. argum. concessâ primâ, nego secundam paritatis partem; immò retorqueo: Ut enim utrumque contradictorium potest esse verosimile, ita utrique potero divisim assentiri. Ad Aristotelem dixi jam in responsione *ad 1. argum.*

N. 286. Dices: Opinari est judicare rem esse veram cum formidine: sed utraque contradictoria non potest esse vera; ergo nec utraque judicari vera; ergo illa tantum, quæ videtur probabilior. Concedo maiorem, & distinguo minorem: utrumque contradictorium non potest esse verum absolutè, & in se, concedo; non potest utrumque apparere verum, nego; immò hoc ipsum tradit
Philal. Philaletus, dum docet simultatem probabilitatis, *qu. 3. per totam, & qu. 6. pag.* 126. ait enim: Aliud est judicare aliquid esse probabile, aliud judicare probabiliter aliquid. Primum est judicium de re ut apparet, seu de apparentia rei, quæ utroque modo potest se habere, nempe apparere esse, & apparere non esse; & sic utraque pars contradictionis judicari potest probabilis. Secundum est judicium de re, ut est in se; sicut autem hæc non nisi uno modo est in se, ita etiam judicium non nisi unum haberi potest; puta, vel hoc licet, vel hoc non licet. Hæc Philaletus,
N. 287. qui *qu. 7. pag.* 123. ait: Licèt res non possit nisi vel esse, vel non esse, atquè adeo una propositio debet esse vera, alia falsa; attamen potest ex diversis medijs simul apparere, quòd sit, & quòd non sit, adeoque utraque contradictoria potest esse probabilis, seu probabiliter vera; nam opinionem esse probabilem, (ait Philaletus) *non est nisi apparere veram ex non levi fundamento; potest autem utraque contradictoria ob diversa fundamenta apparere vera, adeoque ab intellectu judicari probabilis utraque; & pag.* 124. ait: *Res non potest nisi vel esse, vel non esse, licèt utroque modo possit apparere*; id est, simul apparere quod sit, & quod non sit: ecce igitur præter ea, quæ dixi *sect.* 1. §. 2. constat Candidum apertè fateri utramque contradictoriam posse simul apparere veram. Ad axioma, quod obtrudi potest, quòd ad pauca respicientes facilè pronuntient; & prout quisque affectus est, ita judicat: dico per primum inculcari diligentiam in examinandâ probabilitate, & veritate opinionum; per secundum tollendam omnem affectionem, nè intellectus ab eâ turbetur.

Instas: Intellectus non potest aliter opina- N.
ri, quàm ut movent objecta; ergo non est 288.
liber ad opinandum. Respondeo intellectum non esse liberum opinari, quòd sit probabilius id, quod non est probabilius; nec opinari quòd sit minùs probabile id, quod non est minùs probabile: rursus nec est liber opinari falsum sub ratione falsi; cum toto tamen hoc potest inter magis, & minùs probabile opinari, & opinari falsum sub ratione veri: datur ergo in intellectu potestas ad opinandum hoc, vel illud, prout est objectum; licèt non detur potestas opinandi aliter, ac repræsentatur objectum. Addo, quòd sicut Candidus *qu. 2. pag.* 44. concedit intellectui libertatem, ut applicet suam vim ad hoc, ut magis consideret rationes debiles præsentibus fortioribus pro opposito; ita est liber assentiri minùs probabili præsente probabiliori. Denique Philaletus est evidenter contra se ipsum, ut dicam *disp. sequenti*, ubi expressè tradit nostram sententiam, & ibi traho ejus formalia verba, necessario legenda.

Reliqua aliorum argumenta dabo post nostræ sententiæ explicationem.

SECTIO IV.

Sententia Philosophica affirmativa.

§. I.

Mea, & communis mens.

SUMMARIUM.

Intellectus in quæstione juris potest opinari æquè, immò minus probabile, stante opposito, n. 289.
Idem potest in quæstione facti, n. 290.
Idem, etsi oppositum appareat evidenter probabilius, n. 291.

DD. n. 292. 293.
S. Thom. ait, quòd si non apparent manifesta indicia de malitiâ proximâ, debemus eum ut bonum habere, n. 294.
Ait, quòd melius sit, ut quis frequenter fallatur, *habens* bonam *opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur, habens malam opinionem de bono homine*, n. 295.
Judicium minùs probabile juxta S. Thom. est ex se prudens; & probabilius, aliquando imprudens, & illicitum, n. 246.
P. Thyrsus ait, quòd si intellectus potest, physicè, voluntas potest sanctè imperare assensum objecto minùs probabili, n. 297.
S. Thom. in casu allato obligat ad assensum minùs probabilem, n. 298.
Solutio, quæ dari potest, infert assensum minùs probabilem esse prudentem, & probabiliorem, imprudentem, n. 299.
Error singularium, ait S. Thom. non nocet intellectui; quæ doctrina in nostri favorem urgetur, n. 300. 301.
Textus adductus ex S. Thom. probat licitum usum opinionis minùs probabilis per judicium directum, n. 302.
S. Thom. ait, esse in nostra potestate assentiri uni, vel alteri parti contradictionis, sicut accidit in omnibus probabilibus, n. 303.
Alij S. Thom. textus, ibid.
Reflexiones in dictos textus, n. 304.
S. Thom. admittit libertatem contrarietatis immediatam, n. 305.
Doctores, qui eam negant, ibid.
Rejicitur solutio Palanci, n. 306.
Si nostra sententia non est vera, intellectus ex voluntatis imperio numquam assentiri poterit, n. 307.
Sicut meritum unius non elidit meritum æquè digni, & potest quilibet eligi, ita in nostro casu, n. 308.
Cur minùs dignus eligi non possit, possit autem minùs probabilis? n. 309.
Probatur ex peccato infidelitatis, & judicij temerarij, n. 310.
Sicut contra alias virtutes peccari potest tùm negativè, tum positivè, ita contra fidem, vel negativè non credendo, quæ debeo, vel positivè credendo, quæ non debeo, n. 311.
Et sicut in illis est libertas contradictionis, & contrarietatis, ita in fide, n. 312.
Hæc divisio infidelitatis contradictionis, & contrarietatis, constat ex S. Thom. n. 313.
P. Eliz. etiam docet, quòd infidelitas, & hæresis contrarientur fidei, & consistant, vel in privatione fidei debitæ haberi, vel in errore contrario, n. 314.
Urgetur paritas, n. 315.
Nulla lex vetat, ne intellectus assentiatur minùs probabili, dummodò certò probabili, n. 316
Rationes, n. 318. 319. 320.
Paritas virtutis obedientiæ: S. P. Ignatius, & omnes Ascetici supponunt, intellectum flecti posse in minus probabile, n. 321.
Ejusdem consilium datum P. Laynez, ne tenaciter suæ opinioni, etsi probabiliori, adhæreat, sed utriusque opinionis rationes trahat, &c. n. 322.

PRima conclusio: Potest voluntas, stante æquali, immo inæquali probabilitate objectivâ utriusque partis, in quæstione juris determinare intellectum, ut assentiatur cuicumque parti, sive æquè, sive minùs probabili. N. 289.

Secunda: Idem omnino potest etiam in quæstione facti. N. 290.

Tertia: Idem etiam potest in omni quæstione, etsi fundamentum alterius partis sit evidenter maius; si minus, maneat certò grave. N. 291.

Primam conclusionem sustinent ferè omnes, nempe S. Thom. *lib.* 3. Ethic. *lectione* 18. ante medium, & 1.2. *qu.* 18. *art.* 6. & 2. 2. *qu.* 11. *art.* 4. & *qu.* 60. *art.* 4. C. Cajet. 1. 2. *qu.* 60. *art.* 4. M. Joan. à S. Thomâ 2. 2. *d.* 3. *art.* 1. P. Suar. 1. 2. *d.* 10. *sect.* 1. *n.* 5. P. Granado 2. 2. *tr.* 2. *d.* 3. *sect.* 3. P. Oviedo 1. 2. *tr.* 2. *contr.* 5. *pun.* 2. *n.* 31. & *tr.* 5. *contr.* 3. *pun.* 2. *n.* 18. P. Valen. *tom.* 3. *qu.* 12. *pun.* 5. qui ait: In nostro arbitrio positum est, ut relictâ unâ opinione, quam probabiliorem putamus, & cui adhæremus, possimus amplecti aliam, quæ judicio nostro sit minùs probabilis, idque sine ullâ novâ ratione. P. Gasp. Hurt. de Fide *d.* 4. *diffic.* 7. §. *ex dictis*, ubi asserit actum fidei, & opinionis pendere immediatè ab imperio voluntatis, non tantùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, quoties adest ratio sufficiens pro dissensu. Caramuel *lib.* 2. Theol. Mor. Fund. *n.* 1552. *pag. mihi* 541. ubi probat, liberum esse nobis opinari; quia probabilitas non necessitat intellectum ad partem A, ut non possit assentiri probabilitati partis B; immò subdit, quòd quis poterit duplici simul contradictoriæ probabiliter assentiri; quod tamen ego puto evidenter falsum. M. Mart. de Prado *tom.* 1. Theol. Mor. *cap.* 1. de Consc. *qu.* 3. *n.* 2. P. Teril. de Reg. mor. *qu.* 30. *n.* 3. qui ait, intellectum posse ex imperio voluntatis assentiri parti, quæ antecedenter est æquè, aut minùs probabilis; ubi solvit argumenta P. Eliz. *qu.* 1. 2. & 3. in Appendice, dicentis, æque aut minùs probabilia non esse opinabilia. P. Card. *tom.* 1. *d.* 6. *cap.* 6. *n.* 80. & *d.* 15. *cap.* 4. *num.* 270. & *a n.* 302. dicens *n.* 305. S. Th. C. Caje. M. Joan. à S. Th. P. Suar. P. Gran. P. Ovie. P. Val. P. Gasp. Hurt. Caram. M Mar. P. Teril. N. 292. P Card.

*n.*305.esse tam certam, immò magis certam, quàm quòd detur judicium temerarium. P. Ripa. P. Ripald. *d.* 6. de Fide *sect.* 6. *n.* 61. & 62. C. de Lugo, de Lugo *d.* 10.de Fide *sect.* 1. *n.* 11. & *d.*32. P. Mey. de Just. *sect.*10. *n.* 118. P.Moya *tom.* 2. *qu.*7. *n.* 30. & 37. dicens hoc supponere omnes P.Card. Theologos, ut indubitatum; & P. Carden. *d.*6.*n.*80. ait esse communem Doctorum; & P. Fab. P. Faber *Dialogo* 2.ait esse perspicuam; & P. Esp. Esparza in Appendice *art.* 105. & 158. ait, stare communem plurimorum, & optimorum hujus sæculi Authorum consensum, & hoc adeò certum esse, ut non nisi protervè P. Ter. controverti possit;P.Teril.*q.*7.8.9.de Consc. & *qu.*2. *à n.* 75. de Reg. mor. Possunt etiam citari pro hâc conclusione ferè omnes,qui licitum usum opinionis minùs probabilis tuentur. Lege passim DD.in Tr.de Fide, Charitate, Pœnitentiâ, Actibus humanis, & in Logicâ, & Animasticâ; quare nescio quo P. Eliz. jure P. Eliz. *lib.* 2. *qu.* 7. dixerit, suam sententiam esse omnium è Societate, præter P. Valentiam, nam evidenter fallitur, (ait P. Moya *tom.* 2. *qu.* 7. §. 3.) quia opinio affirmans posse intellectum assentiri parti æquè, aut minùs probabili, est communis ferè omnium è Societate; eamque, ut dixi, P. Faber vocat *perspicuam*, P. Esparza, *certam*, P. Moya *n.* 30. & 37. *esse indubitatam, & magis supponi a* TT. *quam disputari*; P. Card. *esse magis certam, quam quòd detur judicium temerarium.*

N. 293. P.Card. Secundam conclusionem tuentur omnes citati, excepto P. Card. *tom.*1.*d.*6. *cap.*6. & *d.*15.*cap.*4.*art.*6.*n.*270.& *art.*7. 8. 9. & *tom.* 3.*disp.*56.*n.*813. & 815. qui hoc tantùm admittit in quæstione juris, & negat in quæstione facti.

P. Esp. Tertiam tuentur omnes citati, excepto P. Esparza, qui negat, si fundamentum alterius partis sit indubitanter, & evidenter magis probabile.

Divisi eam doctrinam in tres conclusiones, quæ tamen ad unicam illimitatam reduci possunt, nempe posse intellectum in omni quæstione, tam juris, quàm facti, determinari à voluntate ad assensum partis minùs probabilis, omisso assensu partis indubitanter, & evidenter probabilioris; nam ita loquuntur sine ullâ limitatione citati Doctores.

N. 294. S. Th. Probatur 1. ex S. Thom. 2.2.*qu.*60. *art.* 4. ubi quærit utrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda. Respondet, quòd *dubia de malitia alterius semper sunt in meliorem partem interpretanda*; hanc autem rationem assignat; quia *hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de aliquo absque sufficienti causâ, injuriatur ei, & contemnit ipsum; nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causâ cogente. Et ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Rursus respondens primo argumento, quod erat, *Judicium magis habet esse de eo, quod accidit in* N. *pluribus: sed in pluribus accidit, quòd aliqui* 295. *malè agant, quia stultorum infinitus est numerus, ut Eccl.* 1. *Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentiâ suâ, ut Gen.* 8. *ergo dubia debemus magis interpretari in malum, quam in bonum.* Respondet ad 1. *Melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono homine, quia ex hoc sit injuria alicui, non ex illo.* Et ad 2.ait: *Ideo ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio,quòd hominem judicemus bonum,nisi manifesta ratio appareat in contrariũ.* Ecce S.Thom. expresè docet, quòd etsi habeamus gravia judicia pro judicando potiùs malo, quam bono aliquo homine, tenemur sequi judicium minùs pro bonitate, & judicare eum bonum:ergo ex S.Thom. non tantùm S. Th. intellectus potest physicè, sed etiam debet assentiri minùs verisimili judicando bonum eum hominem, etsi adsint graviora fundamenta pro judicando eo malo, dummodò ea fundamenta non sint manifesta, seu evidentia. Rogo, quid dicent Adversarij ad hunc textum, qui nõ tantùm negant intellectum posse prudenter, sed negant posse physicè assentiri minùs probabili? & tamen in casu allato, à præcepto naturali charitatis obligamur ad judicandum eum hominem positivè bonum, (non autem non malum) ut loquitur S. Thom. ergo sæpe obligamur ad judicium minùs probabile, & ad omittendum judicium magis probabile: ergo judicium minùs probabile est ex se prudens, & judicium magis probabile est sæpe imprudens.

Scio quòd P.Thyrsus *disp.*10. §.12.*n.*58. N. quærit, an quando est verisimilius simpliciter, & absolutè hominem esse malum, quàm 296. P.Thyr. innocentem, possit intellectus judicare eum innocentem, quia cùm tendat sub ratione veri, non videtur posse flecti à voluntate, ut judicet verum id, quod in actu primo appareat illi minùs verisimile? S. Thom. videtur satis clarè in *art. citato* docuisse partem affirmativam, nempe, quòd teneatur judicare eum innocentem; & P. Thyrsus respondet: *Sed quidquid sit, an physicè possit flecti ad sic ju-* N. *dicandum, certum est, quòd ex suppositione, quod* 297. *hoc sit possibile physicè, potest voluntas sanctè imperare*

perare assensum de innocentiâ, & non potest imperare assensum de commisso crimine, quamvis sit antecedenter aquè, vel magis verosimile. Sed contra 1. quia quomodo dicit, *quidquid sit*, cùm expressè S. Thomas affirmet, quod ego teneat formare bonam opinionem de proximo, etsi graviora indicia pro formanda malâ de eo opinione adsint? Ergo S. Thom. eo ipso affirmat intellectum posse physicè à voluntate flecti ad assentiendum fundamento minori pro proximi bonitate, & talem assensum esse honestum, & sanctè imperari, quia lex naturalis non obligat nisi ad honestum; & idem S. Thom. negat me posse licitè formare judicium de malitiâ proximi, etsi detur motivum probabilius pro malitia: ergo S. Thom. apertè supponit intellectum posse assentiri minùs probabili, & quidem honestè, & prudenter, immò ad eum assensum obligat; & simul negat, quòd omne judicium nixum motivo longè verisimiliori sit prudens: ergo prudentia non necessariò connectitur cum probabilioritate, nec imprudentia cum minori probabilitate. Contra 2. quia P. Thyrsus alibi sæpe docet, quòd etsi intellectus physicè possit ex imperio voluntatis assentiri minùs probabili, non tamen prudenter, hic autem expressè docet oppositum, ait enim: Certum est quòd si possibile est, ut intellectus physicè assentiatur, potest voluntas sanctè imperare assensum de innocentiâ, quæ est longè minus probabilis reatu; ergo si potest sanctè, potest prudenter.

N. 298.

Nec dicere potest P. Thyrsus, quòd quia proximus habet jus nè judicetur malus, nisi malitia sit certa, ideo intellectum tunc non posse judicare eum malum. Contra enim est; quia hoc ipsum probat nostrum intentum: si enim proximus habet jus, ne judicetur malus, quoties non adest ratio certa pro malitiâ, etsi dentur fundamenta longè graviora pro malitiâ, quàm pro bonitate; eo ipso sequitur, quòd intellectus non semper debeat assentiri fundamento graviori, stante oppositio minùs gravi; & quòd non omnis assensus nixus motivo longè probabiliori sit prudens: rursus sequitur non tantùm, quòd tunc non possim judicare eum malum, quin ex S. Thom. teneor judicare eum bonum, quia ait: *Ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quòd hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat.* Et subdit: (quod diligenter notandum.) *Ipsi autem homini judicanti, falsum judicium, quo benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectum ipsius, (sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium) sed magis pertinet ad bonum affectum.* Ecce ex S. Thom. illud judicium falsum non nocet intellectui, quia est ex bono affectu erga proximum: ergo quod toties dicit Palanco, & P. Eliz. quod error noceat intellectui, est omnino falsum: ergo ex S. Thomâ quoties adest causa bona, non est curandum de judicij falsitate; sed potest qui sequitur minùs probabilem, eam sequi ex optimo Divinæ bonitatis, suavitatis, & incomprehensi Paterni in nos amoris conceptu: ergo falsitas illius judicij non nocebit. Ut enim, quia proximus habet jus, nè judicetur malus, immò ut judicetur bonus, nisi sit evidens ejus malitia, judicium meum etsi falsum adhuc est sanctum, & prudens, & sanctè, & honestè imperatur; ita quia ego habeo jus meæ libertatis, potero sanctè sequi minùs probabilem, quoties stans pro lege non sit mihi certa. Hunc D. Thomæ textum dilatare mihi placuit, quia mirabiliter favet non tantùm opinioni Philosophicæ, quòd intellectus physicè possit, sed etiam opinioni Theologicæ, quòd licitè, & honestè possit assentiri minùs probabili motivo, stante oppositio probabiliori; imò hinc evincitur licitus usus opinionis minùs probabilis, & quòd falsitas ex licito affectu non nocet intellectui.

S. Th. N. 300. Palanc. P. Eliz. N. 301. N. 302.

Alter textus S. Thomæ est *ex* 3. Ethic. *lect.* 18. ante medium, ait enim: *Quia opinabilia* (legunt alij *operabilia*) *sunt contingentia, non cogitur ratio ad assentiendum huic, vel illi, sed in potestate habet homo, quòd assentiatur uni, vel alteri parti contradictionis, sicut accidit in omnibus probabilibus. Et* 1.2. *qu.* 17. *n.* 6. ait: *Sunt quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentiri, vel dissentiri, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam; & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostrâ, & sub imperio cadit. Et* 2.2. *qu.* 11. *art.* 4. *Alio modo intellectus assentit alicui, quia non sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam; & si hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Et qu.* 14. de Veritate *art.* 1. ait: *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinatè, & expressè, propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non ad movendum intellectum, utpote quòd videtur bonum, & conveniens uni parti assentire.* Hæc Angelicus, quo nil evidentius, & concludentius ad rem nostram; in his enim locis, & ex illis constat 1. S. Thomam loqui quoties utraque

N. 303. S. Th. N. 304.

pars, & utriusque motiva intellectui simul proponuntur; hoc enim manifestat tò, *non cogitur ratio ad assentiendum huic, vel illi, & potest huic, vel illi assentiri;* si enim potest huic, vel illi assentiri, utique utraque pars contradictionis, & utriusque motiva per apprehensionem simul proponuntur; nam particula disjunctiva supponit pluritatem simultaneam, & collectivam utriusque termini sub disjunctione affirmandi. Constat 2. determinationem ad assensum unius partis præ aliâ pendere à voluntate, nam S. Thom. ait, intellectum non cogi ex se, cùm non cogatur nisi ab evidentiâ, sed à voluntate; ait enim *assensum, vel dissensum pendere à nostrâ potestate, & imperio, & electione;* quæ omnia important liberum voluntatis actum. Constat 3. quòd voluntas possit determinare intellectum ad quamlibet partem; ergo etiam ad minùs probabilem; nam S. Thom. loquitur indefinitè; ait enim, *ut accidit in omnibus probabilibus;* ergo cùm minùs probabile sit probabile, poterit intellectus assentiri illi, etiam præsente magis probabili, nam potest ex S. Thom. assentiri huic, vel illi; ergo habet simultatem potentiæ assentiendi utrique divisim, seu alterutri. Constat 4. quòd dicere, quòd voluntas, stante æquali, vel inæquali probabilitate objectivâ, possit intellectum deter minare, ut assentiatur cuilibet parti, est idem omnino, ac dicere, quòd intellectus in omni probabili possit ex voluntatis imperio assentiri huic, vel illi: ergo Adversarij, qui nobis opponuntur, D. Thomæ opponuntur; & qui cum S. Thomâ loqui volunt, loqui debent nobiscum. His positis,

N. 305. S. Tho. Philal. Mercer Baro, Palanc P. Thyr. P. Eliz.

Ita arguo ex S. Thom. Si intellectus stantibus simul motivis æquè probabilibus non potest assentiri cuique parti, falsa est D. Thomæ propositio, *Potest homo assentiri huic, vel alteri parti contrrdictionis, quando apprehensa non convincunt intellectum*; (ubi utitur plurali adjectivo *apprehensa*) nam hæc propositio, *Quoties apprehensa non convincunt intellectum, potest homo assentiri, vel dissentiri,* (ecce libertas specificationis immediata, negata à Philaleto, Mercor. Baron. Palanc. P. Thyrs. P. Eliz. & asserta à S. Thomâ) *vel saltem assensum, vel dissensum suspendere;* opponitur huic, *Quoties apprehensa non convincunt intellectum, non potest homo assentiri, aut dissentiri:* sed hæc secunda est Adversariorum, prima est D. Thomæ: ergo si doctrina Adversariorum est vera, falsa est doctrina D. Thomæ; & si doctrina D. Thomæ est vera, ut sine dubio vera est, falsa est doctrina Adversariorum; nam duæ contrariæ, aut contradictoriæ non possunt simul esse veræ. Hoc idem argumentum convincit, quòd homo possit, stantibus inæqualibus motivis, assentiri minori, nam S. Thom. ait: *Potest homo in omni probabili assentiri huic, vel illi parti contradictionis:* ergo falsa est hæc propositio contraria: *Non potest homo, stante motivo magis probabili, assentiri minus probabili;* si enim non potest assentiri minùs probabili, non potest assentiri huic, vel illi parti contradictionis in omni probabili; sed tantùm potest assentiri huic, nempe parti magis probabili, parti autem minùs probabili non potest assentiri; sed ex S. Thom. potest assentiri huic, vel illi parti contradictionis in omni probabili; ergo potest assentiri minori.

Hinc evidenter rejicitur solutio, quam dat Palanco *qu. 26. n. 133.* textui citato ex S. Thom. *1. 2. qu. 17. art. 6. & ex qu. 14.* de Veritate; ait enim Palanco, esse in potestate voluntatis assentiri, aut dissentiri, cui voluerit, quia potest suspendere considerationem harum, vel illarum rationum; ex. gr. si vult assentiri affirmativæ, potest considerare ejus rationes, & non considerare rationes negativæ. Sed contra; quia S. Thom. vult, quod stantibus simul motivis possit voluntas eligere *assensum, vel dissensum*; non autem dicit, quod possit eligere considerare motiva assensus, vel considerare motiva dissensus; nec dicit, quòd voluntas possit eligere assensum, vel dissensum, non stantibus simul motivis; immò hoc implicat; certum enim est, me non posse dissentiri, si tantùm habeo motiva pro assensu; sicut etiam certum est me non posse assentiri, si tantùm habeo motiva pro dissensu: ergo dum S. Thomas concedit libertatem immediatam assentiendi, vel dissentiendi, eo ipso supponit simultatem utriusque motivi. Lege S. Thomam *1. 2. qu. 17. art. 6. c.* ubi examinans, an actus rationis imperetur, dicit id, quod nos. N. 306. Palanc.

Confirmo ex P. Moya *n. 30.* Si sententia contraria esset vera, numquam intellectus posset ex electione, & imperio voluntatis assentiri uni, aut alteri parti; nam vel motiva sunt æqualia, & tunc neutri potest assentiri, quia motiva æqualia se mutuo elidunt, aiunt Contrarij; sed necessariò intellectus tunc omnem assensum, & dissensum suspendit; vel inæqualia, tunc autem juxta Contrarios intellectus soli probabiliori assentiri potest: ergo doctrina D. Thomę, quòd intellectus ex imperio voluntatis possit assentiri uni, vel alteri, numquàm locum habebit. Particula enim disjunctiva, *vel*, negat tantùm simultatem utriusque assensûs, non autem simultatem motivorum, seu potestatis, ad hunc, vel N. 307. P. Moy

vel illum divisim; immò hæc necessariò supponitur in voluntate liberâ. Est ergo, juxta S. Thom. in intellectu ut subdito in probabilibus voluntati liberæ, est, inquam, simultas motivorum, & potestatis ad hunc, vel illum assensum contradictorium divisim ponendum.

S. Tho.

N. 308. Confirmo 2. doctrinâ apud Theologos in materiâ de Beneficijs omnino classicâ, quam trahunt etiam Scholastici in materiâ de Incarn. ubi de meritis Christi D. an sint valoris simpliciter infiniti; inter quos videri possunt P. Suar. P. Valq. C. de Lugo, M. Godoy *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 45. *a n.* 66. & alij: Fac enim ut duo æquè digni petant idem beneficium; in hoc casu, in neutro est condignitas, ut alteri beneficium negetur; immo in eo casu potest, sine unius oppositoris injuriâ, alterutri beneficium concedi, & hoc licitum est, & ex Superioris conferentis gratiâ pendet; ergo si inter duos oppositores æquè dignos licitum est alterutrum eligere, nec unius meritum elidit meritum alterius; cur non licebit intellectui inter æquè probabiles alterutram ex voluntatis gratiâ eligere, absque eo quòd motivum unius elidat motivum alterius? Nec opponas: Saltem non poterimus eligere minus probabilem, sicut inter oppositores eligi non potest minùs dignus; nam de hoc datur præceptum ante, & post Tridentinum; immò ex naturâ oppositionis, & talium beneficiorum hoc evincitur; nulla autem datur lex, ne eligatur minùs probabilis: ergo supposito eo præcepto, minùs dignus in præsentiâ dignioris manet indignus; econtra minùs probabilis non fit improbabilis, stante probabiliori, quia nulla datur lex de non sequendâ minus probabili, stante probabiliori.

P. Suar. P. Valq. C. de Lugo, M God.

N. 309.

N. 310. Probatur 2. quia possibile est peccatum infidelitatis, & judicium temerarium: ergo potest voluntas suo imperio flectere intellectum, ut credat articulum falsum propositum ut minùs probabilem, stante probabilitate longè maiori articuli veri: rursus, potest voluntas determinare intellectum ad judicium ex motivo imprudenti, stante pro aliâ parte tantùm motivo prudenti, ut accidit in judicio temerario: ergo multò magis voluntas poterit flectere intellectum, ut assentiatur parti A ex motivo prudenti, etsi pro parte B stet motivum prudentius. Antecedens constat, tùm experientiâ, tum ex omnibus TT. mihi satis erit C. de Lugo *d.* 10. de Fide *sect.* 1. & P. Maurus *qu.* 30. de Fide *n.* 27. quærentes, quomodò intellectus sit liber credere oppositum ei, quod fides docet, cùm judicet esse improbabile: ergo voluntas non poterit tunc imperare assensum ad oppositum: dicunt, quòd ego in Tr. de Fide, quòd ut intellectus ex voluntatis imperio credat imprudenter oppositum, non est necesse, ut illud sit probabile, satis est, ut intellectus habeat motivum cum aliquâ specie veri, licèt non tanti momenti, ut pertingat ad probabilitatem, quæ pondus maius requirit: sicut ut voluntas possit imprudenter amare objectum, non est necesse, ut illud sit prudenter amabile, satis, ut aliquam habeat bonitatem: ergo licèt objectum oppositum videatur improbabile, & incredibile operando prudenter, non tamen est improbabile, & incredibile operando imprudenter.

C. de Lugo, P. Mau.

Addo quòd sicut contra reliquas virtutes Theologicas, & Morales possum dupliciter peccare, nempe vel negativè non ponendo actum præceptum amoris, spei, & temperantiæ; vel positivè ponendo actum vetitum odij, & desperationis, & intemperantiæ; ita etiam contra fidem possum dupliciter peccare, vel non credendo, dum tenor credere, vel credendo articulum, quem tenor non credere; nulla enim nec levis disparitas dari potest, cur in alijs virtutibus voluntas sit libera libertate, tum contradictionis, seu exercitij, quatenus potest amare, vel non amare Deum, omittendo actum amoris præceptum; tum contrarietatis, seu specificationis, quatenus potest amare, vel odisse Deum: eadem autem voluntas in materiâ fidei non sit immediatè libera nisi libertate contradictionis, quatenus potest imperare intellectui, ut credat, vel ut suspendat actum fidei à lege Dei imperatum; non autem sit libera libertate contrarietatis, quatenus possit imperare intellectui, ut credat articulum verum, vel ut credat articulum falsum: ergo intellectus est liber non tantùm quoad exercitium, seu credere, & non credere articulum fidei, sed etiam quoad specificationem, seu credere articulum verum, & credere articulum falsum: ex. gr. non tantùm est liber credere Messiam venisse, & non credere, seu omittere actum fidei de Messiæ adventu; sed etiam est liber credere Messiam venisse, & credere positivè Messiam non venisse.

N. 311. N. 312. N. 313.

Hanc doctrinam tradit etiam M. Tapia *tom.* 2. *lib.* 1. *qu.* 4. *art.* 1. *n.* 4. ubi ait, quòd duplex potest esse voluntaria carentia fidei; alia cum errore positivo contrario fidei, & dicitur infidelitas contraria; alia sine errore positivo, sed cum ignorantiâ culpabili veritatis, & hæc potest dici infidelitas privativa; & utraque est peccaminosa; & hujus divisionis

N. 314. M. Tap.

visionis meminit S. Thom. 2.2. *qu.* 10. *art.* 1. Hæc Tapia. Idem tradit P. Elizald. 2. *p. lib.* 5. *qu.* 3. §. 2. *mihi pag.* 13. dicens: *Infidelitas, & hæresis contrariantur fidei, & consistunt, vel in privatione fidei debitæ haberi, vel magis in errore contrario.* Idem supponunt omnes
S. Tho. Theologi in 2.2. cum S. Thomâ *qu.* 10. *art.*
P. Eliz. 1. qui ait: *Infidelitas dupliciter accipi potest, uno modo secundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc solo, quòd non habet fidem; alio modo potest intelligi infidelitas secundùm contrarietatem ad fidem, quâ scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam.* Et post pauca subdit: *Quòd infidelitas negativa in his, qui fidem non audierunt, non est peccatum; quòd si illi damnantur, est propter alia peccata.* Nota autem quod S. Thom. dixit, dari infidelitatem secundùm contrarietatem, non autem dixit, secundùm contradictionem tantùm: ergo datur infidelitas, tùm contradictionis, ut accidit in non credente, cum debet credere; tùm contrarietatis, ut accidit in credente, quod tenetur non credere.

N. 315. Confirmo 1. Plus excedunt motiva credibilitatis stantia pro veritate mysteriorum, quæ credit Catholicus, motiva credibilitatis stantia pro articulis, quos credit Calvinista, quàm motiva probabilitatis partis A probabilioris excedant motiva probabilitatis partis B minùs probabilis: & tamen intellectus ex voluntatis imperio assentiri potest articulo minùs credibili, immò non nisi imprudenter credibili, ut accidit in Calvinista formaliter Hæretico: Rursus potest intellectus ex voluntatis imperio assentiri objecto nulli motivo prudenti innixo, ut accidit in temerariè judicante; ergo multò magis intellectus inter motiva æquè probabilia constitutus poterit assentiri alterutri; & stans inter motiva inæqualiter probabilia assentiri poterit minori verè probabili, & prudenti ex voluntatis imperio.

N. 316. P. Card. Confirmo 2. ex P. Card. *tom.* 3. *disp.* 56. *a n.* 17. Possum probabiliùs putare Paulum esse innocentem, & tamen ex odio in eum posse credere eum esse reum: ergo possibile est, quòd voluntas flectat intellectum ad assensum partis leviter probabilis contra probabiliorem oppositam; ergo multò magis ad assensum partis, verè, etsi minùs probabilis, contra probabiliorem; cum hâc differentiâ, quòd in illo casu voluntas habet potentiam physicam in intellectum, non moralem, seu licitam, nam temerè assentitur; in hoc physicam, & moralem, quia nulla lex vetat voluntati, nè imperet intellectui assensum circa verè, etsi minùs probabile.

N. 317.

Probatur 3. quia est extra omnem dubitationis aleam dari Hæreticos; & Fideles transire posse ad hæresim formalem: sed negatâ possibilitate intellectui, ut assentiatur æquè, aut minùs probabili, hoc est falsum: ergo talis probabilitas negari non potest. Minor probatur; quia vel intellectus Hæretici stans inter magis, & minùs credibile, tenetur adhærere credibiliori, vel non? Si non tenetur; ergo neque stans inter magis, & minùs probabile tenebitur adhærere probabiliori. Si tenetur; ergo implicat hæreticus formaliter; qui enim adhæret credibiliori, non potest esse hæreticus: sed omnis stans inter magis, & minùs credibile adhæret necessariò credibiliori, est doctrina Adversariorum: ergo nullus stans inter magis, & minùs credibile potest esse formaliter hæreticus. Hoc argumentum latiùs expendam in responsione M. Mercori. N. 318.

Probatur 4. enervando Contrariorum argumenta. Motivum credibilitatis pro articulo vero, licèt difficultet actum Calvinistæ, circa articulum oppositum, non tamen à motivo Calvinistæ tollit omnem vim alliciendi ad judicium saltem imprudens. Similiter motivum unicè probabile suasivum judicij prudentis licet difficultet assensum imprudentem, & temerarium, non tamen tollit à motivo judicij temerarij levem veri apparentiam; nam neque actus falsus Calvinistæ caret motivo levis apparentiæ veri, nec judicium temerarium; qui enim credit, & judicat, judicat propter motivũ saltem leviter verum: ergo multò minùs motiva æquè prudenter probabilia se enervant, nec maius tollit omnem vim prudenter motivam à minori; etsi aliquo modo unum motivum difficultet actum nixum motivo opposito. Confirmo 1. quia stans inter motiva credibilitatis, quorum ea, quæ sunt pro nostrâ fide, sunt unicè prudenter credibilia; quę autem pro sectâ Calvini, sunt tantùm imprudenter credibilia, non suspendit necessariò omnem assensum; nec stans inter motivum unicè movens ad assensum prudentem, & motivum movens ad temerarium assensum, non suspendit necessariò omne judicium, immò niti potest motivo, cui voluerit, ergo multò minùs intellectus stans inter motiva æquè, immò inæqualiter, prudenter tamen omnia probabilia, manebit necessariò dubius. N. 319.

Confirmo 2. quia stante motivo æquali, vel inæquali pro parte A, vel motivũ pro parte B æquale, aut minus, intellectum urget, vel non? Si urget, (ut certè urget ex paritate judicij temerarij, & peccati infidelitatis, quorum N. 320.

quorum motiva etsi imprudentia, & leviſſime ad ſummum probabilia inclinant intellectum ad judicium imprudens, & hæreſim) ergo eſt poſſibilis aſſenſus partis B; nam implicat inclinatio naturalis ad terminum non poſſibilem, ut patet ex Phyſica, & ex Theologia; poſſibilitas enim viſionis beatificæ à S. Thoma deducitur ex inclinatione naturali. Si non urget; ergo nec datur ſimultas probabilitatis, quam tamen M. Mercor. & Philal. admittunt; nec datur judicium temerarium, nec hæreſis intellectualis. Nec dicas ex ſimultanea inclinatione probari ſimultaneum aſſenſum utriuſque contradictorij; contra enim eſt, quia aliud eſt, quòd utrumque ſimul motivum inclinet, & moveat ad alterutrum aſſenſum ſeorſim, quod verum eſt; aliud, quòd ſimul inclinet, & moveat ad utrumque ſimul, quod falſum eſt. Confirmo 3. quia medium probabile, ſtante oppoſito probabiliori, habet ſuam veroſimilitudinem gravem; ergo generare poteſt opinionem.

S. Tho

Probatur 5. quia quotquot è Sanctis PP. militant pro perfectione obedientiæ, inter quos nemini ſecundus eſt Noſter Parens S. Ignatius, docent, obediendum eſſe Superiori in omnibus, in quibus non elucet evidenter peccatum; atque adeò quoties oppoſitum non eſt evidens, inclinandum eſſe à voluntate intellectum in id, quod ſuperior præcipit: ergo intellectus inclinari poteſt à voluntate in opinionem Superioris, quam putat minùs probabilem, & propriam putat probabiliorem: ergo quoties evidentia non cogit intellectum ad unam partem contradictionis, ſupponitur ut indubitatum ab Aſceticis, quòd intellectus poſſit ab imperio voluntatis inclinari ad aſſentiendum parti minùs probabili, nam poteſt cogi ad aſſenſum cujuſque partis non evidentis. Ratio eſt; quia etſi una pars ſit evidenter probabilior, adhuc tamen eſt incerta, & inevidens: ergo non cogitur intellectus ad ejus aſſenſum; ergo poteſt à voluntate flecti in oppoſitum, ut conſtat ex judicio temerario, ut benè P. Card. *tom.* 1. *d.* 15. *a n.* 304. Accedit prudentiſſimum D. Ignatij monitum, ut videri poteſt apud P. Franciſc. Garciam *lib.* 4. *cap.* 8. in quo refert monita, quæ S. Ignatius dedit P. Laynez ad Tridentinum Concilium deſtinato, ait enim: *Si ea, quæ in diſputationem vocantur, tuo conſilio egeant, pacato animo tuam ſententiam dic, ſalvo ſemper meliori judicio; hâc enim, vel ſimili formulâ ſententiam tuam concludere debes*: & paulò pòſt: *Ne eas poſt novas opiniones, quæ inclinare videntur ad propoſitiones Hæreticorum, aut eorum, qui nevas affectant opiniones; & quamdiu Eccleſia neutram partem definierit, neutram affirmato cum adhæſione, quantumvis tibi valdè probabilis videatur.* Et paulò antè dixerat: *In diſputationibus, quæ controvertentur, adduc rationes, quæ pro utraque parte militant, ne videaris tuæ ſententiæ valdè addictus.* Hæc S. P. Ignatius inſigni Theologo, cujus tota ſumma ad hoc reducitur, nè quis tenaciter adhærcat propriæ opinioni etſi ſibi probabiliori; immò utriuſque partis rationes trahendas, adeo ut tutum ſit quamlibet ſequi ex non definitis, dummodò rationi ſolidæ nitatur. Addo quòd ſi voluntas poteſt inclinare intellectum ad peccatum, nempe ad hæreſim, & judicium temerarium, multò magis inclinare poterit ad bonum, nempe ad aſſenſum prudentem, omiſſo prudentiori. Lege P. Suar. 1. 2. *d.* 10. *ſect.* 1. & P. Card. *tom.* 3. *d.* 56. *à n.* 360. Mihi ſatis eſt prudens monitum S. P. Ignatij vetantis Theologo cuicumque, eſſe in ſua opinione tenacem: ergo tales vult ſuos eſſe Theologos, ut quamlibet poſſint ſequi, etſi propria videretur probabilior.

N. 321. S. P. Ignat.

P. Card. S. P. Ignat. P. Garcia. N. 322.

P. Suar. P. Card.

§. II.

Rationes ſecundæ, & tertiæ concluſionis.

SUMMARIUM.

Etiam in quæſtione facti poteſt intellectus à voluntate flecti in minus, aut æquè probabile: rationes, n. 323.

Eadem Hiſtoria affirmata à centum, & negata à centum, eſt utrimque prudenter credibilis, n. 324.

Non ita duo contra duo; cur? n. 325.

Licèt alteruter teſtis vagè ſumptus mentiatur, non ideo tollitur omnino authoritas, n. 326.

Aliud eſt, quòd ſit prudenter credibile Petrum occidiſſe Paulum; aliud, quòd Judex ductus teſtimonio probabili, immò probabiliori, poſſit jus dicere in Petrum; illud verum, hoc falſum, n. 327.

Rationes P. Card. cur intellectus in quæſtione juris poſſit deponere dubium, non in quæſtione facti, n. 328.

Nullitas earum, n. 329.

Unicè probat, quòd Judex non poſſit ferre ſententiam, non autem, quòd in quæſtione facti, intellectus non poſſit aſſentiri æquè, aut minùs credibili, n. 330.

Rationes tertiæ concluſionis, n. 331.

Intellectus neceſſitatur ad judicium evidens probabilitatis, aut probabilioritatis, non tamen ad probabilioritatem, n. 332.

Falſum, quòd, quia pars B eſt minùs veriſimilis, ſit minus vera, & magis falſa, & econtra, cur? n. 333.

Quòd

QUòd autem etiam in quæstione facti possit intellectus à voluntate flecti, ut assentiatur parti æquè, aut minùs probabili,
P. Card. S. Tho. ut dixi in 2. *concluſ.* contra P. Card. constat 1. quia hoc probant textus D. Thomæ, qui loquuntur de omni probabili; ergo sive probabilitas sit circa jus, sive circa factum, eo-
N. 323. dem modo concludendum est. Constat 2. ex paritate judicij temerarij, sive enim ex levi ratione judicem Petrum mortem intulisse Paulo, (quod utique est factum) sive ex levi authoritate, peccabo semper temerario judicio: ergo si in quæstione facti intellectus inclinari potest a voluntate in partem non probabilem, ut in judicio temerario, quod Petrus Paulum occiderit; multò magis in partem verè, etsi minùs probabilem. Demum hoc idem suadent aliæ rationes.

N. 324. Confirmo: quia licèt daretur (quod tamen non do) quòd in aliquâ quæstione facti non posset intellectus assentiri uni motivo præ alio, stante æquali probabilitate objectivâ; attamen, absolutè loquendo, est universaliter falsum: nam de aliquâ Historiâ, quæ utique factum est, stantibus centum Historiographis pro parte affirmativâ, & alijs centum pro negativâ, possum prudenter assentiri, quibus voluero, quia utraque pars est prudenter credibilis; nec uni enervant oppositorum authoritatem; & est prudenter credibile, quod centum affirmant, negantibus alijs centum; & quod centum negant, affirmantibus alijs centum; atque adeo, dum me determino ad actum fidei humanæ propter affirmantes, moveri possum ab authoritate affirmantium; & à ratione reflexâ dictante esse prudenter credibile, quod centum affirmant contra centum negantes. Econtra in casu, quo duo testes con-
N. 325. tradicentes stant, unus pro Petro occidente, alter pro non occidente; forte in hoc casu non possum prudenter assentiri, quia utriusque authoritas est modica, & ideò non est prudenter credibile, quod unus affirmat cõtra alium negantem, sicut est prudenter credibile, quod centum affirmant contra alios centum. Dixi authoritatem utriusque esse modicam, & ideò fortè unius authoritas enervat aliam in ordine ad prudentem assensum; ex hoc autem non sequitur, quòd tunc intellectus non possit alicui parti assentiri, sed unicè sequitur, quòd non possit prudenter; ergo imprudenter poterit; ergo absolutè poterit: in præsenti enim loquimur tantùm de potentiâ physicâ intellectus ad assentiendum æquali, vel minori motivo;
N. 326. non autem, an tunc licitè assentiretur. Addo negari etiam posse, quod in tali casu unius authoritas enervet aliam in ordine ad prudentem assensum; dico enim adhuc esse prudenter credibilem, tam mortem, quàm non mortem, & utrumque esse fide dignum; etsi enim vagè sciam aliquem mentiri, non ideo scientia de mendacio alterutrius testis tollit ab utroque authoritatem, sed tantùm tollit, ne Judex sententiam dicat, quatenus Judici vetitum est, certam mortis sententiam ferre, nixus tantùm testimonio probabili; immo, etsi niteretur testimonio probabiliori, idem Judici prohiberetur, debet enim crimen esse saltem semiplenè probatum. Quare aliud est, N.
esse prudenter credibile, quod Petrus occi- 327.
derit Paulum; aliud esse probabile, quod Judex ductus tantùm testimonio probabili unius testis, possit certam contra Petrum mortis sententiam ferre: primum do, alterum nego; quomodo enim Judex certam contra Petrum mortis sententiam dicat nixus authoritati æquè probabili de culpâ, ac de non culpâ Petri? immò etsi niteretur authoritati maiori, hoc non potest.

Dices ex P. Card. *ll. cc.* quòd una proba- P. Card.
tio æqualis elidit sibi æqualem; & ideò Judex habens æqualem pro occisione, ac non occisione authoritatem, manet dubius. Idem ait evenire in casu matrimonij, in quo æquales probationes de morte, ac non morte alterius conjugis causant dubium. Idem in casu restitutionis, habens enim æqualem pro factâ, ac pro non factâ restitutione rationem, manet dubius. Confirmat *tom.* 3. *diſp.* 56. *cap.* N.
16. *n.* 813. & 815. dicens intellectum in 328.
quæstione facti inter duos testes sibi æquales, & contradicentes manere necessariò dubium, & non nisi temere assentiri alterutri; ut enim prudenter assentiatur, habere debet maiorem rationem pro unâ parte: & *n.* 815. ait, quòd licet quæstio juris, & quæstio facti conveniant, quòd intellectus stans inter motiva æqualia dubitet, attamen magnum inter eas est discrimen, quòd intellectus inter duos æquales testes stans in quæstione facti, non habet modum, quo deponat dubium; at in quæstione juris, licèt ab initio dubitet, habet modum, quo deponat dubium in ordine ad praxim; est autem iste, (ait *n.* 816.) ex imperio voluntatis intellectus inclinatus in partem A, solvit rationes contra partem A, adeoque manet sine impedimento, ut assentiatur parti A, nixus rationi partis A; atque adeo licèt ab initio intellectus fuerit dubius, attamen solutâ oppositâ ratione, & nixus rationi faventi parti A, deponit dubium assentiendo parti A: licèt ergo non sit maior ratio pro parte A, quàm pro B ex parte intellectus, est tamen ex parte voluntatis

luntatis inclinantis ad partem A, præ B, & imperantis assensum partis A, præ B. Nec voluntas agit irrationabiliter inclinando intellectum ad A, præ B, hoc enim, inquit, negatur, & sine probatione asseritur, quòd voluntas, ubi non est evidentia veri, non possit licitè inclinare intellectum ad A; si enim physicè potest, ut Contrarij concedunt, cur non moraliter, seu licitè? Assignetur enim lex Divina, vel humana obligans voluntatem suspendere suam inclinationem in æquè probabilibus: & *n.* 827. ait, hunc modum deponendi dubium non habere intellectum in quæstione facti, quando uterque dicit *vidi*; nam in quæstione juris, cùm hæc nitatur discursui, & discursus discursu solvatur, intellectus habet modum, quo discursum, & rationes unius solvat. Hæc P. Card.

N. 329. Sed contra 1. quia hæc omnia, vel probant intellectum neque in quæstione juris posse sequi æquè probabile, & posse dubium deponere; vel probant posse in quæstione facti. Si enim voluntas, ut P. Card. arguit contra Mercor. & Baro, potest physicè inclinare intellectum, infert contra illos, posse etiam moraliter, seu licitè, cùm nulla detur lex hoc vetans; ita ego dico contra P. Card. si voluntas potest physicè in quæstione facti inclinare intellectum, ut assentiatur, etsi temerè, ut ipse ait, cur non, ut assentiatur prudenter? Contra 2. quia falsum est intellectum carere modo deponendi dubium in quæstione facti, ut enim in quęstione juris, solvendo rationes oppositas unius partis deponit dubium; ita à pari enervando authoritatem unius deponet dubium in quęstione facti. Contra 3. quia sicut intellectus stans inter plures æqualis doctrinæ Doctores potest deponere dubium circa agenda, ut P. Card. concedit, cur non in ordine ad credenda? Contra 4. quia ego nec levem video disparitatem inter quæstionem juris, & facti; cur intellectus stante duplici æquali motivo possit determinari ad assensum unius præ alio in quæstione juris, non autem facti? Certè si decem Doctores omni exceptione maiores dicant mihi, concessum esse tale privilegium; & totidem, immò plures negent concessum, quæ opiniones sunt circa factum, possum sequi, quod placet. Quare benè ait P. Moya *tom.* 2. *qu.* 7. §. 4. quod omnia tradita à P. Carden. (nempe *tom.* 1. nam *tertius* nondum erat impressus) non probant, nisi quòd Judex non possit ferre sententiam in favorem unius, damnando alium, quando testes, & rationes sunt æquales, quòd certum est, quia in causâ dubiâ certam ferre damnationis sententiam, peccatum est. Duo itaque P. Card. confundit; aliud est, quòd stante æquali pro occisione, & non occisione, motivo, probatione, & testimonio, possit Judex ferre sententiam damnationis; hoc autem negatur: aliud, quòd Judex non possit prudenter credere occisionem; hoc autem potest: neque C. de Lugo ab eo citatus ei favet, quia de Lugo non probat, nisi quòd in quæstione facti non possit Judex, stante æquali probatione pro non occisione, ferre sententiam mortis, quod certum est; non autem negat, quòd Judex possit speculativè, & prudenter judicare occisionem potiùs, quam non occisionem; potest enim: quapropter licèt sit speculativè probabile, Petrum esse homicidam, attamen non est practicè probabile, quòd in Petrum creditum probabiliter homicidam, certa mortis sententia dici possit, ut rectè P. Salas 1. 2. *tr.* 8. *sect.* 4. *n.* 42. & de Lugo *d.* 16. *de Just. n.* 100. Ad alia dico eodem modo; nempe stante dubio facti speculativo, vetitum esse Judici ferre sententiam, sed in Criminalibus reum non esse damnandum; in Civilibus rem esse dividendam, aut sortes mittendas, ut aiunt plures apud P. Moyam: non ita in alijs dubijs facti; dubitans enim, an votum emiserit, non tenetur implere, quia certa libertatis possessio vincit dubietatem voti, ut communiter DD. apud P. Sanch. *tom.* 1. Sum. *lib.* 1. *cap.* 10. *a n.* 34. ergo ex dubio facti orto ex contradictione testium æqualium, quoad Judices, non valet argumentum ad alia dubia facti speculativa non impedientia judicium practicum de licentiâ operationis, ait C. de Lugo *l. c.* & P. Moya *tom.* 2. *qu.* 7. *n.* 48. Immò si fusiùs contra P. Card. agere vellem, ostenderem ex allatis exemplis deduci oppositum, quatenus jura nobis favent, volunt enim in foro externo, quando testes sunt æquales, ferendam esse sententiam in favorem possidentis.

P Card M Mer M. Bar. P. Salas. C de Lugo. P. Moy. P. Sanc. C. de Lugo. P. Moy. P. Card.

N. 330.

C. de Lugo.

N. 331. Tertia conclusio, quę est contra P. Esparza, ijsdem omnino argumentis probatur, quibus prima; nam hoc convincit S. Thomas loquens de omni probabili; hoc judicium temerarium, & peccatum infidelitatis; qui enim judicat temerè, cognoscit evidenter suum fundamentum esse levissimum, & oppositum esse evidenter probabilius: & qui credit oppositum ei, quod fides docet, cognoscit evidèter maiorem credibilitatem articuli veri, nam nostra mysteria, ut omnes TT. docent, sunt evidenter credibilia; & tamen credit oppositum: ergo à pari licèt pars A appareat evidenter minùs probabilis, & pars B evidenter magis probabilis, attamen hęc evidentia

P. Espar S. Th.

evidentia probabilioritatis non impedit assensum circa minùs probabile, quo modo evidentia credibilitatis non impedit assensum circa articulum falsum. Deinde retorqueo: Sicut ex eo, quòd intellectus non possit non assentiri evidentiæ de minori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri motivo minùs probabili; ita ex eo, quòd assentiatur reflexè evidentiæ de maiori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri maiori probabilitati. Addo aliud esse evidentiam maioris, aut minoris probabilitatis, aliud ipsam maiorem, aut minorem probabilitatem. Intellectus necessitatur quidem assentiri evidentiæ maioris, aut minoris probabilitatis, non tamen ipsi maiori, aut minori probabilitati; quapropter poterit intellectus ex voluntatis imperio assentiri parti minùs probabili, nec necessitabitur assentiri probabiliori, licèt hæc sit evidenter probabilior; ut enim dixi, aliud est, quòd intellectus necessariò assentiatur evidentiæ tam maioris, quàm minoris probabilitatis; aliud est, quòd necessariò teneatur assentiri ipsi maiori, aut minori probabilitati. Ratio est; quia non ex eo quòd B est minùs verosimile, est minus verum, seu magis falsum; nec ex eo quòd A est magis verisimile, est magis verum, seu magis abest à falso: aliud enim est, quòd quia verosimilius videatur magis distans à falso, & quia minus verosimile, videatur minùs distans à falso; aliud, quòd minùs probabile minùs distet à falso, & magis probabile magis distet. Primum est verum, secundum falsum. Demum doctrina P. Esparzæ tota in hoc fundatur, quòd eo ipso, quòd unum extremum sit evidenter probabilius, eo ipso ob hanc evidentiam ei oppositum non maneat probabile. Verùm adhuc hoc concesso, ex hoc unicè colligitur, quòd tunc non potero licitè sequi illud extremum, quia non manet amplius probabile; non autem quòd absolutè sequi non potero: quo modo Hæreticus illicitè sequitur articulum falsum, stante evidenti maiori credibilitate articuli oppositi veri, & nullâ prudenti credibilitate articuli falsi, cui tamen adhæret.

N. 332.

N. 333.

SECTIO V.

Referuntur, & refelluntur Adversariorum responsiones.

§. I.

Responsio M. Mercori.

SUMMARIUM.

Docet, hominem, cui mysteria fidei proponuntur ut evidenter credibilia, non posse credere oppositum, n. 334.

Docet, omne evidenter credibile debere apparere certum, & credi non posse, nisi evidenter credibile, n. 335. 336.

Aliæ ejus rationes, n. 337.

Docet, quòd evidentia signorum necessitet intellectum ad actum fidei, adeoque non est liber libertate exercitij, sed tantùm specificationis quoad modum, n. 338.

Docet, in his, quæ intellectum non convincunt, liberum esse libertate exercitij, & specificationis, n. 339.

Docet, obedientem credere, esse certò verum, quod Prælatus jubet, n. 340.

Contradictiones M. Mercori, n. 341.

Evidentia credibilitatis requiritur, ut objectum sit prudenter, non ut sit credibile, n. 342.

Minus credibile credi potest, n. 343.

Si intellectus non potest assentiri minus credibili, non dantur Infideles, & Hæretici, nisi materialiter, n. 344.

Non debet transiri ab eo, quod intellectus potest, ad id, quod debet, n. 345.

Quandonam intellectus teneatur ad credibilius, quando non? n. 346.

Adhuc non tenet paritas: in materiâ fidei tenemur ad credibilius, ergo in agibilibus ad probabilius, n. 347.

Sicut peccator, bonum, quod amat, non judicat esse melius Deo, ita nec Hæreticus fidem, quam sequitur, judicat esse credibiliorem, n. 348.

Hæreticus peccaret ad summum, dando locum passioni, non verò credendo falsum, n. 349.

Sicut contra alias virtutes, ita contra fidem, dupliciter peccatur, n. 350.

Prohibetur infidelitas positiva, adeoque est possibilis, n. 351.

Si Infidelis credere non potest minùs credibile, Deus vetat credere magis credibile, n. 352.

Fides est saltem libera libertate exercitij, & ideò pia affectio est necessaria: rationes, & Doctores, n. 353.

Judicium credibilitatis revelationis, quod est evidens, confundi non debet cum judicio revelationis, quod est obscurum, n. 354.

Dicere fidem esse liberam ex hoc, vel illo motivo, est dicere scientiam esse liberam, n. 355.

Sicut aliarum virtutum actus sunt immediatè liberi, ita fides, n. 356.

Libertas considerandi diversa motiva, impugnatur illis, quibus libertas prædeterminantium, n. 357.

Talis libertas convenit scientiæ, n. 358.

In subdito sæpe repugnat hoc judicium, quod jubet Prælatus est certum, aut verius, n. 359.

Magi-

N. 334. M.Mer. MAgister Mercor. 2. *p. art.* 5. vult hominem, cui mysteria fidei proponuntur ut evidenter credibilia, non posse credere oppositum.

N. 335. Quia (ait 1.) evidenter credibile debet apparere certum: ergo cùm implicet, ut utrumque contradictorium appareat certum, implicat, ut simul appareat credibile; ergo si apparet evidenter credibile Messiam venisse, non potest eidem esse credibile Messiam non venisse; ergo licèt possit suspendere assensum de Messiæ adventu, non tamen credere potest Messiam non venisse. Ex hoc infert, quod intellectus numquàm judicare possit utrumque contradictorium esse credibile, esto judicet adesse pro utroque motiva valida pro credibilitate, quam inducerent, nisi ratione contrarietatis se eliderent, ut dixit de probabilitate. Confirmat ex eo, quia supponit intellectum non posse credere aliquid, nisi sit evidenter credibile.

N. 336. M.Mer. Ait 2. *pag.* 75. quòd si infideli proponantur contradictoria cum æquali motivorum credibilitate, nulli parti poterit assentiri, & multo minùs parti minùs credibili; tùm quia intellectus assentiri non potest objecto, nisi sit evidenter credibile; tùm quia sicut testes contrarij nihil probant, ita in hoc casu; tùm quia nullus potest prudenter credere, nisi habeat motiva maiora pro parte, quam credit.

N. 337. Tertiò *pag.* 78. postquàm sibi respondit, nos dicere posse ejus argumenta unicè probare, quòd ut quis prudenter credat, assentiri debeat credibiliori, non autem probare, quod absolutè intellectus non possit assentiri minùs credibili, etsi imprudenter: Respondet tria; primum est, quòd etsi hoc totum daretur, tandem verum esset, quòd sicut in credibilibus tenetur quilibet assentiri credibiliori, & peccat assentiendo minùs credibili, ita in agilibus tenetur quilibet ad magis probabile, & peccabit sequendo minùs probabile. Secundum est, intellectum non posse physicè assentiri parti minùs credibili, & ideo imprudenter credit, non quia assentitur minùs credibili, sed quia illud minùs credibile apparet ex passione aliquâ sibi evidenter credibile. Tertium est, quòd peccatum infidelitatis non consistat in credendo oppositum fidei, sed in non credendo propositum sufficienter à fide; ex. gr. non consistit in credendo Messiam non venisse, sed in non credendo Messiam venisse.

N. 338. Quartò ait 2. *p. art.* 6. quòd habens evidentiam signorum non liberè credat libertate exercitij, sed tantùm libertate specificationis, quantùm ad modum. Primum probat; quia evidentia signorum necessitat intellectum, nè suspendat actum fidei. Alterum probat; quia etsi Fidelis tunc necessitetur ad actum fidei, potest tamen actum fidei elicere ex hoc, aut illo motivo, seù benè, vel male, nempe vel ex pia affectione in Christi D. obsequium, vel ex solo credibilitatis motivo. Addit in his, quę intellectum non convincunt, liberum esse credere libertate, tum exercitij, tùm specificationis, quatenus accidere potest ex duobus contradictorijs alterum esse bonum, & conveniens credenti, adeoque potest hanc partem prę oppositâ credere libertate specificationis. N. 339.

Quintò ait 2. *p. art.* 2. *circa finem*, quòd quando subditus contra propriam opinionem sibi probabiliorem obedit Prælato, tunc non adhæret parti minùs probabili ex solo motivo minùs probabili, sed ex præsumptione, quod Prælatus jubeat tantum, quæ honesta sunt, & credit certò esse verum, quod antea ex motivo intrinseco judicabat minùs probabile, & concludit casum non esse ad rem. N. 340. M Mer.

Antequam directè impugnem, quæ doctus, & modestus M. Mercor. tradit, operæ pretium est ejus contradictoria notare. Primum est, quòd, ut suprà dixi *sect.* 1. M. Mercor. 2. *p. art.* 3. apertè supponit posse utrumque contradictorium judicari probabile; & 2. *p. art.* 1. ait, aliud esse judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, aliud probabiliter assentiri utrique. Primum concedit, secundum negat; sicut autem dum negat, non negat intellectum posse seorsim assentiri utrique, hoc enim potest per omnes; sed negat posse intellectum assentiri simul utrique, quod omnes concedunt; ita dum concedit intellectum posse judicare utrumque probabile, non concedit præcisè, quòd possit divisim, sed quòd simul possit; hoc enim concedit in primo, quod negat in secundo; sed in secundo negat simultatem assensuum contradictoriorũ; ergo concedit in primo simultatem probabilitatis utriusque contradictorij. Idem patet ex alijs locis a me relatis *sect.* 1. §. 2. nempe, quòd M. Mercor. admittat simultatem probabilitatis utriusque contradictorij. Hic autem in *primâ relatâ responsione* supponit hoc esse falsum: ecce igitur contradictio: duo objecta non possunt simul esse credibilia, sicut non possunt esse simul probabilia: duo objecta possunt simul esse credibilia, sicut possunt esse simul probabilia. Hæc eadem contradictio clariùs patet 2. *p. art.* 3. *pag.* 57. ait enim in resolutione quęstionis, intellectũ N. 341. M.Mer.

actu considerantem utramque partem contradictionis esse æqualis probabilitatis, &c. ergo supponit utrumque contradictorium posse simul apparere probabile; ergo etiam utrumque credibile; vel si hoc negat, & illud.

Secunda contradictio, & inconsequentia est, quòd 2. *p. art.* 10. *pag.* 113. §. *nota* 2. ait, intellectum posse disputationis gratiâ sequi partem minùs probabilem stante probabiliori oppositâ; hic autem in 1. & 2. *responsione* paulò antè adductâ, vult intellectum non posse assentiri parti minùs credibili; ergo concedit simul, & negat intellectui potentiam *physicam* assentiendi parti minùs credibili: concedit, dum concedit posse intellectum assentiri parti minùs probabili; negat, dum negat posse intellectum assentiri objecto minus credibili. Tertia contradictio est, quòd ut dixi paulò antè in 1. *responsione*, concedit intellectui, cui est evidenter credibile Messiam venisse, libertatem exercitij, nempe posse suspendere assensum, & posse assentiri Messiam venisse; & tamen in ejus doctrinâ relata hic *respons.* 4. hoc negat, dum ait intellectum habentem evidentiam signorum non liberè credere libertate exercitij, quatenus evidentia signorum necessitat intellectum, nè actum fidei suspendat.

Quarta est, quia *hoc loco paulò antè citato* ait, in his, quæ intellectum non convincunt, liberum esse credere libertati tùm exercitij, tùm specificationis, & tamen priùs dixerat, quòd habens evidentiam signorum non liberè credit libertate exercitij, quæ si benè considerentur, sibi contradicunt; nam evidentia signorum non convincit intellectum in ordine ad objectum credendum, sed tantùm necessitat intellectum ad judicium evidens de credibilitate, & credenditate fidei; fides autem non est judicium de credibilitate objecti, sed de ejus existentiâ, aut non existentiâ. Ecce igitur contradictio: intellectus non convictus est liber libertate exercitij: sed habens evidentiam signorum non est convictus circa mysterium credendum; ergo est liber illud credere, aut omittere: rursus: habens evidentiam signorum non est liber libertate exercitij: sed intellectus non convictus de mysterij credendi veritate habet evidentiam signorum; ergo intellectus non convictus, non est liber. Quinta est, quòd 2. *p. art.* 5. ait, quòd intellectus non potest credere aliquid, nisi sit evidenter credibile; & tamen 2. *p. art.* 6. supponit ut certum, quòd intellectus credere possit aliquid non evidenter credibile; ait enim intellectum nõ convictum (convincitur autem juxta M. Mercor. ab evidentiâ signorum, seu credibilitatis) esse liberum; ergo intellectus credere potest aliquid non evidenter credibile. Quæ omnia mihi videntur contradictoria.

Modò directè impugno per partes responsiones. Primam 1. quia falsum est, quòd intellectus non possit credere, nisi objectum sit evidenter credibile; nam evidentia credibilitatis ad summum requiritur, ut objectum sit prudenter credibile, non autem, ut sit credibile, ut constat experientiâ eorum, qui cito, & ex levi fundamento credunt; hi enim credunt, quòd non est evidenter prudenter credibile, immò habent evidentiam de non prudenti credibilitate objecti, quod credunt, & ideo imprudenter credunt. Falsum 2. est, quòd repugnet, ut utrumque contradictorium sit evidenter credibile; sicut enim utrumque esse potest evidenter possibile, aut probabile, ita etiam utrumque evidenter credibile. Addo confundi à M. Mercor. simultatem credibilitatis, quæ non est nisi grave pro utrâque parte contradictionis fundamentum, vel authoritas, cum credibilitate simultatis, quæ est compositio assensus cum dissensu; hæc est impossibilis, non illa. Falsum 3. quòd omne evidenter credibile debeat apparere certum, nisi ad summum moraliter, ut contingit in mysterijs Fidei, quæ quia sunt tantâ evidentiâ credibilia, eorum veritas est moraliter certa. Ex hoc autem quòd mysteria sint moraliter certa, non tollit quin imprudenter possit credi oppositum; quot enim sunt, qui habent evidentiam credibilitatis, ex. gr. de existentiâ Christi D. in Sacramento, & ijsdem ea existentia est moraliter certa, & tamen eam imprudenter negant? N. 342. N. 343.

Secundam impugno 1. quia falsum est Infidelem, cui contradictoria proponuntur cum æquali motivorum credibilitate, nulli parti assentiri posse; si enim, ut dixi, assentiri potest parti minùs credibili, quantò magis ęquè credibili? hoc enim adeo mihi certum est, ut si negetur Infidelem assentiri posse parti minùs credibili, negabo dari Hæreticos, & Infideles, nisi materialiter. Vel enim Infideles, dum Apostolis prædicantibus Messiam venisse, crediderunt non venisse, habebant præsentia motiva credibilitatis pro adventu Messię, vel non? Si non habuerunt, non peccarunt, nullum enim peccatum est non assentiri objecto carenti omni motivo: si habuerunt, quæro, an motiva pro adventu Messię repræsentata fuerint ut magis valida, quam pro non adventu? si ut magis valida; ergo, stante maiori credibilitate N. 344.

litate pro adventu Messiæ, crediderunt non adventum; atque adeo habeo intentum, quod assensi sint objecto minùs credibili, immo non prudenter credibili, nempe non adventui Messiæ, & ideò peccarunt: si autem motiva pro non adventu proposita fuerunt ut minus valida, non peccarunt credendo non venisse, quia crediderunt objectum magis eis credibile. Contra 2. quia falsum est, quod intellectus non possit assentiri objecto, nisi sit evidenter credibile; hoc enim ad summum verum est de prudenti, non de imprudenti, & peccaminoso assensu, ut est assensus Hæretici. Contra 3. quia quod dicit de testibus, suprà *sect.* 4. §. 2. satisfeci, & paritatem contra P. Cardenas retorsi. Contra 4.
M.Mer. quia duo valdè diversa M. Mercor. confundit, nam 2. *p. art.* 5. ab initio expressè dicit se loqui de potentiâ physicâ intellectus, nempe an possit assentiri minùs credibili, omisso credibiliori, non autem an Fideles teneantur semper assentiri credibiliori; numquam autem probat intellectum non posse imprudenter assentiri minùs credibili; quod tamen in præsenti totum quæstionis punctum est, & erat probandum. Immò si hoc probaret, probaret mihi nullum dari formalem Hæreticum, quatenus, juxta Mercor. nemo potest assentiri nisi credibiliori; quomodo autem Hæreticus sit, qui assentitur credibiliori, immò quomodò peccabit, cùm prudentissimè operetur, qui credibiliori assentitur?

N. 345. Tertiam impugno 1. quia transit à quæstione, quid intellectus possit, quod unicè modo disputatur, ad quæstionem, quid intellectus debeat. Contra 2. quia an intellectus teneatur assentiri credibiliori, adeoque in agilibus teneamur sequi probabilius, examinabitur infrà hæc paritas; modò dico quòd intellectus tenetur ad summum sequi credibilius, vel quoties oppositum sit incredibile, vel in illis, quę sunt simpliciter ad salutem necessaria; non autem in illis, quæ
N. 346. inter DD. Catholicos hinc inde controvertuntur; ex. gr. an Christus circumcisus fuerit cultro ferreo, an lapideo; an à Deiparâ, an à S. Joseph, an die Martis, an die Veneris incarnatus, &c. in his enim nemo tenetur ad credibilius, immò potest sine culpâ credere minùs credibile; quia in his non datur lex obligans ad credibilius. Addo nullam esse paritatem, quia judicium ex. gr. quòd Sacramenta sint decem, non facit illa esse septem tantùm; at judicium, quòd tale opus non sit peccatum, facit non esse peccatum; ergo non valet, teneor in materiâ fidei ad credibilius; ergo in agibili ad probabilius. Contra 3. quia in illis verbis, intellectus non potest physicè assentiri minùs credibili, & si assentiretur illi, assentiretur, quia ex passione aliquâ illud apparet sibi evidenter credibile; in his, inquam, verbis, vel sibi contradicit, si affirmat simul, & negat, quòd assentiatur minùs credibili; vel apertè negat dari Hæreticos formales; qui enim assentitur evidenter credibili, non potest esse Hæreticus formalis; sed tunc Hæreticus assẽtiens objecto minùs credibili, assentitur illi, quia sibi ex passione apparet evidenter credibile; ergo non potest esse Hęreticus formalis. N. 347.

Confirmo: Ut enim dici non potest, quòd N. voluntas peccatoris amans temporale bonum à Deo vetitum, amet illud judicando esse melius Deo, aliàs omnis peccator esset Hæreticus; sed absolutè dici debet, quòd amet illud cognoscens non esse melius Deo, & bono spirituali opposito, & ideo peccat: ita dici non potest, quòd Hæreticus credens Christum D. non esse in Sacramento, credat hunc errorem, judicando esse evidenter credibilem, & articulum verum esse evidenter incredibilem, quia in hoc casu Hæreticus, & erraret per illud judicium judicando, nempe esse evidenter credibile Christum D. non esse in Sacramento; & esse evidenter incredibile eum ibi esse; & non esset Hæreticus formaliter; qui enim credit evidenter credibile, & non credit evidenter incredibile, non est formaliter Hæreticus. Contra N. 4. quia etsi tunc Hæreticus det locum passioni, ut proponat articulum falsum tamquàm evidenter credibilem, peccabit quidem dando locum passioni, non tamen credendo articulum falsum, quia assentitur tunc objecto evidenter credibili juxta Mercor. 348. 349.

Contra 5. quia dum ait peccatum infidelitatis non consistere in credendo oppositum fidei, sed in non credendo propositum sufficienter à fide, duo confundit, & ideò falsum dicit; quia etsi non credere Incarnationem sit contra præceptum positivum fidei obligantis ad assensum Incarnationis, attamen hic non est positivè Infidelis, (etsi non sit Fidelis) nisi habeat actum positivum, quo credat non Incarnationem: ut enim contra præceptum charitatis, temperantiæ, & aliarum virtutum possum dupliciter peccare, vel omittendo amorem Dei præceptum, vel committendo odium à Deo vetitum; ita contra præceptum fidei potest quis dupliciter peccare, vel omittendo actum fidei contra præceptum fidei obligans ponere illum, ex. gr. non credere Incarnationem; vel ponendo actum vetitum à præcepto negativo fidei, ex. gr. positivè credere non M.Mer. N. 350.

Incarnationem. Igitur. M. Mercor. ſemper petit principium, dum ait non poſſe Hebræum credere oppoſitum fidei, licèt poſſit non credere articulum fidei; cur enim non poteſt per diſſenſum poſitivum negare Incarnationem, niſi quia vis non poſſe intellectum aſſentiri objecto minùs credibili? Sanè
N. 351. ſicut in alijs virtutibus lex præcipiens actũ violatur per omiſſionem actus præcepti, & lex vetans actum violatur per poſitionem actus vetiti; ita in materiâ fidei, lex præcipiens actum fidei violatur per omiſſionem actus præcepti: ergo lex vetans actum oppoſitum violabitur per poſitionem actus vetiti, ſeu infidelitatis; nam nullus prohibet impoſſibile: ergo ſi infidelitas poſitiva prohibetur, eſt poſſibilis; ſed infidelitas poſitiva eſt circa oppoſitum fidei apparens minùs credibile; ergo eſt poſſibilis actus circa minùs credibile, quo modo amor circa minùs amabile.

Addo, & quæro à M. Mercoro, an Judæi poſitivè negantes adventum Meſſiæ, negaverint eum adventum, quatenus non adventus apparuit illis evidenter credibilior, quàm adventus? Si affirmat; ergo prudenter negarunt, etſi imprudenter, & ex culpâ permiſerint, ut paſſio proponeret non adventum, tamquam credibiliorem. Si negat; ergo habuerunt diſſenſum poſitivum circa minùs credibile. Confirmo 1. quia ſicut nullus dicet, quòd homicida, etſi ex paſſione procedat, nullus, inquam, dicet, quod judicet homicidium eſſe evidenter maius bonum non homicidio; immò ideò occidendo peccat, quia cognoſcit homicidium eſſe minus bonum, & eſſe vetitum: ita nullus dicere poteſt, quòd etſi Hæreticus ex paſſione, ex. gr. quia fides vera prohibetur illi ſub pœnâ mortis, & confiſcationis, nullus, inquam, dicere poteſt, quod judicet articulum falſum eſſe evidenter credibiliorem articulo vero; immò ideò peccat credendo falſum, quia cognoſcit ſe credere falſum, leviſſimâ veri apparentiâ tinctum. Confirmo
N. 352. 2. quia ſi Infidelis non poteſt credere minùs credibile, Deus prohibet credere magis credibile, quod eſt abſonum; prohibet enim aſſenſum circa articulum falſum; vel ergo aſſenſus circa tale objectum eſt circa credibilius, & ſic prohibet credere credibilius; vel circa minùs credibile, & ſic Infidelis poteſt credere minùs credibile. Vide quæ dixi *ſect.* 4. §. 1.

N. 353. Quartam impugno; quia non video, quomodo negari poſſit actum fidei eſſe ſaltem liberum libertate exercitij, eſto quis habeat evidentiam ſignorum, ſeu credibilitatis, nam omnes TT. docent oppoſitum, & ideo volunt, & ut certam admittunt, & neceſſariam ad fidem ſupernaturalem, piam voluntatis affectionem, cum S. Thomâ 2.2. *qu.* 1. *art.* 4. *& qu.* 2. *art.* 1. *ad* 3. quod efficaciter probat P. Suar. *d.* 6. de Fide *ſect.* 6. *&* 7. C. de Lugo ibi *d.* 10. *ſect.* 1. P. Hurt. de Mend. ibi *d.* 45. P. G. Hurtad. ibi *d.* 4. *diffic.* 7. P. Card. *tom.* 4. *d.* 13. *n.* 2. omnes enim ſentiunt noſtræ fidei myſteria eſſe evidenter credibilia, & Fidelem eſſe liberum credere, aut omittere actum fidei, ut patet tùm ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. dicente, homines diſponi ad juſtitiam, *dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*; tùm ex S. Auguſt. *tr.* 26. *in Joan.* dicente, *Multa poteſt homo facere non volens, credere autem non poteſt niſi volens*; tùm ex Scripturâ, quæ fidem ſæpe vocat obedientiam, ita *Act.* 6. *Multa turba Sacerdotum obediebat fidei*; & Apoſtolus 2. *ad Cor.* 10. ait: *Captivantes intellectum in obſequium Chriſti*, captivatur autem per voluntatem; tum ex S. Thomâ 2. 2. *qu.* 1. *art.* 4. dicente, aſſenſum fidei eſſe liberum; tùm ratione, quia Dei revelatio, quæ eſt ſaltem partialiter objectum fidei, obſcurè proponitur; nam evidentia ſignorum reddit quidem evidentè credibilem revelationem, non autem reddit evidentem revelationem: ergo cùm motivum formale fidei non ſit evidens, non neceſſitat intellectum ad aſſenſum. Addo: Si fides non eſſet libera, non eſſet meritoria, cùm meritum ſupponat libertatem. Vide TT. P. Ripald. P. Bernal. Herinx, Maſtrium, Pontium, Gonet. &c.

S. Th. P. Suar. C. de Lugo, P. Méd. P. G. Hurtad. P. Card. Tridẽ. Act. 6. 2. ad Cor. S. Tho. N. 354. P. Rip. P. Bern. Herinx. Maſtr. Pontius. Gonet.

Contra 2. quia evidentia ſignorum neceſſitat intellectum ad judicium evidens credibilitatis, non autem ad actum fidei, & in hoc æquivocatur M. Mercor. confundens judicium fundatum in evidentiâ ſignorum, quod dicitur judicium evidens credibilitatis, cum ipſo actu fidei ſequente ad judicium evidens credibilitatis; hoc enim quia evidens ſuſpendi non poteſt; poteſt autem actus fidei, quia inevidens. Contra 3. quia dicere, quòd actus fidei ſit liber, eò quia poteſt imperari ex hoc, aut illo motivo, eſt negare fidei libertatem; hoc enim modo etiam actus ſcientiæ liber erit; nam poteſt Mathematicus ex hoc, vel illo motivo, ex. gr. lucri, vel honoris, imperare ſibi mathematicam demonſtrationem: ergo in Fideli nulla alia libertas dabitur, quàm quæ in Mathematico; ſed hoc dici non poteſt, nam demonſtratio mathematica nititur præmiſſis evidentibus, actus autem fidei nititur teſti-

M. Mer. N. 355.

monio

monio Dei obscurè proposito, etsi evidenter credibili: ergo &c.

Contra 4. quia sicut aliarum virtutum actus non tantùm sunt liberi, ut fiant ex hoc, vel illo motivo, ex. gr. amor Dei non tantùm est liber, quatenus esse potest, vel ex Dei bonitate ut sibi bonâ, vel ex eadem ut mihi bonâ, sed etiam est liber in se libertate exercitij, & contrarietatis, & non tantùm puræ diversitatis, quatenus voluntas est libera amare, & non amare; amare, & odisse; ita hoc idem dicendum est de actu N. 356. fidei, quatenus intellectus judicans evidenter credibilem existentiam revelationis, est liber credere, & non credere, credere, & discredere, ut benè Herinx *tom.* 3. *d.* 7. *a n.* Herinx. 11. & P. G. Hurt. *diffic.* 7. cùm fides non P. G. Hurtad. sit minùs meritoria, quàm aliæ virtutes. Sicut ergo libertas in his, ex. gr. licèt evidens sit melius esse amare Deum, quàm non amare, vel odisse, est ad extrema oppositа contradictoriè, & contrariè, non autem est ad actus tantùm diversos ex diverso motivo; & sicut evidentia, quòd melius sit amare, quam non amare, vel odisse Deum, non tollit à voluntate libertatem exercitij, seu contradictionis; & libertatem specificationis, & contrarietatis, non autem puræ diversitatis; potest enim amare, & omittere amorem; potest amare, & odisse Deum: ita etiam Fidelis liber erit ad actum, & non actum fidei; ad actum fidei, seu assensum circa articulum verum, & assensum circa articulum falsum. Evidentia enim de credibilitate Incarnationis non facit evidentem Incarnationem, sed unicè facit evidenter credibilem; eaque evidentia credibilitatis necessitat quidem intellectum ad judicium evidens de credibilitate, quod judicium non est actus fidei; non autem necessitat ad judicium de existentiâ Incarnationis; quia adhuc dato judicio evidenti de credibilitate existentiæ Incarnationis, intellectus est liber, tùm ut credat, datur Incarnatio; tùm ut omittat hunc actum; tùm ut credat, non datur Incarnatio. Contra 5. quia hæc doctrina pugnat cum priori: vel enim intellectus est determinatus ad credibilius, & sic caret libertate specificationis; vel non? & sic assentiri potest minùs credibili, & minùs probabili.

N. 357. Mer. Dices cum M. Mercor. intellectum esse liberum libertate specificationis, ut credat minùs credibile, quatenus potest deserere magis credibile, & magis considerare, aut unicè considerare minùs credibile, & dein credere. Sed contra 1. quia hoc modo ligatus erit liber, quia in sensu diviso à catenâ potest currere; quæ responsio ijs omnibus impugnari potest, quibus libertas Prædeterminantium. Contra 2. quia talis libertas specificationis datur etiam in habente evidentiam, nam potest Mathematicus abstrahere intellectum à tali demonstratione, & considerare oppositum; libertas autem, quæ à Theologis tribuitur fidei Divinæ, toto Cælo differt à libertate, quæ tribuitur scientię. Tertiò, quia intellectus debet simul cum motivis fidei, & hæresis habere potentiam ad credendum magis, vel minus credibile, & ad credendum verum, & falsum divisim; doctrina autem Mercori tollit simultatem potentiæ ad utrumque, & unicè concedit credendi potentiam in sensu diviso à motivis credibilioribus; quo modo Mathematicus habet potentiam negandi demonstrationem in sensu diviso ab evidentibus præmissis. Quæ autem libertas est ista? Sanè nulla: ergo vel intellectus non habet libertatem specificationis quoad credere, vel si habet, ut habet immediatam in alijs actibus meritorijs, habebit etiam immediatam ad actus fidei, adeoque assentiri poterit minùs credibili. N. 358.

Quintam impugno 1. quia in subdito fæpe est impossibile hoc judicium, judico esse verius, quod jubet Prælatus. Contra 2. quia obedientia stat cum judicio proprio dictante non esse probabilius, quod jubet Prælatus; etsi simul etiam judicare possit esse probabiliter honestum, quod jubet. N. 359.

Omitto impugnare, quæ tradit *art.* 7. ubi docet, quòd si una ex duabus opinionibus sit aliquantò probabilior alterâ, non poterit intellectus assentiri probabiliori, quia tunc dubitat, & una enervat aliam. Sed contra; quia hæc omnia satis rejecta sunt tota sectione. Hoc tantùm scio, quòd si quæ ex M. Mercor. retuli hoc §. sunt vera, nullus Hæreticus erit formalis, quia omnis assentitur semper credibiliori: erit quidem ignorans, quatenus assentitur articulo falso, quem putat esse credibiliorem, non tamen erit Hæreticus ob dictam rationem. Rursus omnis peccator erit Hæreticus, quatenus per errorem judicat melius esse nunc furtum non furto.

§. II.

Responsio M. Palanci.

SUMMARIUM.

Docet fidem esse liberam non immediatè, n. 360.
Docet Hæreticum ideo peccare hæresi formali, & imprudenter assentiri suæ sectæ, quia ex ejus culpâ apparet credibilior, n. 361. 362.
Docet, quòd temerè judicans, putet se gravissimæ

simæ rationi niti, quæ talis apparet illi ex passione, n. 363.

Docet, quòd ut actus sit liber, si sit imperatus, non est necesse, ut eodem, & pro eodem instanti possit existere, quo est potentia, n. 364.

Ait, argumentum ex Immac. Conceptione plus virulentiæ continere, quam efficaciæ, n. 365.

Ait, post Decretum Alex. VII. esse illicitum disputare, an Deipara fuerit cum labe concepta, n. 366.

Ait, PP. Dominicanos, vel supponere opinionem piam esse probabiliorem, vel, suspenso examine probabilitatis utriusque opinionis, celebrare Conceptionem ex sensu, quo Ecclesia, n. 367.

Ait, licèt non sit de fide, quòd Deiparæ Conceptio non sit sancta primo animationis instanti, est tamen de fide, quòd sit sancta in eo sensu, & pro eo instanti, quo Ecclesia eam colit, n. 368.

Impugnatur, à n. 369.

Nolle considerare motiva nostra, est actus voluntatis; ergo non potest esse hæresis, n. 370.

Cur actus nixus motivo, quod ex inconsideratiâ oppositi apparet credibilius, non sit hæresis formalis, fusè à n. 371. ad 376.

Sicut aliis virtutibus inest libertas immediata contrarietatis, ita fidei, à n. 372.

Non daretur judicium temerarium, n. 376.

Actus liber debet esse eo instanti, licet non omni eo instanti, quo potentia, n. 377.

Omne constituens potentiam proximam liberam debet componi posse cum actu; alias fides non foret libera, nec hæresis, nec assensus, nec dissensus opinativus, late à n. 376. ad 380.

Tota libertas immediata erit circa motiva, n. 381.

Etsi non liceat disputare, an liceat opinari? n. 382.

Contradictio Palanci, n. 383.

Alibi requirit judicium directum de veritate rei; hic dicit, satis esse judicium de probabilitate, n. 384.

Laudantur PP. Dominicani, n. 385.

Ostenditur efficacia argumenti ex Immac. Conceptione, à n. 382. ad 386.

N. 360. Palanc. Postquam Palanco *qu.* 26. *à n.* 110. cum communi TT. suppositum fidem Divinam esse liberam non tantùm libertate contradictionis, quatenus Fidelis potest credere, & non credere, sed etiam contrarietatis, quatenus potest credere mysteria fidei, vel credere errores oppositos, ait 1. actum fidei esse liberum libertate tantùm mediatâ, non immediatâ contrarietatis; id est, actus fidei non est ita liber, ut stante consideratione articulorum nostræ fidei, intellectus possit proximè assentiri illis, aut positivè dissentiri illis, credendo errores oppositos; sed tantùm dissentiri potest non consideratis fidei nostræ motivis; atque adeo intellectus considerans motiva fidei ut credibiliora, non potest immediatè assentiri articulo falso, sed tantùm mediatè, quatenus potest non considerare nostræ fidei motiva, & considerare motiva opposita tamquam credibiliora, & sic assentiri his motivis oppositis propositis ut credibilioribus.

Ait 2. *à n.* 118. ideo Hæreticum dissentiri imprudenter nostræ fidei, & assentiri imprudenter suis erroribus, quia ex culpâ Hæretici apparent ei nostra mysteria, dum illis dissentitur, minùs credibilia; & ex ejus culpâ proprij errores, dum illis assentitur, apparent credibiliores; voluntariè enim negligit considerare, ut debet, nostra mysteria, quæ benè considerata, apparerent illi credibiliora; & tunc non posset, stante hâc maiori credibilitate, dissentiri nostris mysterijs. Hinc *n.* 119. dicit, quòd nolle considerare fidei motiva, non sit peccatum hæresis formaliter; est tamen, inquit, causaliter proximè, quia inde immediatè oritur, quod ejus errores appareant ei magis probabiles, & illis assentiatur, qui assensus erroneus, est formaliter peccatum hæresis voluntarium in causâ immediatâ, oritur enim ex eo, quòd ad fidei motiva attendere noluit. Idem repetit *n.* 124. dicens Hæreticos ideo peccare peccato hæresis formaliter, quia suis erroribus adhærent, & eos credibiliores judicant, non præmissâ comparatione motivorum pro suis erroribus, cum motivis nostræ fidei pro suis mysterijs. Et *n.* 127. ait, quòd Hæreticus formalis, dum actu fidem negat, habeat quidem motivum sufficiens pro credibilitate mysteriorum fidei, sufficiens, inquit, conditionatè, & remotè; & quod ex culpâ ipsius Hæretici, non est proximè, & absolutè sufficiens, quatenus ex commodo rei temporalis, aut odio in Ecclesiam, aut ex aliâ passione non vult seriò considerare, & conferre nostra motiva cum suis. N. 361.

Ait 3. *n.* 128. quòd temerè judicans putat se gravissimæ rationi inniti; quia tamen ea ratio illi apparet gravior ex defectu considerationis debitæ motivorum stantium pro judicio oppositio; ideo peccat, & temerè judicat. Quare temeritas judicij non consistit in eo, quòd nitatur fundamento levi, & quòd judicet contra motiva apparentia actu graviora, sed in defectu considerationis debitæ motivorum oppositorum. N. 362.

Ait 4. *a n.* 136. libertatem fidei, & opinionis satis superque salvari per hoc, quòd N. 363. Palanc.

N. 364.

dum

dum intellectus urgetur motivis æqualibus, possit eo instanti velle assentiri cuilibet pro instanti sequenti; non autem necesse est, ut possit assentiri eodem instanti alterutri ex motivis. Ratio est; quia ut actus aliquis sit liber, non est necesse, quòd in eodem, & pro eodem instanti, in quo est potestas, possit existere actus, si sit actus imperatus; qui enim sedet, dum sedet, habet libertatem proximam ad surgendum, & tamen non potest in eodem instanti, & pro eodem instanti surgere, sed solùm immediatè post: ergo à pari ut homo sit liber credere hoc, aut illud, dum actu considerat motiva utriusque, non est necesse, quòd possit assentiri pro eo instanti, quo considerat motiva contraria partis affirmativæ, ut validiora, sed sufficit, quòd possit velle pro eodem instanti assentiri affirmativæ, & ex hoc velle, sequatur immediatè post suspensio considerationis pro negativâ, & consequenter ad defectum dictæ considerationis sequatur assensus affirmativæ.

N. 365. Palanc. P. Teril. P. Moy. Ait 5. *n.* 139. argumentum ex opinionibus contrarijs circa Immaculatam Conceptionem, quod Teril. & Moya celebrant, plus virulentiæ continere contra Dominicanos, quàm efficaciæ contra suam sententiam; & *n.* 140. redarguit P. Moyam dicentem, Dominicanos adhuc sentire Deiparam in originali conceptam; & quærit ab eo undenam hoc sciat, nam animi sensus non nisi per os dignoici potest: sed PP. Dominicani post Alexandri VII. Decretum numquam asseruere Deiparam in originali conceptam, licèt aliqui hoc ante illud Decretum asseruerint: ergo perperam P. Moya docet eos ita sentire. Dein ut argumentum solvat, negat suppositum, nempe, quòd liceat disputare, an necne Deipara sit in originali concepta; eo enim ipso, ait *n.* 139. quòd

N. 366. Ecclesia silentium illis indixit, ne partem, quam olim PP. Dominicani defendebant, publicè proferant, eò ipso non licet, nec asserere, nec probabilius judicare esse in peccato conceptam; & esse minùs probabile, quod sit sine peccato concepta. Qui enim, inquit, hodie defenderet, quòd sit minùs probabilis opinio negans esse in peccato cõceptam; & quòd sit magis probabilis affirmans esse in peccato conceptam, absque dubio contraveniret Decreto Alexandri hoc prohibentis: ergo cùm PP. Dominicani sint obsequentissimi Ecclesiæ filij, non asserunt, nec defendunt opinionem piam pro Immac.

N. 367. Conceptione esse minùs probabilem oppositã, nec hoc putare possunt, stante in suâ vi citato Decreto. Quare subdit præsumendum esse, quòd opinio pia, vel sit illis longè probabilior; vel suspenso examine probabilitatis utriusque opinionis, tam piæ, quàm minùs piæ, Deiparæ Conceptionem celebrari eo sensu, quo celebrat Ecclesia, abstrahendo ab opinionibus inter DD. controversis: etsi enim non sit de fide Conceptionem primo instanti animationis fuisse Immaculatam, adeoque nec sit de fide Deiparæ Conceptionem esse dignam cultu hyperduliæ in eo instanti; attamen de fide est Deiparæ Conceptionem esse sanctam, & cultu hyperduliæ dignam in eo sensu, & pro eo instanti, pro quo, & in quo Ecclesia Catholica eam colit; ac proinde securiùs, & certiùs in hoc sensu colitur, quàm secundùm hanc, vel alteram opinionem. Quare concludit esse sibi incredibile, quòd PP. Dominicani post Alexandri Decretum asserant, quòd opinio pia adhuc sit ipsis minùs probabilis.

N. 368. Impugno primam omnibus quæ adduxi contra Merc. cur enim negatur fidei libertas immediata contrarietatis, nisi præcisè, ut neget intellectum esse immediatè liberum, ut assentiatur errori proposito eo instanti ut minùs credibili, immò ut prudenter incredibili?

N. 369. Secundam impugno; quia nolle considerare motiva nostræ fidei, quæ considerata ut debent, apparerent evidenter, & unicè credibilia, non est peccatum hæresis formalis, sed infidelitatis; ut enim velle considerare motiva nostræ fidei, ob quæ apparet unicè prudenter credibilis, non est fides formalis, nam fides est actus intellectus, illa autem volitio est actus voluntatis; ita nolle considerare illa, sed velle considerare opposita, ob quæ articulus falsus apparet credibilior, non est hæresis formalis, hæc enim est actus intellectus, illa autem nolitio est actus voluntatis. Dicere autem, quòd actus intellectus nixus motivis stantibus pro articulo falso, & ob quæ apparet credibilior articulo vero, ex culpabili non consideratione motivorum, quæ stant pro articulo vero, sit hæresis formalis, est nihil dicere. Tum quia assensus ille erroneus, quem Palanco *n.* 119. ait esse formaliter peccatum hæresis; nititur motivo credibiliori: sed assensus nixus motivo, quod ex culpabili non considerationem motivorum nostræ fidei, apparet credibilius, non potest esse peccatum hæresis formalis: ergo dictus assensus erroneus, nixus motivo viso credibiliori ex culpabili inconsiderantiâ motivorum veræ fidei, non potest esse hæresis formalis. Minor probatur; quia licèt illud motivum, cui nititur assensus erroneus, appareat credibilius ex culpabili

N. 370.

Palanc.

N. 371.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pabili inconsiderantiâ motivorum veræ fidei, attamen nulla est culpa, immò juxta Palanco datur necessitas assentiendi credibiliori: ergo licèt assensus ille erroneus sit peccatum in causâ, quatenus Hæreticus considerare non vult motiva veræ fidei, nullum tamen est peccatum in se; ergo dictus assensus erroneus non est peccatum formale in se, sed tantùm in sui causâ; ergo dictus assensus multò minùs est peccatum hæresis formalis in se. Tùm quia assensus erroneus nixus motivo, etsi ex negligentiâ culpabili, credibiliori, nititur motivo credibiliori; & ita nititur, ut stante illâ maiori culpabili credibilitate, Hæreticus non sit liber credere oppositum, quia intellectus stans inter magis, & minus credibile, tenetur, si assentiri velit, assentiri credibiliori, ut docet Palanco: ergo per talem assensum erroneum non est formaliter Hæreticus, quia ad illum tenetur, si ejus motivum sit, etsi ex culpâ, credibilius; sed unicè erit Infidelis, quatenus negligit considerare motiva veræ fidei, quæ considerata apparerent credibiliora.

N. 372. Tùm quia absque omni ratione, & præcisè ut defendatur, quòd intellectus non possit assentiri immediatè objecto minùs probabili, & minùs credibili, negatur in Fideli, & in Hæretico libertas immediata contrarietatis; si enim hæc admittitur in omni virtute, nam amans bonum delectabile præ honesto, adhuc judicat maius bonum esse bonum honestum, quàm bonum delectabile, & tamen adhuc stante eo judicio habet libertatem immediatam ad amplectendum bonum delectabile, quod judicat minus, & contrarium bono honesto; cur hæc libertas immediata contrarietatis negabitur in materiâ fidei? Ergo licèt Hæreticus judicet suum articulum esse minùs credibilem, & oppositum esse credibiliorem, adhuc hoc judicio stante poterit per errorem assentiri suo, & dissentiri nostro. Quare argumentum Palanci probat quidem, quòd assensus erroneus

N. 373. præstitus objecto ex culpâ credibiliori, sit culpa, quòd fatemur, nam est culpa in causâ, quatenus Hæreticus culpabiliter negligit considerare, ut debet, nostræ fidei motiva, & ideo suæ sectæ motiva apparent illi credibiliora. At non probat, quod assensus præstitus objecto apparenti ex culpabili negligentiâ credibiliori, sit culpa in se; immò juxta Palanco volentem, quòd intellectus teneatur assentiri credibiliori, ita ut non possit assentiri minùs credibili, non potest ille assensus esse culpa in se. Rursus non pro-

N. 374. bat, quòd assensus erroneus præstitus objecto ex culpâ credibiliori, sit hæresis formalis; tum quia omnis hæresis formalis est formaliter, & immediatè in se peccatum; sed ille assensus est tantùm peccatum in causâ, nempe in culpabili negligentia Hæretici nolentis considerare motiva nostræ fidei; ergo ille assensus non est hæresis formalis: tum quia tota ratio peccati in eo assensu procedit ex nolitione considerationis motivorum nostræ fidei; sed talis nolitio non est hæresis formalis, est enim actus voluntatis, & ad summum est peccatum infidelitatis; ergo talis assensus erroneus nixus objecto apparenti, ex culpâ, credibiliori, non est hæresis formalis.

Confirmo: quia ex Palanco tenemur conformari nos dictamini vincibiliter erroneo: N. 375. ergo licèt sit culpa nolle considerare veræ fidei motiva, suppositâ tamen eâ non consideratione, & maiori credibilitate articuli falsi ex eâ ortâ, nulla est culpa articulo falso assentiri; ergo si nulla nova culpa adest, nulla quoque hæresis formalis erit in eo assensu, nam volitio non considerandi verè fidei motiva, ad quam inconsiderantiam sequitur, quod articulus falsus videatur credibilior, non est hæresis; similiter non est hæresis formalis, sed ad summum materialis, (nam non est peccatum in se formale) assensus ille erroneus præstitus objecto, quod ex culpâ apparet credibilius.

Tertia impugnata manet ex dictis; nam N. nullum judicium esset in se formaliter, & 376. immediatè peccatum, sed tantùm in causa, proponente tamquàm gravius fundamentum, illud, quod in se est levissimum.

Quartam impugno; quia ea doctrina to- N. tam libertatem evertit, & non est ad rem. 377. Non est ad rem; quia nemo dicit, quod ut actus sit liber, debeat poni eo omni instanti, quo est potentia, sed satis est, ut actus sit eodem instanti cum suâ potentiâ liberâ; ita sessio, etsi consequens ad volitionem sedendi, est libera, quia stat cum ipsâ volitione eodem instanti; etsi sessio non sit omni eo instanti, quo volitio, nam volitio est prior sessione. Evertit totam libertatem, quia ut N. actus aliquis sit liber, necesse est, ut omnia, 378. quæ constituunt ejus potentiam, talia sint, ut invariata stare possint cum actu opposito; est enim simultas potentiæ, etsi non sit potentia simultatis: ergo ut fides, & opinio sint libera, necesse est, ut omnia, quæ ex parte actus primi requiruntur ad actum fidei, componi possint cum hæresi formali: sed credibilioritas nostræ fidei prærequiritur ex parte actus primi ad actum fidei: ergo N. hæc ipsa credibilioritas nostræ fidei per- 379. sistere debet, quando quis elicit hæresim forma-

formalem ; ſed ea non perſiſtit ; ergo nec fides, nec hæreſis formalis ſunt liberæ. Nam ad actum fidei prærequiritur ex parte actus primi credibilioritas noſtræ fidei, quæ credibilioritas noſtræ fidei non prærequiritur ad hæreſim formalem ; immò ad hanc juxta Palanco prærequiritur credibilioritas articuli falſi: ergo nec fides eſt libera, quia tunc
N. 380. non datur potentia proximè expedita ad hæreſim ; nec hæreſis eſt libera, quia tunc non datur potentia proximè expedita ad actum fidei. Idem dico de opinione, nulla enim erit immediatè libera, nam hic aſſenſus, *licitum eſt pingere*, ita prærequirit ex parte actus primi motivum probabilius, ut motivum diſſenſus apparere ſimul debeat minus probabile : & hic diſſenſus, *non eſt licitum*, ita ex parte actus primi prærequirit motivum probabilius pro negando, ut motivum aſſenſus apparere ſimul debeat minùs probabile : ergo neque aſſenſus, neque diſſenſus opinativus erit immediatè liber, ſed tota libertas erit ad ſummum mediata; ſeu erit libertas aſſumendi modo motivum A ut probabilius, & motivum B, ut minùs probabile ; & econtra, modò motivum B ut probabilius, & motivum A, ut minùs
N. 381. probabile : ergo tota libertas immediata erit circa motiva, non circa actus ; nulla autem eſt ratio tribuendi libertatem immediatam circa motiva, & negandi circa actus, niſi præciſè, ut defendatur placitum, ſeu quòd intellectus aſſentiri non poſſit minùs probabili. Addo talem fore opinantiũ libertatem, qualis eſt hominis ligati in ordine ad motum ; ut enim iſte non eſt liber ad motum, niſi in ſenſu diviſo à catenâ, ita homo non eſt liber diſſentiri, niſi in ſenſu diviſo à motivo probabiliori ſtante pro aſſenſu.

N. 382. M. Bar. M. Mer. P. Moy. Quintam impugno 1. quia do non eſſe licitum diſputare, an Deipara ſit ſine labe concepta ; quæro, an ſit licitum in utramque partem opinari ? Si non eſt ; fateor argumentum nullum eſſe, ut dicam *diſp.* 10. quia tamen hoc non docent M. Baro, & M. Mercorus, contra quos P. Moya ad hominem arguit ; ideo contra illos eſt inſolubile, ſuppoſitâ eorum doctrinâ ; nam vel negare debent licitum opinari minùs piam, quod non negant, immò oppoſitum affirmant ; vel ſi licet opinari minus piam, ſequitur evidenter, quòd detur ſimultas probabilitatis utriuſque opinionis, immò quòd liceat ſequi mi-
N. 383. Palanc. nùs probabilem, ut infrà. Contra 2. quia non video, quomodo hæ duæ propoſitiones, quas Palanc. tradit *n.* 179. ſint liberæ à contradictione. Non eſt de fide Deiparam fuiſſe primo animationis inſtanti immaculatam; nec eſt de fide ejus Conceptionem eſſe eo inſtãti dignam cultu hyperduliæ : Eſt de fide Conceptionem Deiparę eſſe ſanctam, & dignam cultu hyperduliæ in eo inſtãti, pro quo, & in quo eam colit univerſaliter Eccleſia Catholica. Non, inquam, video ; nam Eccleſia Catholica univerſalis, vel putat Deiparæ Conceptionem eſſe ſanctam, & dignam cultu hyperdulię pro inſtãti immediatè ſequenti ad animationem, & ſic non celebrat Immaculatam Conceptionem Deiparæ pro primo inſtanti animationis ; hic autem ſenſus videtur alienus à ſenſu Fidelium, qui colunt immunitatem ab originali Deiparæ pro omni inſtanti ; ergo pro primo, & non tantùm pro ſecundo. Vel putat Eccleſia, Deiparæ Conceptionem eſſe dignam cultu hyperduliæ pro primo animationis inſtãti; tunc autem ſecunda propoſitio opponitur primæ. Contra 3. quia alibi Palanco declamat contra nos, quòd ſine judicio directo de veritate rei, cum ſolo judicio de certâ probabilitate veritatis poſſimus licitè operari; hic autem ait, quòd PP. Dominicani hodie poſt Alexandri VII. Decretum, vel putent opinionem piam eſſe probabiliorem; vel ſaltem, quòd ſuſpenſo examine veritatis, & probabilitatis opinionis magis, & minùs pię, celebrent Deiparæ Conceptionem. Hoc autem idem eſt ac dicere, quòd celebrent Conceptionem ſine judicio prævio de veritate immunitatis à peccato ; immò de probabilioritate, aut probabilitate immunitatis à peccato. N. 384. Palanc.

Contra 4. Si redarguit P. Moyam, cò quòd dicat PP. Dominicanos adhuc poſt Alexandri Decretum ſentire Deiparam eſſe cum originali conceptam ; redarguit, inquam, quòd eorum interiora explorare velit ; quomodo in hoc ipſum longè peius Palanco incidit, dum ait argumentum ex Deiparæ Conceptione à P. Terillo, & P. Moyâ adductum, plus virulentię, quàm efficacię continere? Satius fuiſſet ſe emendare, quàm alios (præcipuè P. Moyam, & Terillum adeo benemeritos) virulentię in Religionem ſanctitate, & magiſterio orbi toto celebrem culpare. Ego ſanè ejus indolis ſum, ut nec levi
N. 385. dignarer aſpectu P. Moyę, & Terilli lucubrationes, ſi ſcirem in clariſſimam Religionem virulentos, ſanctum enim apud me eſt, nemini ſapientiæ lumen prælucere, qui in integram Religionem aculeum exerit. Poterat igitur M. Palanco ſibi temperare, alijs parcere, & argumentum ſolvere. Nam eo Deiparæ argumento utitur P. Moya ad hominem contra M. Baro, & M. Mercor. qui volunt probabilius ſibi eſſe Deiparam cum originali P. Teril. P. Moy. P. Moy. M. Bar. M Mer.

originali conceptam; ait autem P. Moya, quòd si hoc est illis probabilius, non poterunt colere Deiparam primo instanti creationis, & infusionis animæ in corpus ab originali præservatam, ut declarat Alex. VII. nam juxta eosdem illicitum est sequi minùs probabilem. De cætero P. Moya magnâ eruditione jure merito asserit *tom. 2. tr. 1. qu. 2. §. 2.* certissimum sibi Deiparam sine labe conceptam, subdens, quòd licèt Alexander vetet, ne quis *asserat*, quòd opinans Deiparam in peccato conceptam, sit Hæreticus, aut peccet mortaliter, non tamen vetat, ne quis ita sentiat. Hoc certum, quòd sine peccato saltem veniali, non licet opinari minùs piam. Vide P. Moyam *loco citato n. 22.* cui omnino subscribo, paratus ipsâ sanguinis effusione hoc Deiparæ privilegium tueri; & me *d. 2. n. 130.*

N. 386.

§. III.

Responsio P. Thyrsi.

SUMMARIUM.

Docet Hæreticum assentiri suo objecto, tamquam certo, quia nullus Hæreticus putat se Hæreticum, n. 388.

Docet, quòd DD. Catholici suis opinionibus assentiuntur cum formidine; Hæretici, sine ullâ, suis erroribus, n. 389.

Docet, quòd si nostra fides proponeretur Hæretico, ut credibilior, & sui errores, ut incredibiles, non posset his assentiri, n. 390.

Docet omnem Hæreticum rogatum, cur suæ sectæ adhæreat, dicturum, quia ea proponitur, ut certa, & nostra fides, ut falsa, n. 391.

Docet Hæreticum eo instanti, quo suos errores credit, non esse liberum amplecti nostram fidem, nec Catholicum, fidem Calvini, num. 392.393.

Docet quemlibet nostra motiva penetrantem experiri, sibi impossibile esse dissentiri, & credere falsum, n. 394.

Docet actum fidei non esse immediatè liberum quoad specificationem, sed tantùm quoad exercitium, n. 395.

Assignat discrimen, quòd actus scientiæ est tantum liber quoad usum; actus fidei quoad usum, & exercitium, n. 396.

Ait judicium temerarium niti indicijs judicanti gravibus, etsi ex passione, n. 397.

An suspicio sit peccatum grave, ex S. Thom. n. 398.

Docet judicium temerarium stare in certo judicio de malitiâ proximi, nixo indicijs ex se levibus, sed ex passione gravibus, n. 399.

Docet, quòd si temerè judicans cognosceret levitatem fundamenti, eodem instanti inferret, & resarciret injuriam, n. 400.

Causæ judicij temerarij ex S. Thom. n. 401.

Tota doctrina P. Thyrsi est suppositio suæ conclusionis, n. 402.

Discrimen inter libertatem, quam P. Thyrs. & nos damus Catholico, & Hæretico, n. 403.

Falsum, quòd Hæreticus non putet se Hæreticum; cur? n. 404.

Falsum, quòd nostra ratio nimis probet, hic enim illud nimis *est idem, ac* magis, n. 405.

Falsum, quòd si nostra fides est Hæretico evidenter credibilior, non poterit assentiri suæ; cur? n. 406.

Certitudo, una est purè affectiva, & hæc convenit Hæretico; alia intellectualis, n. 407.

Propria secta est Hæretico imprudenter credibilis, & prudenter incredibilis, n. 408.

Ut alijs virtutibus, ita fidei convenit libertas immediata contrarietatis, imò careret etiam libertate immediata contradictionis, fusè à n. 409. ad 412.

Rationes ex duplici damnatâ ab Innoc. ibid.

Hæretico tantum abest, ut sua secta videatur credibilior, quin experientia docuit me oppositum, n. 413.414.

Idem ex S. Thom. n. 415.

Hæreticus erit necessariò Hæreticus, & Catholicus necessariò Catholicus, n. 416.

Falsum, quòd Hæreticus careat potentiâ proximâ credendi nostram fidem, n. 417.

Confunditur evidentia credibilitatis, quæ datur, cum evidentiâ locutionis, quæ non datur, n. 418.

Certitudo fidei unde, ibid.

Si fides non est libera libertate contrarietatis immediatâ, nec contradictionis, & nemo credendo meretur, n. 419.

Non dabitur judicium temerarium, nec peccatum formale judicij temerarij, nec in se erit peccatum, sed tota temeritas erit in passione, n. 421.422.423.

S. Thom. omnino contrariatur, n. 424.

Potest intellectus certitudine affectivâ tenere pro certo aliquid ex levibus indicijs, & firmè assentiri firmitate affectivâ minùs verisimili, n. 425.

Falsum, quòd cognoscens se temerè judicare, resarciat injuriam, n. 426.

Assignanda est malitia formalis judicij temerarij distincta à passione, à quâ oritur, num. 427.

S. Thom. est contra P. Thyrsum, nam ait, opinatur ex levibus, n. 428.

Contradictio P. Thyrsi, n. 429.

LAudatus Doctor *dis. 3. à n. 21.* nostras paritates ex peccato infidelitatis, & judicij N. 387.

dicij temerarij, quibus putamus evidenter probari intellectum posse ex voluntatis imperio assentiri minùs probabili, stante oppositio evidenter probabiliori, immò unicè prudenter credibili, & probabili, enervare contendit.

N. 388. Itaque ait 1. *n.* 22. nostro argumento nimis probari; Hæreticus enim non assentitur suis erroribus, tamquam objecto minùs verisimili, quàm fides Catholica, sed tamquam objecto apud se omnino fixo, & certo; nullus enim Hæreticus putat se esse Hæreticum, quin putat se defendere veritatem infallibilem; aliter enim suis erroribus assentitur, ac Doctor Catholicus assentiatur conN. clusioni inter DD. controversę; iste enim 389. assentitur cum formidine oppositi, nec ejus assensus est in ejus existimatione omnino firmus: ergo nimis probat argumentum, quia probat, quòd Doctor assentiatur suæ opinioni sine formidine, quo modo Hæreticus suo errori sine illâ. Confirmat *n.* 23. Si N. 390. quoties Hæreticus peccat peccato hæresis, mysteria nostræ fidei essent illi internè satis proposita, ita ut illis assentiri teneretur; sequeretur, quod mysteria nostræ fidei proponerentur illi ut evidenter credibiliora, adeoque haberet evidentiam credibilitatis, quòd Deus esset Author eorum. Nam evidentia credibilitatis nostræ fidei non tantùm est (ait *n.* 24.) evidentia probabilitatis, aut probabilioritatis, qualis datur inter opiniones, sed est evidentia ita reddens prudenter credibilem nostræ fidei doctrinam, ut oppositam reddat incredibilem, & ideo inducit obligationem amplectendi ut veram nostræ fidei doctrinam, quam obligationem non induceret, si esset solùm evidenter credibilis tamquam doctrina verisimilior contrarijs doctrinis: ergo si quoties Hæreticus assentitur suis erroribus, & peccat peccato hæresis, nostræ fidei doctrina est illi proximè proposita, non tantùm cognoscit nostram doctrinam esse verisimiliorem proprijs dogmatibus, sed cognoscit esse unicè tunc credibilem, & dignam fide certâ; & econtra cognoscit incredibilia esse sua dogmata, quomodo his adhæret per assensum sibi omnino certum? Implicat enim, ut quis sine formidine credat firmiter objectũ propositum sibi ut omnino incredibile, & rejiciat ut erroneum objectum propositum sibi ut dignum fide certâ: ergo nostrum argumentum nimis probat.

Hinc *n.* 25. ait Hæreticum eo instanti, quo suis erroribus pertinaciter adhæret, non habere potentiam proximam, ut assentiatur nostræ fidei mysterijs, nec illa proponi illi ut verisimiliora, & multò minùs, ut evidenter credibilia credibilitate inducente obligationem credendi; id autem oritur ex ejus malitiâ; quia, ut docet P. Valen. *tom.* 3. *d.* 1. P.Thyr. communiter, qui fidem non admittunt ex P. Val. malitia, aut affectu erga se, aut suos Magistros, impediuntur, & excæcantur, quò minùs possint motiva fidei perspicere, adeoque mirum non est, si evidentia de credibilitate nostræ fidei careant.

Confirmat 2. *n.* 26. quia nullus Hæreti- N. cus rogatus, cur potiùs suæ sectæ, quàm no- 391. stræ fidei adhæreat, respondebit, se cognoscere, quòd nostra fides sit evidenter credibilis, & longè verisimilior propriâ sectâ; se tamen velle intellectu amplecti suam sectam cognitam, ut minùs verisimilem: sed quilibet respondebit, ideò se nolle nostram fidem amplecti, quia nostra fides proponitur sibi ut falsa; econtra propria secta proponitur sibi ut omnino certa; hoc tamen eos non excusat, quia ex eorum malitia provenit, quâ voluntariè oculos luci claudunt, quòd non videant præeminentiam credibilitatis nostræ fidei, quia mentem non applicant sincero motivorum nostrę fidei examini.

Ait 2. *n.* 27. ex S. Thomâ 2. 2. *qu.* 11. *art.* N. 1. probante, quòd hæresis sit species pecca- 392. ti infidelitatis, & tamen idem S. Thom. 2. P.Thyr. 2. *qu.* 10. *art.* 1. *in corp.* ait, quòd peccatum S. Tho. infidelitatis *consistat in contrarietate ad fidem, quâ scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam*: ergo non consistit in eo, quòd cognitâ evidenti mysteriorum credibilitate, dissentiat illis adhærendo dogmati contrario; quia impossibile est, ut quis dissentiat objecto eo instanti, quo proponitur ut evidenter verosimilius oppositio; & adhæreat tamquam certo, objecto oppositio, proposito ut minùs verisimili. Et *n.* 28. ait: *Fateor, quòd Infidelis possit cognoscere evidentem nostræ fidei credibilitatem, nec tamen eam amplecti ob malitiam, aut ejus difficultatem, quia fidei motiva evidenter cognita, etsi obligent, non tamen cogunt ad assensum.* Cæterum subdit: *Eo instanti non potest intellectualiter amplecti sectam contrariam, licet externè eam profiteretur, quia non potest quis credere ut certum, id, cujus oppositum cognoscit esse evidenter fide digines.*

Ait 3. *n.* 29. quòd sicut Hæreticus eo in- N. stanti, quo suis erroribus pertinaciter adhæ- 393. ret, non habet potestatem proximam assen- P.Thyr. tiendi nostræ fidei, ita nec Catholicus assentiens nostræ fidei sibi sufficienter propositę, nequit eidem dissentiri, quia non potest actum fidei supernaturalis circa nostra mysteria elicere, nisi ei proponantur ut credibilia

bilia fide Divinâ, seu certâ, & infallibili, ut
S. Th. docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 1. *art.* 4. *ad* 2. &
C. Caie. Caiet. dicens, Nullus aliquid verè, hoc est, absque formidine alterius partis, & virtuosè, hoc est, prudenter, credit, nisi evidenter cognoscat illud esse credibile: & P. Ripald. *d.* 6. *n.* 48. C. de Lugo, P. Suar. & alij. Cùm ergo quicumque credit fide Divinâ nostra mysteria, (ait *n.* 31.) habere debeat evidentiam de eorum credibilitate, sequitur, quòd eo instanti non habuerit potestatem proximam antecedentem ad dissentiendum illis, quia implicat, ut intellectus evidenter cognoscens mysterium esse fide omnino certâ credibile, non cognoscat idem esse evidenter verosimilius suo contrario; implicat autem, ut intellectus judicet esse falsum id, quod suo opposito evidenter proponitur sibi ut verosimilius. Confirmat *n.* 32. quia homo penetrans credibilitatem nostræ fidei, experitur sibi impossibile eidem dissentiri, & credere falsum, nam evidenter cognoscit Deum esse authorem illius; implicat autem, ut corde sibi persuadeat falsam esse doctrinam, cujus Deus est Author: ergo Catholicus eo instanti, quo actum fidei elicit, non habet potestatem proximam ad dissentiendum eidem fidei ut falsæ, & amplectendum errorem oppositum ut verum; quia implicat, ut quis amplectatur ut certum, quod evidenter cognoscit esse incredibile.

P. Rip. C. de Lugo, P. Suar. N. 394.

Hinc concludit, quod licèt actus fidei sit liber, & necessario supponat affectum efficacem voluntatis determinantis intellectum ad eum eliciendum; non est tamen (ait *n.* 33.) immediatè liber quoad specificationem, quia non oritur ab intellectu proximè potente ex voluntatis imperio elicere dissensum oppositum; sed tantùm quoad exercitium, quia voluntas potest suspendere illum assensum; etsi enim mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia, sunt tamen difficilia, & obscura, & ideo non rapiunt intellectum ad assensum. Ita S. Thomam 2. 2. *qu.* 2. *art.* 9. & 10. docentem actum fidei esse vitæ æternæ meritorium, intelligendum putat, quatenus scientia est tantùm libera quoad usum, quia habitibus utimur, cùm volumus, & est in voluntatis potestate applicare intellectum ad considerationem rei scitæ: eâ tamen suppositâ consideratione, non est in potestate voluntatis continere assensum, quia principia demonstrationis actu considerata cogunt intellectum ad assensum conclusionis. At fides est libera quantùm ad usum, & quantùm ad assensum, quia non tantùm est liberum voluntati applicare intellectum ad considerandа motiva credibilitatis, quæ reddunt evi-

N. 395.

S. Th.

N. 396.

denter credibile mysterium ex se obscurum, sed etiam est liberum voluntati post hanc considerationem imperare assensum, vel non imperare assensum circa mysterium. Hæc sunt, quæ trahit contra paritatem sumptam ex peccato infidelitatis.

Alteram paritatem ex judicio temerario impugnat 1. quia judicium temerarium (ait *n.* 35.) non nititur indicijs levibus, immò gravibus in existimatione judicantis; licèt enim ea indicia sint re ipsâ levia, attamen in intellectu judicantis sunt gravia, & ratione passionis, odij, vel invidiæ proponuntur tamquam graviora. Neque hoc est operosum ostendere ex S. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. distinguente tres gradus judicij temerarij. Primus est suspicio, cùm malè dubito de famâ alicujus ob levia indicia; secundus, cùm aliquis pro certo malitiam alicujus æstimat ex levibus indicijs, & hoc est mortale, si sit de re gravi; tertius, cùm Judex ex suspicione descendit ad condemnandum. Porro omissis, quæ tradit de suspicione, an sit mortale, & quomodo differat à dubitatione, & opinione, ait *n.* 43. Judicium temerarium, quod extra controversiam est mortale, tunc intervenit, quando quis ex levibus indicijs pro certo credit malitiam gravem alicujus, id est, quando ex firmâ, & certâ sententiâ apud se judicat proximum graviter deliquisse; sed implicat, quòd hoc judicium temerarium sit assensus partis minùs verisimilis cognitæ ut talis ab ipso judicante; licèt enim intellectus ex imperio voluntatis posset assentiri parti minùs verisimili, implicat tamen, ut illi assentiatur per assensum firmum, cùm evidenter repugnet, ut quis pro certo habeat id, cujus oppositum cognoscit esse verosimilius: ergo judicium temerarium, quod est peccatum mortale, procedit quidem ex fundamento re ipsâ levi, non tamen cognito à judicante ut levi. Advertens enim se non habere nisi leve fundamentum, ut malè judicet, & simul advertens saltem exercitè se habere fundamentum longè gravius, ut benè judicet, implicat, ut stante hâc advertentiâ, possit formare judicium certum de malitiâ proximi; nam ad summùm suspicabitur cum grandi formidine oppositi; ergo ut formet judicium temerarium certum de malitiâ proximi, debet fundamentum pro malitiâ esse verosimilius fundamento de non malitiâ proximi.

P. T. N. 397. S. Tho. N. 398. N. 399.

Confirmat *n.* 42. Si ad temerè judicandum necesse esset, ut pro priori ad judicium cognosceret levitatem fundamenti, sequeretur, quòd temerè judicans eodem instanti inferret injuriam proximo, & eam resarciret; cognos-

N. 400.

cognoscens enim suum fundamentum esse leve, eò ipso cognosceret se sine fundamento malum judicare de proximo, adeoque sui judicij levitatem fateretur: ergo sicut per judicium temerarium auferret honorem, ita per judicium, quo sui judicij temerarij levitatem cognoscit, redderet honorem proximo: ergo implicat, ut pro priori ad judicium temerarium detur judicium de levitate fundamenti. Quare temeritas stat in hoc, (ait n. 43.) quòd dum ex passione iræ ex. gr. proponitur mihi valdè verisimile, quòd proximus sit malus, cùm deberem scire fundamentum, quod mihi videtur grave, esse re ipsa leve, fero contra proximum judicium, quod sit malus. Hoc ait docuisse S. Thomam 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. ubi assignans causas, cur ex levibus indicijs aliquis de proximo sinistrè judicet, hæc habet S. Thomas:

S. Th. N. 401. *Uno quidem modo contingit ex hoc, quòd aliquis ex se ipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius sui malitiæ faciliter de alijs malum opinatur secundum illud Eccles.* In via stultus ambulans, cùm sit ipse insipiens, omnes stultos æstimat. *Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis male afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, vel irascitur, vel invidet ei ex levibus signis, opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit:* ergo nullum est argumentum inferre ex judicio temerario, quòd intellectus possit ex imperio voluntatis assentiri minùs verisimili; nam temerè judicans, vel unicè attendit ad levia fundamenta avertens oculos à motivis impellentibus ad judicium prudens; vel si ad utriusque judicij motiva attendit, motivum judicij temerarij apparet longè verisimilius; nam repugnat, ut quis pro certo habeat unam partem, ut accidit in judicante temerè, si opposita apparet evidenter verisimilior. Hæc P. Thyrsus.

P. Thyr. N. 402. Sed tantùm abest, ut hæc doctrina infirmet nostras paritates, quin confirmat; & ipsæ solutiones, quas P. Thyrsus dat, non sunt nisi petitio principij. Ex eo enim, quòd supponat ut verum, quòd intellectus non possit physicè assentiri objecto minùs verisimili, negat Infidelem, dum assentitur suo errori, assentiri illi proposito ut minùs verisimili; immo vult, quod hæresis illi tunc proponatur, ut longè verisimilior. Rursus negat dari in Catholico potentiam proximam ad credendum verum, & falsum seorsim; sed tantùm vult dari in Catholico potentiam proximam ad credendum verum, & non credendum verum; & in Hæretico vult dari tantùm potentiam proximam ad credendum falsum, & non credendũ falsum; non autem ad credendum verum. Breviter: concedit in Catholico libertatem contradictionis ad verum, & non verum; negat autem contrarietatis ad verum, & falsum: & in Hæretico concedit tantùm libertatem contradictionis ad falsum, & non falsum; negat autem N. contrarietatis ad falsum, & verum. Ob eam- 403. dem hypothesim quòd intellectus nec physicè possit assentiri minùs verisimili, negat judicium temerarium niti levibus indicijs cognitis ut levibus, sed levibus cognitis ut longè gravioribus indicijs oppositis pro judicio prudenti de non malitia proximi: ecõtra nos assumimus ut verũ, quòd fides sit immediatè libera non tantùm libertate contradictionis ad verum, & non verum; ad falsum, & non falsum; ad assensum, & non assensum; ad dissensum, & non dissensum; sed etiam quòd sit immediatè libera libertate contrarietatis ad verum, & falsum; ad falsum, & verum; ad assensum, & dissensum; ad dissensum, & assensum; atque adeo eo instanti, quo Hæreticus assentitur suo errori, habeat potentiam proximam ad assentiendum articulo vero; & eo instanti, quo temerè judicans temerè judicat, habeat potentiam proximam ad judicium prudens de non malitiâ proximi; & ita quidem ut eo instanti, quo Hæretico proponitur articulus falsus, proponatur ei, ut evidenter credibilior, articulus verus; & eo instanti, quo temerè judicanti proponitur leve indicium pro malitiâ proximi, proponatur simul motivum longè probabilius pro non malitiâ: & ex his, quæ lumine naturæ videntur manifesta, nempe ex peccato infidelitatis, quo Infidelis liberè assentitur suæ hæresi propositæ ut parùm verisimili, potens pro priori assentiri articulo vero proposito illi eodem instanti, ut unicè evidenter prudenter credibili, inferimus aliquid minùs notum, nempe intellectum ex imperio voluntatis posse physicè assentiri objecto evidenter cognito ut minùs verisimili, & prudenter incredibili. Quare nos ex verissimis inferimus ignotum; econtra P. Thyrsus ex ignoto procedit ad negandum notum. Ideo P. Munnessa *stim.* 6. P. Mun. §. 12. *n.* 109. quamvis neget intellectum posse licitè assentiri minùs credibili, concedit tamen posse physicè, & ait: Sic proculdubio intelligitur, & explicatur aptiùs culpa judicij temerarij; & post pauca hæc habet: Si autem nec physicè, nec perversè id posset, non ita facilè intelligitur quâ ratione temerariè judicaret. Non enim temerariè judicat, qui non judicat: non autem judicat, qui nec physicam habet potestatem assentiendi ex imperio malo voluntatis, in prædictis etiam

circumstantijs. Ecce quid de opinione negante intellectui potentiam physicam ad minùs probabile, stante probabiliori, sentiat egregius Anti-Probabilista P. Munièsa. Sed per partes impugnemus P. Thyrsi doctrinam.

N. 404. Falsum primò est, quòd nullus Hæreticus credat se esse Hæreticum, sed potiùs se dicere infallibiliter verum: falsum, inquam: ut enim peccator, dum peccat contra virtutes morales, cognoscit se peccare, & se eligere malum, etsi appareat bonum; ita à pari Hæreticus cognoscet se peccare, dum assentitur hæresi, cognoscit enim se dissentiri vero, etsi assentiatur falso apparenter vero. Contra 2. quia vel P. Thyrsus loquitur de Hæretico invincibiliter ignorante motiva pro evidenti credibilitate nostræ fidei; & hic casus non est ad rem, quia ille est Hæreticus materialiter, non formaliter, & voluntariè, de quo tantùm loquimur; vel loquitur de Hæretico vincibiliter ignorante; hic autem, sive exercitè, sive signatè, dum suæ hæresi assentitur, cognoscit vel in cauſâ, vel in se suæ hæresis peccatum, & se peccare; ergo implicat, ut talis credat, nisi per vincibilem ignorantiam, se dicere infallibiliter verum, nam saltem in ignorantiâ cognoscit se dicere errorem.

N. 405. Falsum secundò, quòd nostrum argumentum nimis probet. Contra enim est 1. quia tantùm abest, ut tò *nimis* enervet nostrum argumentum, quin illud *nimis* idem est, ac *magis* probat. Ratio est; quia tunc argumentum nimis vitiosè probat, quando probat esse verum id, quod negatur ut falsum: econtra si argumentum magis probet illud ipsum, ad quod trahitur, & non probet esse verum, quod negatur ut falsum, tunc nimis, sed virtuosè probat. Quare do P. Thyrso, quòd Hæreticus assensu omnino firmo excludente omnem formidinem assentiatur suo errori, non ita Doctor suæ opinioni; ex hoc ipso sequitur, quòd si Hæreticus articulo falso cognito ut evidenter incredibili prudenter, certâ, & firmâ fide assentitur, quantò magis poterit Doctor Catholicus assentiri per opinionem formidolosam objecto cognito ut minùs probabili? Contra 2. quia retorsio in P. Thyrsum evidenter retorquetur: Do hæresim apparere Hæretico ut longè verisimiliorem articulo vero: (quod tamen est falsum) ecce Hæreticus juxta P. Thyrsum tantâ firmitate assentitur hæresi, ut nihil formidet de opposito: ergo etiam Theologus assentiens suæ opinioni, inter Catholicos controversæ, tamquam evidenter verisimiliori, tantâ firmitate assentietur, ut nullam de opposito formidinem habeat; quod est manifestè falsum: ergo ejus retorsio evidenter retorquetur; ergo non est ad rem.

Falsum tertiò, quòd si Hæretico, dum suo errori assentitur, proponatur fides nostra ut evidenter credibilior, repugnet, ut assentiatur errori; non enim potest assentiri assensu omnino certo ipsi errori, si videt oppositum esse evidenter credibilius; & hæresim evidenter incredibilem. Contra enim est 1. quia duplex est certitudo, una intellectualis, & hæc sola est strictè certitudo; alia voluntatis, quæ dicitur affectiva. Hæreticus non assentitur suo errori assensu certo certitudine intellectuali ortâ tùm à lumine, quo objectum proponitur, tùm à principio supernaturali essentialiter connexo cũ actu vero, qualis est fides Catholici; sed assentitur assensu certo certitudine tantùm affectivâ ortâ à pertinaci voluntatis imperio. Contra 2. quia dum dicimus, quod hæresis Hæretico benè instructo proponatur ut evidenter incredibilis, non dicimus proponi ut evidenter incredibilem fide imprudenti, sed fide prudenti, ita ut Hæreticus non possit suæ hæresi assentiri, nisi fide omnino imprudenti, atque adeo hæresis est illi credibilis fide imprudenti, & est incredibilis fide prudenti. N. 406. N. 407. N. 408.

Falsum quartò, quòd Hæreticus instanti, quo suo errori adhæret, careat potentiâ proximâ ad assentiendum articulo vero, eò quia hæresis ei unicè proponitur ut verisimilior, & vera fides ut falsa, adeo ut eo instanti Hæreticus non habeat obligationem credendi articulum verum. Sed contra 1. quia si hæc doctrina est vera, Hæreticus eo instanti teneretur sub culpâ mortali esse Hæreticus, adeoque omnis Hæreticus obligatus erit sub mortali credere suam hæresim. Sequela probatur: Ut enim Catholicus eò ipso quòd ei proponatur evidenter unicè credibilis articulus verus, tenetur illum credere, aut saltem non credere oppositum, ut certum est; ita à pari quoties Hæretico articulus falsus proponatur ut unicè credibilis, vel saltem ut longè credibilior articulo vero, tenebitur eum articulum falsum credere, aut saltem non credere articulum verum. Contra 2. quia gratis omnino, & præcisè ut positum tueatur, negat, quòd Hæreticus eo instanti, quo suum errorem credit, careat potentiâ proximâ assentiendi articulo vero, aliàs fides non erit immediatè libera libertate contrarietatis. Licèt autem P. Thyrsus hoc concedat, gratis tamen: cur enim conveniat libertas contrarietatis immediata N. 409.

omni-

omnibus alijs virtutibus, non autem fidei? nam temperans, obediens, amans habet simul duplicem potentiam proximam non tantùm contradictionis ad temperantiam, & non temperantiam; ad intemperantiam, & non intemperantiam, (idem dicatur de aliarum virtutum actibus) sed etiam contrarietatis; eo enim instanti, quo est proximè liber ad temperantiam, est simul proximè liber ad intemperantiam, cùm libertas sit duplex potentia proxima ad extrema contradictoria, si sit contradictionis; vel contraria, si contrarietatis. Si ergo in alijs virtutibus datur in nobis non tantùm libertas proxima contradictionis ad utrumque contradictorium divisim ponendum, sed etiam contrarietatis ad utrumque extremum contrarium divisim ponendum; cur negabitur fidei? Ergo Hæreticus eo instanti, quo credit suum errorem, non tantùm habet libertatem proximam contradictionis, ut assentiatur, & non assentiatur suo errori; sed etiam habet libertatem proximam, ut assentiatur suo errori, & assentiatur articulo vero; & ideo est formaliter Hæreticus, quia potens proximè assenturi articulo vero, proposito ei, ut unicè evidenter credibili, assentitur potiùs suo errori cognito ut evidenter prudenter incredibili.

N. 410. Contra 3. quia nullus dabitur Hæreticus in se formaliter, sed tantùm in causâ, quatenus ex voluntariâ cęcitate considerare non vult evidentiam credibilitatis nostræ fidei. Contra 4. quia Hæreticus non tantùm carebit libertate immediatâ contrarietatis ad assentiendum articulo falso, & articulo vero divisim, ut concedit P. Thyrsus, sed etiam libertate immediatâ contradictionis, quod negat. Sequela probatur; quia implicat potentia proxima ad non assentiendum errori, nisi non assensus erroris, seu non error proponatur ut longè probabilior; (nam, juxta P. Thyrsum, intellectus non potest moveri, nisi à motivo longè probabiliori, nec potest amplecti minùs probabile:) sed implicat, ut dum error repræsentatur Hæretico, ut evidenter credibilior, non tantùm articulo vero, (qui tunc, vel non proponitur, vel proponitur ut longè minùs verisimilis) sed etiam non errore, idem non error proponatur eidem Hæretico, ut evidenter credibilior: ergo implicat, ut tunc detur potentia proxima ad non assensum erroris, seu ad omissionem erroris: sed si non habet potentiam proximam ad omissionem erroris, non habet libertatem immediatam contradictionis ad assensum erroris, & non assensum erroris, seu ad omissionem assensus erroris; ergo non habet libertatem immediatam contradictionis ad assensum erroris, & non assensum erroris.

P. Thyr.

N. 411. Contra 5. quia sicut hæresis, ut immediatè dixi, non est libera Hæretico ne quidem libertate immediatâ contradictionis; ita fides non tantùm non erit libera libertate immediatâ contrarietatis viro Catholico, quatenus Catholico, cui nostra fides proponitur ut evidenter unicè credibilis, eo ipso articulus falsus proponitur eidem ut prudenter incredibilis; sed ne quidem fides erit libera Catholico libertate immediatâ contradictionis: si enim fidei mysteria, etsi obscura, proponuntur ut evidenter credibilia, & approbabilia, eò ipso omissio actus fidei proponitur ut inapprobabilis, & ineligibilis: sed intellectus, per P. Thyrsum, non potest eligere ex voluntatis imperio extremum minùs approbabile, & minùs verisimile; ergo eligere non potest omissionem actus fidei: ergo Catholicus non est liber libertate immediatâ contradictionis ad actum, & non actum fidei, si habet evidentiam credibilitatis de nostrâ fide. Quòd autem fides sit libera non tantùm negativè, ut docet Scotus, putans satis esse, ut voluntas non resistat, non autem requiri, ut imperet intellectui positionem actus fidei, sed etiam positivè, non tantùm libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis, docet Tridentinum *sess. 6. cap. 4.* dicens: *Liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt.* Tùm quia decimasexta damnata negat *dari speciale fidei præceptum*; datur igitur speciale fidei præceptum: sed præceptum non est circa quid necessarium, sed circa actus liberos: ergo &c. Tùm quia hoc clarè exprimit S. Thom. *2. 2. qu. 2. art. 4.* dicens: *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntatis declinans in unam partem magis, quàm in aliam, & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine, & absque tali formidine, erit fides.* Tùm quia decimanona ex damnatis est, *Voluntas nō potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; potest igitur voluntas hoc efficere: ergo ex S. Thom. potest intellectus ex voluntatis imperio declinare in unam præ aliâ parte; & ex Innoc. XI. voluntas facere potest, ut assensus intellectus firmior sit, quàm motiva: sed si intellectus necessitatur physicè ad magis probabile, inutilia sunt, tùm imperium voluntatis, quo in unam præ aliâ parte declinet, nam tenetur

N. 412. Scotus. Trident. Inn. XI.

assentiri probabiliori; tùm conatus voluntatis, ut intellectus firmiùs assentiatur, quàm sint motiva, nam maior firmitas haberi non potest, quàm necessitas sit: ergo intellectus non necessitatur physicè ad magis probabile, immò est liber, ut sequatur magis, vel minùs probabile.

N. 413. Falsum quintò, quòd Hæreticus rogatus, cur suæ sectæ, non nostræ fidei assentiatur, dicturus, quia ea secta apparet ei verisimilior, & nostra apparet ei falsa. Sed contra, tùm quia si hoc dixerit, mentietur; si enim non mentiretur, puniri non posset ullus Hæreticus, vel Apostata à fide, nemo enim puniri potest ob impossibile: sed Hæretico impossibile est assentiri articulo vero, quia sua secta proponitur sibi ut omnino certa, ut loquitur P. Thyrsus *n.* 26. & nostra fides ut falsa: ergo nec potest puniri, quia suam non deserit, nec quia nostram non amplectitur, nec quia postquàm nostram amplexus est, à nostrâ recessit. Tùm quia do, quòd ita respondeat, & quòd non mentiatur, fides illi Hæretico non erit libera, immò necessariò erit Hæreticus. Tùm quia tantùm abest, ut

P. Thyr.

N. 414. Hæretici (loquor de illis, quorum ignorantia nostræ fidei non est invincibilis, sed vincibilis) ita respondeant, quin, ut longâ mihi constat experientiâ, respondere solent, se suæ sectæ adhærere, non quia vera appareat, & nostra fides falsa, sed quia Maiores sui eam secuti sunt, & quia ita convenit ob fines politicos, & naturales commodi, & honoris; & quia indulget magis pravis concupiscentiæ motibus.

N. 415. Falsum sextò, quòd peccatum infidelitatis non consistat in eo, quòd cognitâ evidenti credibilitate mysteriorum, Infidelis illis dissentiat, & quòd S. Thomas hoc dicat. Sed contra; quia ut legi, quæ S. Thom. dicit, video inferri evidenter oppositum ejus, quod intulit P. Thyrsus: nam per S. Thomam *peccatum infidelitatis consistit in contrarietate* (utique libera) *ad fidem*: ergo (infero) datur in Catholico libertas contrarietatis: (idem dicito de Hæretico) sed cum doctrinâ P. Thyrsi negantis intellectum posse assentiri minùs probabili, non datur, ut fatetur, libertas immediata contrarietatis: ergo non datur immediatè peccatum infidelitatis; vel si datur, potest intellectus, stante propositione objecti evidenter prudenter credibilioris, assentiri minus credibili. Deinde rogo, quæ consequentia sit, ex eo quòd S. Th. dicat peccatum infidelitatis consistere in contrarietate ad fidem, quâ vel repugnat auditui fidei, vel eam contemnit, inferre, quòd neget peccatum infidelitatis consistere etiam in hoc, quòd quis auditâ fide, & propositâ ei ut evidenter credibili, eam non amplectatur, aut amplectatur oppositum? Ut enim contra virtutem Charitatis dantur plura peccata specie diversa, nam aliud est murmuratio, aliud homicidium, aliud scandalum, aliud judicium temerarium; ita cõtra fidem dantur plura infidelitatis peccata specie diversa, ex. gr. eam non audire, auditam contemnere, ei non assentiri, ei dissentiri, de eâ dubitare; non autem necesse fuit D. Thomæ numerare omnes species subalternas infidelitatis, ut ostenderet, in quo stet peccatum infidelitatis. Addo, quòd dum S. Thom. dicit, *vel contemnit fidem*, eò ipso supponit esse auditam, adeoque propositam ut debet: sed nemo contemnit fidem actu contrario, quàm assentiendo positivè articulo falso: ergo stante evidenti credibilitate fidei, potest ex D. Thom. elicere quis assensum circa articulum falsum. Nota autem quòd P. Thyrsus rogatus, cur non possit aliquis propositâ sibi evidenti credibilitate nostræ fidei amplecti intellectualiter aliam sectam, semper petit principium, quia intellectus non potest amplecti minùs verisimile. Ex quâ doctrinâ P. Thyrsi sequitur, quòd nullus Catholicus poterit esse Hæreticus; & nullus Hæreticus fieri Catholicus; sed eo instanti, quo quis Catholicus est, fit necessariò necessitate antecedenti Catholicus, quatenus pro priori ad actum fidei Divinę supernaturalis caret potentiâ proximâ expeditâ ad actum hæresis; & eo instanti, quo quis Hæreticus est, erit necessariò necessitate antecedenti Hæreticus, quia pro priori ad hæresim caret potentiâ proximâ expeditâ ad actum fidei Divinæ. Quare ad summum Catholicus poterit potentiâ antecedenti non esse Catholicus; & Hæreticus potentiâ antecedenti non esse Hæreticus. Immò ne quidem talem libertatem contradictionis Catholicus, & Hæreticus habebunt, ut dixi, quia non credere mysteria nostræ fidei proponitur Catholico ut minùs approbabile; & non credere sectam falsam, proponitur Hæretico etiam ut minùs approbabile: & econtra, credere nostra mysteria, proponitur Catholico ut evidenter approbabile; & credere sectam falsam, proponitur Hæretico etiam ut evidenter approbabile: sed juxta P. Thyrsum, intellectus necessitatur necessitate antecedenti ad id, quod est longè verosimilius, & ad omittendum, quod est minus verosimile: ergo Catholicus necessitate antecedenti necessitatur credere nostra mysteria, ita ut non possit non credere illa; & Hæreticus necessitatur ne-

N. 416.

cessitate

necessitate antecedenti credere suam sectam, ita ut non possit non credere illam, seu omittere actum fidei circa illam.

N. 417. Falsum septimò Hæreticum non habere potentiam proximam proximam credendi nostram fidem, nec Catholicum credendi errorem. Contra enim est; quia satis efficaciter probavi hanc potentiam proximam; & qui capit, quid sit libertas voluntatis ad amorem, & non amorem, quæ est contradictionis; ad amorem, & odium, quæ est contrarietatis, videbit, quòd omne, quod constituit in esse liberi actum primum proximum ad amorem, idem omnino constituere debet in esse liberi actum primum proximum ad odium; qui, inquam, hęc capit, dicere debebit, quòd idem sit actus primus proximus ad actum fidei liberæ, ac sit actus primus proximus ad hæresim. Porro probavi fidem esse liberam immediatè libertate contrarietatis, ut aliæ virtutes; immò si eâ libertate non gaudet, nec erit libera libertate contradictionis. Probavi autem, tum paritate aliarum virtutum, tùm quia omnis Hęreticus erit necessariò talis; immò repugnat, ut sit formaliter culpabiliter Hæreticus, nisi resistat eo instanti cognitioni trahenti ad fidem, & proponenti illam ut evidenter credibilem, & ut præceptam: ergo ut sit culpabiliter Hæreticus, debet eo instanti pro priori ad actum hæresis proponi nostra fides ut evidenter credibilis, & ut præcepta à Deo. Tùm quia non nisi gratis negatur hæc doctrina petendo principium, & dicendo, quòd intellectus non possit assentiri firmiter objecto minùs verisimili; potest enim firmitate derivatâ à voluntate, qualis est firmitas conveniens falsæ fidei Hæreticorum; non à firmitate derivatâ à lumine, & principio supernaturali, quâ est certus actus fidei Catholicorum. Confirmatio confundit evidentiam credibilitatis de locutione Dei cum evidentia locutionis Dei; qui enim nostræ fidei motiva penetrat, habet quidem evidentiam credibilitatis de locutione Dei; non autem evidentiam locutionis Dei, adeoque non cognoscit evidenter, quòd Deus sit Author fidei: & nego consequentiam; ad probationem distinguo: implicat, ut quis amplectatur ut certum certitudine ortâ à solâ voluntate id, quod evidenter cognoscit esse incredibile prudenter, imprudenter tamen credibile, nego; certitudine ortâ à lumine, & à principio supernaturali, concedo. Certitudo Hæretici est purè voluntaria sine omni prudenti fundamento, & est pertinacia contra veritatem cognitam evidenter ut unicè prudenter credibilem.

N. 418.

N. 416.

Falsum octavò actum fidei non esse liberum libertate contrarietatis. Contra enim est, quia si non est liber libertate contrarietatis, nec est liber libertate contradictionis, nec eget imperio efficaci voluntatis; intellectus enim Catholici considerantis motiva nostræ fidei, quæ reddunt evidenter credibilem veritatem eorum; & simul considerantis motiva sectæ oppositæ; intellectus, inquam, Catholici positus inter evidenter credibile, & evidenter incredibile prudenter, non potest nō assentiri, juxta P. Thyrs. nostræ fidei, ut evidenter longè credibiliori, quia intellectus non potest assentiri nisi credibiliori; ergo non eget, ut credat, efficaci voluntatis imperio; ergo fides non est meritoria. Quòd si dixerit, esse liberum credere, & non credere fidem, licèt non sit liber credere fidem, & credere oppositum; contra est, tùm quia tantùm meriti tollitur à fide, quantùm tollitur libertatis: ergo cùm fides non sit libera immediatè quoad contrarietatem, fides caret merito derivato à libertate contrarietatis, quæ est præcipua libertas: cur autem fidei negetur meritum, quod datur Spei, Charitati, & omni virtuti morali, quæ fundatur in fide? Tùm quia nulla erit Catholico difficultas in amplectendâ fide, si non habet, nisi libertatem exercitij, cùm enim tanta, & talia motiva habeat, quæ generant evidentiam credibilitatis nostræ fidei, sanè nulla erit difficultas in eâ credendâ, etsi sit obscura, cùm nullum adsit motivum retrahens, & inclinans ad credendum oppositum, quia hoc, juxta P. Thyrs. est impossibile; nullum etiam retrahens à non credendo: ergo admissâ solâ exercitij, seu contradictionis libertate, vix datur meritum in Catholico; tùm quia pro suspensione actus fidei nullum habet motivum, immò si aliquod habet, vel est validius motivo inclinante ad credendum, vel est æquale, vel minus? Si motivum pro non credendo est minus motivo inclinante ad credendum, non potest omittere actum fidei; si est maius, non potest elicere actum fidei; si est æquale, nec potest liberè elicere, nec liberè omittere actum fidei. Demum contra hæc omnia est, quòd sicut non datur peccatum infidelitatis propriè tale, si intellectus non potest physicè assentiri objecto cognito ut minùs credibili, sed datur tantùm infidelitas causalis, quatenus id, quod est causa, nè Infidelis motiva nostræ fidei consideret, est juxta P. Thyrsum, peccatum infidelitatis, quod sine dubio gratis dicitur: ut enim datur homicidium, furtum propriè talia, & non nisi impropriè causa homicidij, & furti dicuntur

N. 419.

P. Thyr.

furtum, & homicidium; ita à pari dari debet peccatum infidelitatis propriè tale, & non nisi impropriè causâ infidelitatis dicitur peccatum infidelitatis: ita nec dabitur virtus fidei Theologicæ liberę propriè talis, sed ipsa libera applicatio proponens ea motiva, ita ut pariant evidentiam credibilitatis fidei, erit libertas actus fidei, & fides.

N. 420. Ad ea, quæ contra paritatem judicij temerarij trahit, dico plurima ex dictis, contra ea, quæ adducit contra peccatum infidelitatis, petenda esse.

N. 421. Primò, si temerè judicans habet semper motivum respectu sui grave, non datur judicium temerarium, immò omnis temere judicans prudenter judicat, etsi imprudenter cognoscat motiva, quia tale judicium nititur motivo longè graviori, quàm sit motivum oppositum pro judicio de bonâ famâ proximi; sed tota temeritas erit in passione, quæ est causa, ut motiva ex se levia appareant longè graviora motivo pro judicio de bonâ fama proximi.

N. 422. Secundo, non dabitur peccatum formale judicij temerarij, nec hoc erit in se formaliter peccatum, sed tantùm in causâ, quia intellectus tenetur, juxta P. Thyrsum, assentiri motivo longè graviori suo oppositoj sine jure autem negabitur dari peccatum formale in se tale judicij temerarij, cùm dentur alia mortalia in se talia contra charitatem, ut homicidium, scandalum &c. Similiter sine jure dicitur, quòd judicium nixum motivo longè graviori, si motivum ex passione tale appareat, sit temerarium, in rigore enim est valdè prudens, etsi supponat malam radicem.

N. 423. Tertiò judicium temerarium numquàm poterit esse in se peccatum, quia in se non est liberum; nam intellectus non est tunc liber, ut benè judicet de proximo, cùm motivum hujus judicij sit juxta P. Thyrs. minus verisimile; ergo nec est liber, ut malè judicet, cùm libertas sit perfecta potentia ad utrumque extremum. Nec recurratur ad libertatem contradictionis; nam si intellectus non habet libertatem contrarietatis, quatenus necessariò tenetur elicere judicium nixum maiori motivo, nec potest elicere nixum minori; neque erit liber libertate contradictionis, seu judicare temerè, & omittere judicium temerarium; nam intellectus pro judicio temerario eliciendo habet plura motiva gravia inclinantia ad hoc judicium; pro suspensione autem nullum habet; ergo non est liber credere temerè, & non credere temerè; ergo non est liber libertate contradictionis.

Quartò, quia doctrina, quam trahit ex S. Thom. quòd judicium temerarium sit, cùm quis pro certo æstimat malitiam alicujus ex levibus indicijs, est evidenter contra P. Thyrsum; si enim est ex levibus, ergo non est ex gravibus, & sine jure tò *levibus indicijs* interpretatur *levibus in se, judicanti tamen valdè gravibus*: nisi velit quòd S. Thom. per leve intellexerit grave, ita ut in definitione judicij temerarij oppositis prorsus verbis usus fuerit, sumendo leve pro gravi. Addo quod S. Thom. dicit tunc adesse judicium temerarium, cùm quis pro certo æstimat malitiam alicujus ex levibus indicijs: ergo illa indicia sunt levia respectu judicantis: ergo non potest dici nisi contra S. Thom. quod ea sint levia in se, at judicanti sint gravia. Nec contra hoc objici potest, nisi petitio principij, quod repugnet, ut intellectus judicet pro certo aliquid ex levibus indicijs; hoc enim probari debet; nam ea certitudo oritur à sola voluntate, & est purè affectiva, non autem intellectualis; ergo etsi repugnet, ut quis certo certitudine intellectuali judicet ex levi motivo, non tamen certitudine purè affectivâ; ergo potest intellectus certò N. certitudine affectivâ assentiri levi motivo, 425. stante opposito motivo unicè prudenter approbabili; ergo poterit etiam prudenter assentiri ex motivo minùs, certo tamen probabili, stante opposito probabiliori. Similiter est petitio principij, quòd intellectus non possit assentiri firmè firmitate affectivâ objecto minùs evidenter verisimili, immò in hoc stat peccatum judicij temerarij, quatenus sine gravi ratione pro certo judicat proximum esse malum, stante motivo unicè gravi pro bonâ opinione proximi. Demum, quod trahit de advertentiâ, est etiam petitio principij. N. 424. S. Tho.

Quintò, confirmatio evidenter retorquetur: si enim judicans temerè, judicat malum N. 426. de proximo ex motivo sibi longè graviori, eò ipso temerè judicans infert, & refarcit injuriam proximo: infert, quia taliter judicans, temerè judicat, ut vult. P. Thyrsus; refarcit, quia judicans ex motivo sibi valdè gravi, judicat prudenter, & habet opinionem de proximo, quam meretur juxta motiva, quæ habet judicans. In formâ nego, quòd cognoscens se temerè judicare, refarciat per hanc cognitionem proximi famam; aliàs cognoscens se murmurare, se occidere, restitueret famam, & vitam proximo, & cognoscens se peccare, restitueret injuriam illatam Deo per peccatum; ergo non satis est, ut cognoscat se temerè judicare, sed debet saltem deponere temerarium judicium, aut

assume-

assumere judicium prudens de bonâ proximi famâ, ut injuriam refarciat.

N. 427. Sexto, fateor temeritatem oriri ex passione; at quid inde? nam plura alia peccata oriuntur à passione, nec desinunt esse formaliter peccata in se, etsi in eâ passione sint tantùm causaliter peccata. Itaque præter passionem, quæ est occasio judicij temerarij, assignanda est propria malitia formalis judicij temerarij distincti à malitiâ passionis. Per nos autem est, quòd illud judicium nitatur motivo cognito ut sufficienti, stante motivo unicè prudenti pro famâ proximi: nihil autem tale potest assignare P. Thyrsus, juxta quem tota malitia judicij temerarij refunditur in passionem, quæ facit, ut motivum in se leve appareat valdè grave; posità autem hâc apparentiâ, nulla est in judicio temeritas, quia nititur motivo respectu judicantis valdè gravi; nulla etiam culpa, quia juxta P. Thyrs. intellectus non est liber assentiri motivo minùs probabili stante pro bonitate proximi.

N. 428. Septimò, S. Thomàs iterum adductus est evidenter contra P. Thyrs. tùm quia dicit, *malum opinatur*, opinari autem non est pro certo tenere malum; & tamen P. Thyrs. vult, quod temerè judicans teneat pro certo proximum esse malum. Tùm quia S. Thom. ait, quando quis odio habens, aut invidens proximo, *ex levibus signis opinatur mala de ipso*: ergo dicere, quod odium, & invidia faciant semper, ut signa levia appareant gravia, ut dicit P. Thyrs. est apertè contra S. Thom. Tùm quia dicere, quòd judicans ex invidiâ, irâ, contemptu, malum de proximo judicet ex signis gravibus, est etiam contra S. Thomam, qui ait, hominem ijs passionibus malè affectum judicare temerè ex levibus signis.

P. Thyr. S. Tho.

N. 429. P. Thyr. Octavò, obvia est aperta contradictio, nam hic *cap.* 2. §. 3. ait, motivum judicij temerarij apparere temerè judicanti longè verisimilius opposito motivo pro judicio prudenti de bonâ proximi famâ; & tamen *cap.* 3. sui quasi oblitus *n.* 53. ait, esse temerarium, & imprudens judicium nixum motivo minùs probabili, stante opposito probabiliori: & *n.* 56. idem repetit; & ex hoc infert nullum nostrum argumentum esse, quòd qui operatur secundùm opinionem minùs probabilem operetur prudenter; vult enim, quòd temerè, & imprudenter operetur; ergo supponit, & asserit esse temerarium judicium nixum motivo minùs probabili, stante opposito probabiliori. Demum mentem S. Thom. vide suprà à *n.* 294.

Argumenta, quæ contra nos trahit, *sect. sequ.* solventur.

SECTIO VI.

Solvuntur adversa argumenta.

§. I.

Argumenta M. Mercori, & M. Baro.

SUMMARIUM.

Quia intellectus stans inter motiva æqualia est dubius, & quasi ligatus, ait Aristot. n. 430.

Solvendum a Contrarijs ob multiplicem instantiam, n. 431.

Paritas stateræ est contra eosdem, n. 432. 433.

Aristot. & S. Thomas volunt intellectum non posse à se determinari, posse a voluntate, n. 434.

Implicat, ut intellectus dubitet simul, & opinetur, n. 435. 436.

Dubium est suspensio omnis assensus, DD. ibid.

Arguunt, quia implicat, ut quis opinetur, quod æquè apparet verum, ac falsum; trahunt paritatem Judicis, navis, cibi, n. 437. 438.

Solvo: paritas Judicis nimis, alia nihil probant, n. 439. 440.

Judicium non mutat essentias rerum physicas, mutat morales, n. 441.

Arguunt, quia non est maior ratio pro assensu, & quia voluntas inter bona æqualia non potest eligere, & multò minùs eligere minus, n. 442.

Solvo, voluntas potest ex diverso motivo imperare assensum, n. 443.

Motiva assensûs, & dissensûs sunt semper diversa, fuse, n. 444.

Tunc resolutivum non tam se tenet ex parte intellectus, quam voluntatis, n. 445.

Voluntas inter bona æqualia diversa potest æquale, & minus eligere, n. 446. 447.

DD. tuentes, quòd voluntas inter similia bona possit eligere æquale, aut minùs, n. 448.

Ut voluntas eligat unum præ alio, non est necesse, ut detur ex parte objecti illud præ, sed satis, ut per ipsam electionem præferat exercitè hoc illi, ibid.

Ait Palanco, posse voluntatem, quia utrumque est bonum, non posse intellectum, quia unum est falsum, n. 449.

Convenit voluntati libertas inter æqualia, vel inæqualia bona, dummodo diversa; cur? n. 450.

Rejicitur disparitas, nam sicut objectum voluntatis est bonum, vel reale, vel apparens; ita intellectus est verum, & verisimile esse ejusdem facultatis, n. 452.

Ut intellectus judicet, satis, ut habeat motivum, non autem ut maius, 454.

Arguunt, quia oppositæ probabilitates se mutuò impediunt, n. 455.

Licèt

Licèt se impediant, non se enervat, nec maior enervat minorem, n. 456.
Paritas duplicis adolescentis allata à S. Aug. quid probet? n. 457. 458.
Uterque testis in ordine ad judicium speculativum Judicis est fide dignus; neuter in ordine ad practicum, n. 459.
Statera est contra Adversarios, ibid.
Sum certus intransitivè per ipsum assensum præstitum motivo minùs probabili, me assentiri prudenter; quid hoc probet, n. 460.
Arguunt, quia ratio probans veritatem partis A, probat falsitatem partis B, & econtra, n. 461.
Et quia imperium voluntatis in intellectum est Politicum, non Despoticum, n. 462.
Solvendum à Baro tuente, quòd intellectus debeat assentiri minùs tutæ, si infinitis gradibus excedat probabilitatem tutioris; & posse cuique ex æquè probabilibus, si una stet pro officio, alia pro honesto, n. 463.
Quomodo intellectus sit instar Judicis, n. 464.
Voluntas nullam vim tunc facit intellectui, n. 465.
Arguunt, quia intellectus minùs probabilem judicat magis falsam, & sicut voluntas tenetur ad medium aptius fini intento, ita intellectus, n. 466.
Dico, etsi minùs probabile videatur magis falsum, non ideo non videtur verum, n. 467.
Aliud est, quod judico minùs probabile esse magis simile falso, aliud, quod magis falsum, ibid.
Evidens ratio, n. 468.
Arguunt, quia implicat, ut probabilior judicetur falsa, & minùs probabilis vera, n. 469.
Dico, quod opinans affirmat esse verum, quod ei apparet similius falso, & simile vero, n. 470.
Non omne similius vero est in re verum, n. 471.
Voluntas non tenetur ad aptius medium, si adsint plura apta, à n. 472. ad 475.
Verum, & verosimile sunt objectum intellectus, n. 473.
Iterum comparatur intellectus cum voluntate, n. 474.
Adhuc stante judicio comparativo, potest intellectus assentiri minùs probabili, n. 475.

N. 430. PRimum est, quia qui opinatur, adhæret cum formidine uni parti; qui autem dubitat, nulli parti adhæret: sed quoties intellectus cognoscit æqualem pro utrâque parte probabilitatem, est dubius; ergo neutri parti adhæret; ergo neutram opinatur. Confirmatur: quia intellectus tunc non est liberè dubius, nam motiva æqualia mutuò impediunt omnem assensum; quomodò pondera æqualia mutuò impediunt declinationem in unam præ aliâ parte: ergo intellectus, stante motivorum æqualitate, non potest se determinare; & ideo S. Thom. *in* 3. Metaph. *cap.* 1. docet cum Aristotele, intellectum dubium esse *quasi ligatum pedibus*, qui non potest procedere. S. Tho. Arist.

Respondeo hoc, & sequentia argumenta N. 431. pati evidentes instantias, tùm judicij temerarij, quod nititur parti minùs, immo non nisi imprudenter probabili; tùm peccati infidelitatis, quo quis credit, quod judicat nullo modo prudenter credibile, sed tantùm imprudenter credibile. Rursus ab omni Anti-Probabilistâ, excepto P. Eliz. solvenda sunt, quia omnes docent intellectum stantem inter opiniones æquè probabiles, unam pro lege, aliam pro libertate, teneri sequi opinionem pro lege; si autem tenetur, utique poterit intellectus assentiri parti æquè probabili. Demùm ab omni Tutioristâ solvenda sunt, quia omnes docent, quòd intellectus teneatur sequi minùs probabilem, dummodo tutiorem: ergo potest intellectus assentiri parti minùs probabili. Addo certum esse intellectum non cogi nisi ab evidentiâ; ergo non tenetur assentiri parti probabiliori; ergo potest illi non assentiri; si autem potest non assentiri, seu suspendere omnem assensum, cur multò magis non poterit assentiri parti minùs probabili? maius enim malum est intellectui, carere omni assensu, quam assentiri parti minùs probabili, cùm talis assensus, etsi sit partis minùs probabilis, possit esse verus, ut dixi ex S. Thom. *n.* 300. S. Tho.

In formâ distinguo minorem: intellectus, N. stante æquali probabilitate, est dubius ex se, 432. seu non necessitatur ad assensum, concedo; accedente voluntatis imperio, nego; si enim voluntas determinare potest intellectum ad assensum imprudentem, ut accidit in temerè judicante, multò magis ad prudentem, etsi æquè, aut minùs prudentem opposito. Hinc patet ad confirmationem. Ad paritatem stateræ, quam toties trahunt Contrarij, dico non esse ad rem, nulla enim est paritas inter causam necessariam, & liberam. Addo nimis probare; quia sicut statera habens pondus in parte A, non potest non inclinare in illam, ita intellectus habens tantùm motivum probabile pro parte A, & nullum pro parte B, non posset non assentiri parti A; ergo non esset liber assentiri, & non assentiri parti A, adeoque careret libertate quoad exercitium, quam tamen omnes Contrarij concedunt. Similiter intellectus habens motivum maius pro parte A, & minus pro parte B, non posset suspendere omnem assensum, quod tamen

men negant Contrarij: ergo paritas nimis
N. probat. Addo 2. quòd ſicut ſtatera ex utrâ-
433. que parte onuſta in utramque partem gravi-
tat, licèt non gravitet magis in hanc præ illâ; ita intellectus, ſtante duplici motivo æquali, immò inæquali, inclinabitur ad aſſenſum utriuſque contradictorij: ergo paritas ſtateræ nimis probat. Addo 3. quod hæc
M.Mer. paritas multo magis urget contra M. Merc. docentem 2. *p. art.* 7. *pag.* 89. intellectum non poſſe aſſentiri parti aliquanto probabiliori, ſtâte oppoſitâ minùs probabili; ſi enim in ſtaterâ ponatur pondus aliquanto gravius, neceſſario inclinabit in eam partem: ergo etiam intellectus, ſi ſe habet ut ſtatera. Addo 4. evidenter retorqueri: Ut enim ſtatera ex utrâque parte æquè onuſta poteſt abhomine libero, mediante digito, inclinari in
N. partem, quam voluerit; ita intellectus à vo-
434. luntate. Addo 5. quòd hæc paritas, ſiquid probat, probat, ut dixi, probabilitatem ſimultatis aſſenſûs cum diſſenſu, eo modo, quo ſtatera gravitat in utramque partem, licèt neutra *pragravitet*, quod non advertunt Contrarij. Ad Philoſophum, & S. Thom. dico eos optimè loqui, immò ritè intellecti ſtant contra Adverſarios; licèt enim verum
S.Th. omnino ſit intellectum, ſtante æqualitate
Ariſtot. motivorum, non poſſe ſe determinare, & hoc eſt quod Ariſt. & S. Thom. docent; non ideo infertur non poſſe determinari à voluntate, ad minus, aut æquè prudens judicium judicio ſibi oppoſito; non minùs, quàm à voluntate determinetur ad judicium temerarium. Rurſus, ſicut pedibus vinctus non poteſt ſe in neutram partem movere, poteſt tamen ab alio in quamlibet partem moveri; ita intellectus à voluntate.

N. Secundum eſt, quia opinari eſt aſſentiri
435. uni parti cum formidine oppoſitę: ſed qui opinatur partem A, ſtante æquali probabilitate pro parte B, non tantùm formidat ob motivi inefficaciam, ſed etiam timet poſitivè falſitatem ob æqualem efficaciam motivi partis oppoſitæ: ergo intellectus tunc non opinatur, ſed potiùs ſimul dubitat, & opinatur, quod implicat.

N. Reſpondeo argumentum involvere re-
436. pugnantiam; intellectus enim, dum dubitat, ſuſpendit omnem aſſenſum, & diſſenſum directum; dum opinatur, aſſentitur, aut diſſentitur, etſi cum formidine de veritate aſſenſus oppoſiti, & de falſitate aſſenſus eliciti; ergo implicat, ut ſimul opinetur, & dubitet; quare conceſſâ maiori, & minori, nego conſequentiam. Nè autem gratis dictum videatur, ecce M. Sylveſter in Sum.
M.Sylv. verbo *opinio*, ait: *Non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem.* P. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 40. *ſect.* 5. *n.* 2. ait: P. Suar.
Aliud eſt dubitare, aliud aſſentiri cum formidine; dubium enim proprium eſt, quando poſt diligentem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet, vel ſuſpendendo omnem aſſenſum, vel judicando ſolùm rem eſſe dubiam, quod ad præſens perinde eſt: aſſenſus autem licèt ſit cum formidine, eſt tamen determinatus ad alteram partem, atque ita tollit dubium. Doctor Navar.
Navarro de Pœnit. *diſt.* 5. *n.* 38. ait: *Reſpondeo 2. negando ſemper tutiorem partem eligendam eſſe, quoniam ſatis eſt eligere tutam, ut utiliter declaras S. Antoninus... Aliud eſt dubitare,* S. Antoninus.
an tale quid ſit faciendum, aliud credere ratione probabili, & authoritate alicujus illuſtris Doctoris, admonente, ut pulchrè in loco præcitato declaravit S. Antoninus. P. Thyrſ. *diſp.* 10. *n.* P.Thyr.
110. poſtquàm dixit aſſentientem non dubitare, ait: *Dubitare dicitur ille,* (ex Navarro in Commentario ad caput, *Siquis autem* de Pœnit. *diſt.* 7.) *cujus animus ſe applicat ad diverſa, & ille neutram eligit. Et n.* 112. ait: *Dubium proprie ſolum intercedit, quamdiu intellectus eſt anceps, nec reſolutorie affirmat aliquam ex partibus contradictorijs. & n.* 117. ait: *Dubium importat ſuſpenſionem judicij.*

Tertium eſt, quia implicat, ut quis opi- N.
netur aliquid, quod æquè apparet verum, ac 437.
falſum, nam opinari eſt judicare propoſitionem veram cum formidine, quod ſit falſa: ſed ſtante æquali probabilitate pro parte oppoſitâ, objectum opinatum æquè apparet verum, ac falſum: ergo. Confirmatur: Quoties jura utriuſque partis ſunt æqualia, non poteſt Judex in favorem unius partis præ aliâ jus dicere: ergo neque intellectus, qui N.
eſt Judex, poteſt judicare partem A, eſſe 438.
potiùs veram, quam B. Alias paritates M. M.Mer.
Mercor. 2. *p. art.* 3. trahit, quod ſicut ſtultè quis eligeret alterutram ex navibus, quarum alterutram ſcit naufragio perituram; ſtultè biberet poculum, ſciens alterutrum è duobus eſſe certò venenum; ita in caſu noſtro eſt imprudentis eligere alterutram ex æquè probabilibus, cùm alterutra ſit neceſſariò falſa, ſit vulnus, ſit venenum intellectus, ſed ab omni abſtinendum erit.

Reſpondeo negando maiorem, quia eſt N.
evidenter falſa in judicio temerario, & pec- 439.
cato infidelitatis, quo utroque intellectus amplectitur, quod magis falſum, quàm verum apparet. Si ergo intellectus poteſt temerè opinari, & aſſentiri objecto, quod non niſi imprudenter judicat verum, & prudenter falſum, quanto magis aſſentiri poterit objecto, quod judicat prudenter, ſive æquè, ſive minùs verum ſuo oppoſito? Ad Judicis

parita-

paritatem dico cõcludere oppositum 1. quia intellectus præciso voluntatis imperio ad sũmum est instar Judicis, non autem accedente; tunc enim non se habet ut Judex. 2. quia nimis probat, probat enim, quòd sicut Judex tenetur favere parti probabiliori, ita intellectus tenebitur absolutè assentiri parti probabiliori, quod est falsum, nam potest suam sententiam suspendere; non ita Judex: 3. quia aliud est, quòd Judex stante equali pro occisione, & non occisione motivo, non possit sententiam damnationis ferre, & hoc certum est, eique merito prohibetur; quo enim jure incerto reum certæ morti adjudicet? Aliud est, quòd Judex, stante æquali pro occisione, & non occisione motivo, non possit probabiliter credere occisionem; & hoc falsum est; potest enim, dummodo post tale judicium speculativum probabile de occisione non addat aliud practicum decisivum mortis in eum, qui probabiliter tantùm est reus: 4. quia S. Thom. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 2. docet, quòd Judex teneatur damnare eum, quem privatè novit innocentem, si juridicè probetur nocens: & *ad* 4. probat non opponi inter se conscientiam privatam Judicis, ut homo est cum conscientiâ publicâ Judicis, ut Judex est: ergo paritas non est ad rem. S. Th.

N. 440. Aliæ paritates nihil etiam concludunt, quia judicium meum, quod navis sit, vel non sit bona, non impedit naufragij periculum, nec reddit iter prosperum. Similiter judicium, quòd cibus A, non sit venenum, non facit, quòd non sit venenum; & judicium, quòd talis liquor sit aqua naturalis, non facit esse aquam naturalem, adeoque nec facit validum esse Baptismum. Ratio est; quia meum judicium non immutat rerum essentias, at mutat voluntatis actum; judicium enim de non peccato in tali actu, facit talem volitionem non esse peccatum: ergo ex eo quòd à nobis concedatur stultè operaturum, qui eligit navim minùs securam; & stultè, qui eligit cibum minùs salubrem; non ideo stultè operabitur, qui eligit opinionem minùs probabilem, quia, ut dixi, judicium prudens, etsi minùs probabile de nõ peccato, tollit à volitione rationem peccati, cùm ratio peccati à prævia cognitione intellectus derivetur in volitionem. Econtra judicium prudens, imò moraliter certum de nõ naufragio, de non veneno, non facit talem cibum non esse venenum, & talem navim naufragio non periturã. Addo quòd homo ex præcepto charitatis obligetur non edere, quod probabiliter judicat venenum, & non committere se navi, quam probabiliter judicat inutilem; N. 441. immò ex eodem præcepto obligatur homo non edere, quod probabilius judicat non esse venenum, & non conscendere navim, quam probabilius putat non perituram; debet enim esse moraliter certus, nec satis est, ut probabilius tantùm putet cibum A, non esse venenum: ergo si valet paritas, nequidem licebit sequi opinionem magis probabilem, sed sola opinio evidenter vera, aut moraliter certa, licitè eligi poterit, quod à Contrarijs merito negatur.

Quartum est, quia stantibus æqualibus pro utraque contradictoriâ motivis, nulla est peculiaris ratio pro voluntate, ut imperet assensum A, præ B, vel B, præ A: ergo &c. Confirmatur: Voluntas inter duo bona æqualia non potest unum præ alio eligere, & multo minùs eligere minus præ maiori: ergo multo magis intellectus non poterit, ne quidem ex ipso voluntatis imperio, assentiri objecto evidenter minùs vero. Ita Palanco *qu.* 26. *a n.* 5. N. 442. Palanc.

Respondeo negando antecedens; potest enim voluntas à diversis motivis moveri, ut imperet intellectui, ut assentiatur parti æquè, aut minùs probabili, ex. gr. vel quia videt eam partem suæ fragilitati magis conformem, immò quia suæ saluti spirituali magis uniformem: fac enim, ut quis pauperibus addictissimus judicet minùs probabile, licere sibi hic, & nunc eleemosynam pauperibus largiri; ecce in hoc casu, ex motivo misericordiæ movetur ad sequendam minùs probabilem. Ex quo patet Adversariorum declamationes, & exclamationes in Probabilistas, nullum in sequendâ minùs probabili finem sibi præscribentes, quàm temporalis commodi, & voluptatis, nihili pendendas esse, ut infrà dicemus. Addo, quod licèt motiva opinionum sint æqualia, aut inæqualia quoad gravitatem, sunt tamen semper diversa; atque adeo diversitas, quæ est in uno, & non in alio motivo, est sufficiens motivum, ut voluntas determinet intellectum ad assentiendum huic præ illo. Et ideo acutè dixit S. Thom. citandus, quòd ultimum resolutivum assensûs pro hâc parte, potiùs quàm pro oppositâ, refundendum est in voluntatem, quæ est libera inter bonum, & bonum, sive maius, sive minus, sive utrumque simile, sive utrumque diversum. Quare licèt certum sit, quòd intellectus, stante æquali, vel inæquali, immò unius tantùm partis probabilitate, non necessitetur neque quoad speciem, putà ad assensum præ dissensu, vel econtra; neque quoad exercitium, putà ad assensum præ non assensu, quia sola evidentia necessitat intelle- N. 443. N. 444. S. Tho.

intellectum; dico tamen, quòd intellectus potest tunc à voluntate determinari ad directum assensum, aut dissensum partis A, præ directo assensu, aut dissensu partis B; vel
P.Moy. contra, ut ferè omnes docent cum P. Moya *tom. 2. qu. 7. un. 29.* citatis summâ, quâ solet, fidelitate, Doctorum verbis. Ratio est; quia licèt, stante æquali probabilitate objectivâ, non sit maior ratio objectiva pro assensu, quàm pro dissensu alterutrius partis; est tamen libertas arbitrij ad eligendum assensum præ non assensu ejusdem partis; vel ad assensum unius partis præ assensu partis oppositæ, ut accidit tùm in duplici casu æqualis, sed diversi, immò similis boni; tùm in judicio temerario, quo quis assentitur parti nullo modo prudenter probabili, stante oppositâ unicè prudenter probabili; tum in peccato indeliberatis, stantibus motivis certo moraliter suadentibus veritatem articuli
N. 445. oppositi. In his casibus resolutivum assen-
S.Th. sus (ait S. Thom.) non tam se tenet ex parte intellectus, quàm voluntatis, quę in tali casu habere potest pro motivo determinante intellectum ad assentiendum partis A, prę assensu partis B; habere, inquam, potest bonum proprium, quod est in una parte præ alia; adeoque licèt motivum sub ratione veri non sit satis, ut se solo determinet intellectum ad assensum partis A, præ assensu partis B, attamen idem motivum sub tali ratione boni, quam includat, & non includit motivum B pro parte oppositâ, satis erit, ut voluntas determinet intellectum. Addo, sicut licèt omnia bona conveniant in ratione boni, attamen sub ratione generică boni dantur plura bona specie diversa, etsi æqualia, & hæc diversitas satis est, ut voluntas stans inter bona æqualia eligat hoc prę illo; ita à pari licèt omnia vera conveniant in ratione veri, attamen sub ratione generică veri dantur plura vera specie diversa, etsi æqualia, & hæc diversitas satis est, ut intellectus stans inter vera æqualia eligat ex voluntatis imperio hoc præ illo; immo satis est hæc ipsa diversitas, ut inter vera inæqualia eligat minùs verum; quomodò voluntas inter bona inæqualia specie diversa eligat minus bonum, quia hoc minus bonum habet differentiam boni, quâ caret maius bonum.

N. 446. Dices: Stante æquali probabilitate intellectus est necessario dubius: ergo &c. Distinguo: antequàm assentiatur, & secluso voluntatis imperio, concedo; accedente, nego. Igitur conscientia licèt tunc se determinare non possit, quia non determinatur nisi ab evidentiâ objecti, potest tamen determinari à voluntate, etsi non detur maior ratio objectiva pro assensu unius, quàm pro assensu partis oppositæ.

Ad confirmationem distinguo: stante duplici æquali, & simili bono, non potest voluntas eligere, transeat; duplici æquali, & diverso bono, nego antecedens, & consequentiam; immò argumentum redit in Adversarios: Ut enim voluntas, stante duplici æquali bono, sed diverso, potest eligere, quod maluerit; immò stante duplici inæquali, sed diverso bono, potest eligere minus, ut accidit in omni peccante; ita in nostro casu; nam motiva intellectus licèt sint æqualia quoad gravitatem, immò unum gravius alio, semper tamen sunt diversa; motivum enim affirmandi est diversum à motivo negandi: ergo poterit intellectus ex voluntatis imperio assentiri alterutri pro libito voluntatis. Dixi, *transeat*, quòd voluntas stante duplici æquali, aut inæquali, sed simili bono non possit se determinare ad electionem unius præ alio; & multò magis non possit eligere minus ex duobus similibus bonis: quod utrumque absolutè negare possem, ut plerique negant cum P. Suar. P. Salas 1. 2. *tr.* 8. *sect.* 6. P. Ovied. 1. 2. *tr.* 2. *contr.* 4. *n.* 124. *& contr.* 11. *de Animâ pu.* 6. Herinx *tom.* 2. *d.* 2. *n.* 63. Riccio *lib.* 2. de Act. hum. *cap.* 12. *&* 13. Richardo, Henrico, Maiore; etsi dictus Riccius velit dicendam potiùs acceptionem, quàm electionem; sed me judice, dicendum potiùs est, esse electionem, non autem esse prælectionem. Ratio est; quia, ut voluntas eligat unum præ alio, non est necesse, ut detur ex parte objecti voluti quid diversum, ob quod præferat unum bonum alteri bono; & illud *præ* non est necesse, ut se teneat ex parte boni electi, satis est, ut per ipsam electionem præferat exercitè minus bonum bono maiori omninò simili. Ita docui de Act. hum.

N. 447. N. 448. P. Suar. P. Salas, P. Ovie. Herinx, Riccius, Richar. Maior, Henr.c.

Dices ex Palanco *qu.* 26. *n.* 77. falsum esse, quòd voluntas eligere possit alterutrum ex bonis æqualibus, etsi diversis; & ait hoc sentiri omnes Thomistas cum P. Vasqu. 1. 2. *qu.* 13. *art.* 6. *ad* 3. quia necesse est, ut extremum, quod eligitur, præemineat alteri. Subdit, quòd etsi hoc daretur, non sequitur quòd intellectus positus inter duo motiva æquè probabilia, sed dissimilia, moveri possit ex imperio voluntatis ad assensum præ dissensu. Disparitas est; quia ideo voluntas stans inter duo bona æqualia dissimilia potest eligere, quia rectè componitur, quòd utrumque sit bonum absque ullâ contradictione, & nullum est periculum eligendi malum, nam quodcumque eligat, bonum erit. At motiva æqualia in intellectu stant pro par-

N. 449. Palanc. P. Vasq.

pro partibus contradictorijs, de quibus intellectus evidenter scit alteram earum esse in re falsam, & sic evidens est periculum incurrêdi falsum, si pro libito alterutri parti assentiatur: ergo est manifesta disparitas.

N. 450. Sed contra 1. quia ad summum verum est, quòd voluntas non possit eligere inter æqualia bona omnino similia; non autem inter æqualia, sed diversa: nam inter alios Thomistas Gonetus *tom. 3. d. 9.* de electione *art. 3.* per totum, agitans hanc quæstionem, an voluntas possit eligere minus bonum, vel saltem æquale, numquàm mentionem facit de minori, aut æquali bono, sed diverso. Gonet. Quòd enim inter diversa bona possit eligere minus non tantùm mediatè, quatenus voluntas movere potest intellectum, ut novas rationes inveniat, ob quas objectum, quod secundùm se apparebat minus bonum, appareat deinde maius; sed etiam quod inter diversa possit voluntas eligere immediatè minus bonum, certum videtur tùm experientiâ, tùm ex libertate, quæ debet esse potentia immediatè libera ad utrumque extremum; tum ex eo quia alias omnis peccans ante peccati electionem, judicare deberet peccatum esse melius suo opposito, & sic fieret Hæreticus: ergo negari non potest voluntati libertas eligendi inter bona diversa bonum æquale, aut minus, nam adest diversa bonitas, ob quam bonum æquale, aut minus præligi potest. Contra 2. quia si Palanco conceait voluntati, quòd inter bona æqualia, immò inæqualia, dummodò diversa, eligere possit, poterit hoc etiam intellectus stans inter motiva æqualia, aut inæqualia, dummodo diversa, ex voluntatis imperio eligere minus, aut æquale, præsertim cùm motiva opposita, sive æqualia, sive inæqualia, sint semper diversa.

N. 451. Disparitas allata nulla est; quia si voluntas potest inter æqualia bona eligere alterutrum, quia utrumque est bonum, etiam intellectus inter motiva æquè probabilia assentiri poterit alterutri, quia utrumque est æquè probabile; non enim objectum intellectus est tantùm id, quod est evidenter verum, aut verum ut sic, sed etiam est probabiliter verum, immò hoc, & illud, & singula vera: ergo cùm utrumque motivum habeat solidam veri apparentiam, poterit alterutri adhærere. Nec dici potest, quòd cùm alterutra pars sit falsa, intellectus exponit se periculo assentiendi falso; non enim utrumque contradictorium est verum, sicut utrúque bonum est bonum, & ideo voluntas eligens inter bona æqualia, quodcumque eligat, eligit semper bonum, & numquam malum; econtra intellectus eligens inter contradictoria æquè probabilia, eliget aliquod falsum, nam alterutrum est falsum. Hæc Palanco, & P. Thyrsus. *diff. 7. §. 4.* Palanc. P. Thyr.

N. 452. Sed contra 1. quia licèt alterutrum sit in se falsum, utrumque tamen apparet probabiliter verum: ergo intellectus cuicumque assentiatur, assentietur semper objecto probabiliter vero, etsi in re possit esse falsum. Contra 2. quia ut expressè Arist. *lib. 1.* Rhetor. 1. ait: *Verum, & verisimile ejusdem videntur esse facultatis: homines autem ad veritatem natura compositi sunt, & ille ad probabilia sectanda benè se habet, qui similiter se habet ad veritatem:* ergo objectum intellectus non tantùm est verum, sed etiam verosimile: ergo cùm utraque pars contradictionis esse possit verisimilis ob diversas rationes, ut rectè discurrit P. Munièsa *stim. 6. n. 104.* non est cur physicè non possit intellectus ex imperio voluntatis utrilibet assentiri, sive verisimiliori, sive minùs verisimili. Hinc paritas voluntatis, & intellectus æquo pede procedunt: ut enim voluntas potest velle bonum apparens minus, seu minus bonisimile, (ut ita loquar) ita intellectus minus verisimile. Contra 3. quia ut voluntas potest eligere inter bona æqualia, etsi alterutrum sit in re malum, immò etsi hoc evidenter sciat, & quidem non tantùm vagè, sed determinatè sciat extremum A, esse malum, ex. gr. comestionem esse vetitam; adhuc tamen potest eam velle, quia licèt careat bonitate honestatis, non tamen bonitate delectationis, quæ satis est, ut voluntas eligere possit esum, etsi sciat esse in re moraliter malum: ita multò magis intellectus, qui non nisi vagè scit alterutram ex contradictorijs esse falsam, nescit autem quænam in particulari sit falsa, poterit alterutri ex his, *licitum est pingere, non est licitum pingere die festo*, eligere, quia utraque apparet probabiliter vera, seu utraque est verosimilis, licèt una in re sit vera, altera in re sit falsa: ergo nulla est disparitas allata, quinimmò si voluntas potest inter æqualia eligere, quia utrumque apparet bonum, etsi in re unum sit malum; multò magis poterit intellectus alterutri ex contradictorijs probabilibus assentiri, quia utraque apparet vera, ex gravi ratione, etsi una, indeterminatè tamen, sit in re falsa. P. Mun.

N. 453. Omitto alia, quæ trahit Palanco *à n. 85.* ubi dicit nos inconsideratè æquivocari; reverà tamen evidens est Palanci æquivocatio: etsi enim repugnet, ut eadem propositio sit in se vera, & in se falsa, non tamen ut nobis ex tali motivo appareat vera, & sit in se falsa. Confundit igitur verosimilitudinem, seu

seu veritatem, ut nobis ex gravi ratione apparet, cum veritate in re: ergo non mirum, si ex proprio falso supposito confundente veritatem, ut est in mente, cum veritate ut est in se, nobis imponat æquivocationem.

N. 454. Phlal. Dices 2. ex Phlal. *qu.7.pag.127.* intellectum inter contradictoria æquè probabilia positum, manere necessario dubium in ordine ad ferendum judicium de re, etsi nõ in ordine ad ferendũ judicium de apparentiâ rei; quia cùm uno tantùm modo judicare possit de re, vel affirmando, vel negando, tunc nullum maius motivum habet, ut potiùs affirmet, quàm neget; ergo omne suspendit. Sed contra; quia dixi intellectum manere ex se dubium, donec accedat voluntatis imperium. Ad probationẽ dico necesse non esse, ut habeat *maius* motivũ, sufficit, ut habeat motivum, & quidem habet semper diversum.

N. 455. M.Mir. Dices 3. ex Mercor. oppositas probabilitates se mutuò impedire. Sed contra, licèt se mutuò impediant, non tamen se enervant, ut patet in bonis oppositis; ergo etiam in verosimilibus oppositis; quare si to *impedire* importet, quod non ita facilè intellectus assentiatur uni parti præsente motivo æquali inclinante ad assensum partis oppositæ, hoc transmitto, sicut nõ ita facilè, & promptè inclinatur statera in partem A, stante æquali põdere inclinante in partem B. Si autẽ significet, quòd intellectus non possit tunc assentiri, nego. Quâ enim ratione verosimile sit impedimẽtum intellectus, cùm sit inclinatio intellectus ad assẽsum partis A seorsim à dissensu partis B? Similiter falsum, quòd maior probabilitas enervet minorem, eo modo, quo bonum maius non enervat minus, & pondus maius non tollit gravitatẽ à pondere minori, licèt hoc vincat, quia sunt in eâdem omnino lineâ gravitatis. Addo, quòd cùm motiva æqualia sint semper diversa, unum enim inclinat ad assensum, aliud ad dissensum; hinc est, quòd etsi unum minuat aliud, non tamen elidit, ita ut se habeat, ac si non esset, ut patet in Fideli, qui sæpe à motivis, etsi levissimis cõtra fidem, experitur se inclinari ad dissensum, licèt præsentia sint fortissima allicientia ad assensum: ergo si motiva gravissima non elidunt vim motivam levissimorum, quomodo æquale elidet æquale? Vide P. Teril. de Reg. mor. *qu. 52. a n. 21. ad 31.*

N. 456.

P.Teril.

N. 457. S.Aug. Cefid. Quintum est, quia S. Augustl. allatus à P. Eliz. *lib. 4. qu. 4. §. 5.* dixit, irrationabile esse dare sententiam alterutri ex duobus adolescentibus, qui se mutuò accusabant de adulterio propriæ uxoris, ex ijsdem omnino causis, speciositatis, juventutis, vicinitatis: ergo quoties datur æqualitas testium, non potest intellectus uni præ alterâ parte assentiri. Sed contra; quia hæc paritas duplicis adolescentis adulteri unicè probat, quod damus, nempe, quòd Judex non potest tunc jus dicere in favorem unius damnando alium, quando testes, & probationes sunt æquales; quod certum est; quia in causâ dubiâ certam mortis sententiam ferre peccatum est, datur enim lex vetans, ne certa damnationis sententia dicatur in probabiliter tantùm reũ, ut rectè P. Salas *sect. 4. n. 42.* C. de Lugo *d. 16.* de Just. *n. 100.* quare licèt sit speculativè probabile talem esse reum, & intellectus possit probabiliter dicere, adolescens A est reus, (& quoad hoc paritas retorquetur) non tamen est practicè probabile, quòd in probabiliter reum possit certa dici damnationis sententia. Lege P. Moyam *tom. 2. qu. 7. n. 44. & 45.*

P. Salas, C. de Lugo.

P. Moy.

Dices: In Jure decernitur, quòd quoties testes æquales deponunt contradictoria, nullam Judex sententiam dicat: ergo in casu æqualis probabilitatis intellectus, qui est veritatis Judex, nullum debet ferre judicium. Ratio est; quia ut testimonium unius enervat testimonium alterius, ita etiam unũ fundamentũ enervat oppositum æquale. Sed contra; quia paritas duorum testium est contra P. Eliz. si uterque supponatur fide dignus: si enim unus tantùm, vel nullus supponatur fide dignus, non est ad rem. Sicut enim authoritas unius non elidit authoritatem alterius, sed uterque simul est fide dignus: (non quidem ut Judex simul possit damnare, & solvere reum; immò neque ut seorsim possit reum damnare, hoc enim vetatur à Jure; & ratio ipsa evincit, quòd Judex non possit certam dare sententiam uni, quoties alter habet æquale jus pro se) sed uterque est fide dignus in ordine ad judicium speculativum, quo Judex dicat, est probabile hunc esse reum, est probabile non esse reum: ita intellectus in casu nostro potest assentiri parti, cui voluerit. Quòd autem Jus prohibeat Judici, nè in tali casu damnet reum, immò vult, ut eum absolvat, quia vult, ut tentẽtia detur in favorem illius, pro quo stat possessio; possessio autẽ quoties est æquè probabilis innocentia, ac reitas, stat pro innocentiâ rei; quòd hoc, inquam, Jus decernat, non est ad rem. Ad rationem dico, quod authoritas unius non enervat authoritatem alterius, sed ad summum neutra dat tam plenam probationem, ut reus damnari possit. Ita dico de fundamentis æquè probabilibus, hæc enim non se mutuò elidunt; id est, neutrum necessitat intellectum, concedo; id est, fundamentum A tollit vim suasivam à fundamento B, ita ut movere non possit intel-

P.Eliz.

N. 458.

N. 459.

lectum, ut ex voluntatis imperio assentiatur, cui libuerit, nego. Exemplum stateræ est contra Elizald. ut enim neutrum pondus amittit in staterâ gravitatem, nec unum tollit gravitatem alterius, nec vim à manu, ut inclinet stateræ lancem in partem, quam maluerit; ita motivum A non tollit vim suasivam à motivo B, nec à voluntate potestatem, ut determinet intellectum ad assensum A, præ assensu B.

N. 460. Dices: Non sum certus me assentiri prudenter, dum assentior minùs probabili. Sed contra ostendat Adversarius, quomodò sit certus se assentiri prudenter, dum assentitur probabiliori, quod enim ei apparet probabilius, potest non esse tale, ut patet in assensu damnatarum. Dico igitur me esse certum de prudenti assensu, tùm intransitivè per ipsum assensum, cùm omnis opinio probabilis sit intransitivè prudens; tùm reflexè, quatenus est principium certum, quòd omnis eliciens actum ex motivo, quod ipsi apparet invincibiliter grave, assentitur prudenter. Licèt autem tunc habeat etiam motivum magis grave pro dissensu, hoc unicè probat, quòd prudentiùs dissentiretur, non autem, quòd non assentiatur prudenter.

N. 461. M. Bar. Sextum, omisso argumento, quod intellectus sit dubius, & paritate Judicis, quo utroque utitur etiam M. Baro 1. *p.* Manud. *d.* 2. *sect.* 2. *art.* 2. §. 6. & 7. ita ex eo arguitur. Ratio probans veritatem partis A probat falsitatem partis B; & ratio probans veritatem partis B, probat falsitatem partis A; ergo se mutuò enervant, ut constat paritate stateræ, quæ stante hinc inde æquali pondere, in nullam partem magis inclinatur.

S. Tho. Confirmat Baro ex S. Thom. *qu.* 14. de Veritate, dicente intellectum manere suspensum, vel ex inopiâ rerum, vel ex æqualitate rationum; cùm enim non appareat maior ratio pro parte A, quàm pro B, non potest assentiri parti A, præ B, ne quidem ex voluntatis imperio, quod est Politicum promovens bonum intellectus, non Despoticum, seu Tyrannicum in malum intellectus, & aliarum potentiarum, quæ voluntati subordinantur. Hoc multò magis probat, quòd intellectus non possit assentiri minùs probabili, omisso probabiliori. Sed contra; quia

N. 462. hoc argumentum est ab ipso Baro solvendum. Tùm quia tuetur, quòd intellectus

N. 463. M. Mar. teneatur (ergo potest) assentiri opinioni magis tutæ minùs probabili. Tùm quia tuetur, quòd intellectus teneatur assentiri opinioni minùs tutæ, si infinitis probabilitatis gradibus excedat probabilitatem tutioris. Tùm quia docet, quòd si utraque opinio stet pro officio, & pro honesto, & sit æquè probabilis, quod intellectus possit assentiri, cui maluerit. Sicut ergo in his casibus ab eo admissis intellectus non manet necessariò dubius, nisi ex se, non autem accedente imperio voluntatis, quo posito assentietur directè, cui voluerit; ita in nostro casu. Quòd autem voluntas habeat tale imperium in intellectum, est certum, tum ex casibus à M. Baro admissis, tum ex judicio temerario, quod imperatur à voluntate, stante motivo unice prudenti pro oppositio. Paritas stateræ nimis probat; ut enim illa necessariò inclinatur in partem, vel quæ sola habet pondus, vel quæ aliquanto maius habet; ita intellectus necessariò assentiretur opinioni probabili, si non adsit oppositа; & probabiliori, si minùs probabilis adsit, quod utrumque est falsum. Addo quòd ad summum probat quòd intellectus *ex se* in neutram partem, stante motivorum æqualitate, declinabit, quod verum est, quia à neutrâ probabilitate necessitatur. Demum oppositum probat; ut enim stater ex voluntatis imperio accedente manu potest inclinari in partem minùs onustam, ita intellectus. Paritas Judicis etiam nimis probat; ut enim Judex tenetur favere parti probabiliori, ita & intellectus; quod tamen est ad falsum, potest enim suspendere assensum circa probabilius. Addo quòd intellectus est ad summum instar Judicis sublato voluntatis imperio, non autem accedente. Ad rationem, fateor rationem partis A debilitare aliquatenus rationem partis B, quatenus non permittit ut intellectus eâ facilitate, præsente ratione partis B, inclinetur ad assensum partis A: non tamen ita debilitat, ut tollat omnem vim motivam; adhuc enim utraque pars manet verosimilis, & voluntas habet locum imperandi pro libito assensum A, vel B oppositum; ut accidit quando voluntas stat inter duo bona oppositа. Hoc autem ita esse est certum, ut patet paritate voluntatis stantis inter duo bona oppositа, & paritate judicij temerarij; aliàs qui temerè judicat, judicaret sine motivo, quod repugnat; ut ergo probabilioritas non tollit vim motivam a motivo judicij temerarij, nec bonum A vim motivam à bono B, ita nec æqualis probabilitas A ab æquali probabilitate B.

N. 464. Ad confirmationem dico S. Thomam unicè velle, quòd intellectus ex se maneat suspensus, non autem si accedat voluntas inclinans. Neque voluntas infert tunc intellectui violentiam, quia non inclinat ad assensum ex motivo irrationali, sed ex rationali probabili; inferret, si determinaret vel contra evidentiam, vel ut sine motivo assentiretur.

N. 465.

tiretur. Sanè S. Thom. 1.2.*qu.*9.*art.*1.*&* 1. *p.qu.*82. *art.*4. luculenter oſtendit imperium voluntatis in omnes potentias, exceptis potentijs animæ vegetativæ; & quidem imperium voluntatis in exercitium aliarum potentiarum: ergo voluntas poteſt imperare intellectui, non tantùm ut ſuſpendat omnem aſſenſum, ſed etiam ut exerceat ſuos actus, nempe aſſentiatur alterutri ex æquè probabilibus, immò minùs probabili.

S. Tho.

N. 466. Septimum eſt, quia judicans partem A probabiliorem, judicat partem B minùs probabilem eſſe magis falſam: ergo ſi huic adhæreat, adhærebit parti, quam judicat magis falſam. Confirmatur: quia objectum intellectus eſt verum; ergo debet adhærere parti, quæ plus veri habere videtur. Ut ergo voluntas ex medijs inæqualiter aptis ad finem, eligere tenetur magis aptum, ita intellectus ex verosimilibus verosimilius. Ita M. Bar. Baro, & Merc. 2. *p.art.* 4. Sed contra 1. quia M. Mer. licèt minùs probabile videatur magis falſum, quàm verum, non ideo non videtur N. 467. verum; quo modo licèt minus bonum videatur magis malum, quàm bonum, non ideo non videtur bonum. Contra 2. quia aliud eſt, quòd judicet minùs probabile eſſe minùs ſimile vero, quod verum eſt; aliud quòd judicet minùs probabile eſſe magis falſum, quod falſum eſt; & propter hoc negari poteſt antecedens; confundunt enim Adverſarij minùs ſimile vero cum falſo, aut magis falſo: hoc autem eſt evidenter falſum, N. ut patet ſequenti ſyllogiſmo. Per Adverſa- 468. rios omne minùs probabile eſt magis falſum, & minùs verum; & omne probabilius eſt minùs falſum, & magis verum: ſed per Adverſarios, immò omnes Philoſophos, & TT. plura falſa ſunt probabiliora veris: ergo plura falſa ſunt magis vera; & econtra plura vera ſunt magis falſa, quod implicat in terminis: ergo falſum eſt, omne magis probabile eſſe magis verum, & minùs falſum; & omne minus probabile eſſe minùs verum, & Caram. magis falſum. Addo ex Caram. *lib.* 1. Theol. Mor. Fund. *n.* 440. eo ipſo quòd dicitur unam opinionem eſſe veriorem alterâ, eò ipſo loquimur non de veritate rei ut eſt in ſe, ſed ut nobis apparet, & eſt idem ac dicere, una eſt probabilior alterâ. Aliter reſpon- P. Card. det P. Card. *tom.*1.*d.* 15.*n.* 307.

N. 465.

N. 469. Dices cum M. Mercor. 2.*p.art.* 4. Opinari eſt exiſtimare partem A eſſe veram, etſi cum formidine, & oppoſitam eſſe falſam; ſi enim una eſt vera, oppoſita eſt falſa: ergo ſi intellectus adhæreat opinioni minùs probabili, exiſtimabit, etſi cum formidine, eam eſſe veram; & oppoſitam probabiliorem exiſtimabit eſſe falſam, etſi cum formidine; ſed hoc implicat, nam probabilior apparet magis vera, quàm minùs probabilis; ergo non poteſt adhærere minùs probabili, nam judicaret minùs probabilem eſſe veram; & probabiliorem, ſeu magis veram, eſſe falſam. Sed contra 1. quia ſolvendum eſt à Baro, & Mercor. tuentibus ſequendam eſſe magis tutam, & minùs probabilem: ergo M. Bar. M. Mer. tunc intellectus adhærebit opinioni minus veræ, & magis veram, ſeu probabiliorem judicabit falſam. Contra 2. quia probatur, quòd intellectus teneatur aſſentiri parti probabiliori; immò cuicumque probabili ſumptæ ſeorſim ab alia. In formâ nego antecedens; opinans enim non affirmat eſſe verum, ſed eſſe ſimile vero; ſi affirmet ex maiori probabilitate, affirmat eſſe ſimilius vero; ſi ex minori, eſſe minus ſimile; nec debet confundi ſimilitudo veri cum veritate; nec maior, aut minor ſimilitudo veri, illa cum veritate, hæc cum falſitate; & nego conſequentiam, N. & ſubſumptum; quia licèt qui probabiliter, 470. aut probabiliùs aſſentitur, reverà abſolutè affirmet; non tamen affirmat abſolutè verũ, ſed affirmat abſolutè ſimile, aut ſimilius vero. Addo inſtari paritate duplicis boni; nec enim amplectens minus bonum, & omittens maius bonum, amplectitur malum.

Ad confirm. dico, quòd objectum intel- N. lectus eſt verum, quatenus non poteſt aſſen- 471. tiri objecto niſi ſub ratione veri; hinc tamen non ſequitur, quòd teneatur ſequi omne, quod eſt ſimilius vero, quia ſimilius vero ſæpe non eſt verum, ſed falſum. Ad paritatem dico, quòd ſi verosimilius magis conduceret ad verum, & neceſſariò ſemper uniretur cum vero, tunc intellectus teneretur ſemper aſſentiri verosimiliori; quia tamen evidens eſt, quòd verosimilius ſæpe ſit falſum, ideo non tenetur. Ad voluntatem dico, quòd voluntas efficax finis non obligat ad medium magis aptum, ſi dentur alia etiam apta. Immò ſi tenetur ad magis aptum, eſt, M. Bar. quia ſupponitur magis conducere, immò unicè conducere ad intentum: at probet nobis Baro, quòd verosimilius ſit re ipſâ magis, aut unicè connexum cum vero.

Dices ex Mercor. *l. c.* Potentia inclinat N. quantum poteſt in ſuum objectum, cùm ſit 472. ejus perfectio; ergo horret oppoſitum, quâ- M. Mer. tùm poteſt; ergo cùm objectum intellectus ſit verum, adhærebit objecto, quod magis apparet verum; ergo probabiliori; cùm imperium voluntatis non ſit Deſpoticum in bonum jubentis, ſed Politicum in bonum ſubditorum. Addit, quòd licèt intellectus ex ſe poſſet aſſentiri minùs probabili, repugnat

pugnat tamen ex parte voluntatis, ut imperet assensum circa minùs probabile; eo modo quo voluntas ex duplici medio tenetur eligere, quod est utilius fini efficaciter intento, ut docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 13. *art.* 6. *ad* 1. nam prælectio importat aliquid in uno medio, quod non est in omisso; ergo etiam intellectus: ergo cùm opinans velit efficaciter attingere veritatem, quilibet enim ex ejus amore studet; assentiri autem parti minùs probabili, minùs conducat ad hunc finem; magis autem, assentiri probabiliori; hinc est quod minùs probabilis, concurrente probabiliori, eligi non potest.

S. Tho.

N. 473. M.Me.

Sed contra; quia hoc est à Merc. solvendum, tùm quia admittit assensum opinionis magis tutæ, minùs probabilis; tùm quia docet subditum debere obedire Prælato, etsi judicet esse minùs probabile quod præcipit. In formâ dico objectum, cui intellectus necessariò assentitur, non esse verum, sed evidenter verum, & in hoc sensu verum est, quòd potentia inclinet, quantùm potest, in suum objectum; quomodò objectum, in quod voluntas necessariò fertur, non est bonum, sed purum bonum. Sicut autem voluntas ex duplici bono mixto eligere potest minus, ut patet in peccatore, qui sciens bonum supernaturale, & observantiam legis esse bonum longè maius, quàm violatio, eligit tamen furtum, & reliqua minora bona; ita etiam intellectus licèt inter verum, & falsum cognita ut talia non sit liber, nec indifferens; est tamen liber inter verosimile, & verosimilius adhærere, cui placuerit. Ad additum, instatur in doctrinâ Thomistarum, qui volunt quemlibet per omnem voluntatis actum intendere ultimum finem; & tamen omnis peccans eligit malum, quod scit minùs conducere fini ultimo. Dicere autem, quòd peccans sciat quidem furtum esse malum, errare tamen, quatenus tunc credit, quòd non sit minùs, immò sit magis conducens ultimo fini, est velle quòd omnis peccator sit Hæreticus, immò sit stolidus; quomodò enim judicet tunc tale opus esse magis aptum ultimo fini, quem semper in omni opere intendit, cùm evidenter sciat quòd per tale opus se opponat ultimo fini? Ergo, juxta Thomistas, est multò magis falsum, quòd voluntas intendens efficaciter ultimum finem teneatur necessariò eligere aptius, ut

N. 474.

Scotus. P. Suar. Gabriel, Herinx.

scitè Scotus, Gabriel, P. Suar. Herinx *tom.* 2. *d.* 2. *n.* 63. Addo hoc esse certò falsum; nam Sæcularis eligit vitam minùs disciplinatam; & Religiosus eligit sæpe media non ita perfectè conducentia ultimo fini, ac sunt media omissa, quæ media Sæcularis, & Religiosus non tantùm in genere, sed etiam respectu sui, scit esse minùs conducentia (conducentia tamen) saluti æternæ. Idem patet in eunte Romam, cui satis est, ut eligat aptum non aptius medium. Itaque appetens efficaciter ultimum finem tenetur necessariò inter media conducentia, & non conducentia eligere conducentia ex suppositione volitionis efficacis ultimi finis: non tenetur autem ex tali suppositione inter magis, & minùs conducentia, eligere magis conducentia. Hinc paritas est contra Contrarios, quia eodem modo intellectus inter verum, & falsum non est liber; sicut etiam inter media connexa, & non connexa cum vero, ex suppositione, quòd velit prudenter assentiri, non est liber assentiri medio non connexo prudenter cum vero: adhuc tamen inter media magis, & minùs connexa prudenter cum vero est liber assentiri, vel medio magis, vel medio minùs connexo prudenter cum vero, quia omnia supponuntur, licèt inæqualiter, connexa prudenter cum vero.

Instas: Saltem intellectus non poterit à voluntate flecti ad judicium partis minùs probabilis, stante judicio finali imperativo dicente, partem oppositam esse probabiliorem. Nego antecedens, quidquid dicat P. Teril. de Consc. *qu.* 8. *n.* 25. & de Reg. mor. *qu.* 2. *n.* 79. cùm oppositum sit mihi evidens; nam Hæreticus stante evidentiâ credibilioritatis pro fide Romanâ, adhuc assentitur articulo, qui apparet minùs credibilis. Aliud ergo est, quòd stante assensu circa probabilius, non possim assentiri minùs probabili; & hoc certum est: aliud quòd stante assensu de probabilioritate partis A, cui tamen non assentior, non possit stare assensus circa partem oppositam minùs probabilem; & hoc falsum est. Demum transeat antecedens, quod non est ad rem; ut enim tueamur, quòd intellectus assentiri possit minùs probabili, stante motivo probabiliori pro opposito, non est necesse, ut intellectus assentiri possit objecto minùs probabili, stante *judicio* comparativo de probabilioritate motivo pro parte oppositâ.

N. 475.

P. Teril.

§. II.

Argumenta Palanci.

SUMMARIUM.

Quia Arist. ait, quòd solvere vinculum dubitationis non est ignorantis, adeoque non poterit voluntas determinare intellectum, n. 476.

Quia dici non potest, undenam intellectus habeat ex imperio voluntatis esse veram partem, cui assentitur, n. 477.

Quia

Quia intellectus nullam aliam rationem dare poterit, quam quia volo, *& paritas stateræ*, n. 478.
Plures contra hoc nostræ instantiæ, & confunditur causa efficiens cum formali, n. 479.
Quia intellectus non potest prudenter saltem assentiri parti æquè veræ, ac falsæ, n. 480.
Quia intellectus non potest serio dicere, hoc puto verum, etsi ob motiva opposita putem esse æquè falsum, n. 481.
Dico intellectum assentientem uni parti, inferre assensum ex motivis ejus partis, non ex oppositis, etsi ea comparaverit cum istis, n. 481.
Solutio reliquorum, ibid.
Dico, intellectum non dicere, judico A esse verum, etsi ob motivum B, sit falsum, n. 482.
Exponitur fusè exemplo voluntatis, n. 483.
Duplex genus veritatis objectivæ diversæ in intellectu, n. 484. 485.
Sicut quodlibet æquale bonum habet aliquid boni, & mali, & una bonitas æqualis non enervat oppositam, ita quodlibet æquè probabile aliquid veri, & falsi, & una veritas non enervat aliam, n. 486. 487.
Quia in quæstione facti testes æquales se enervant, ita etiam in quæstione juris rationes, & Doctores æquales, n. 488.
Quia si summa est erga S. Ambros. & S. Aug. æstimatio quòd tuto operer juxta unum contra alium, multò maior, quòd suspendam omne judicium, n. 489.
Quia si tantum solvo rationes affirmativæ, eò ipso assentior negativæ, ut probabiliori, n. 490.
Possum in quæstione facti assentiri prudenter ob authoritatem æqualem, etsi non dicere jus, n. 491.
DD. contradicentes non amittunt authoritatem, latè à n. 492.
Replica Palanci solvitur, n. 493.
Ego dico, me posse sequi utrumque divisim, Palanco neutrum, ibid.
Operans juxta dictamen S. August. non facit injuriam S. Ambrosio; cur? n. 494.
Etsi solvam rationes partis affirmativæ, adhuc manet æquè probabilis, ac negativa, n. 495.
Quia imprudenter eligitur medium æquè, immò minus utile fini, quam oppositum; trahit paritatem navis, pecuniæ &c. n. 496.
Ait, quòd dubitare non est malum intellectus, error autem est saltem malum physicum, n. 497.
Quia repugnat, ut intellectus judicet verum, quod apparet magis falsum, n. 498.
Paritates physicæ nil probant, vel oppositum; cur? n. 499
Falsitas cognita probabiliter ut veritas, non nocet, n. 500.
Palanco non enervat doctrinam P. Teril. n. 501.
Intellectus æquè benè se habet, cuicumque assentiatur, & ad summum casualiter melius se habere potest; cur? n. 502.
Quomodo, & quando error sit malum intellectus, fusè a n. 503.
Arist. & S. Thom. insinuant meliorem esse cognitionem, non tantum suspensione, sed evidenti cognitione objecti inferioris, n. 504. 505.
S. Thom. est contra Palanco, n. 506.

ETsi quæ dicturus sum ex Contrarijs, jam dicta sint, quia tamen aliqui plus justo ea extollunt, ijsque non pauca addunt, ideo ne quid omissum à me videatur, in medium ea produco.

Objicies 1. ex Palanc. *qu.* 26. *a n.* 6. Implicat, ut voluntas per se immediatè determinet, quæ pars sit vera, quæ falsa, hoc enim est proprium intellectus, ut ait Arist. 3. Metaph. *cap.* 1. *Solvere vinculum dubitationis non est ignorantis*; voluntas autem de se est cæca, & ignorans: sed si stantibus motivis æqualibus voluntas imperaret intellectui assensum partis affirmativę præ negativâ, voluntas in quæstione dubia, immediatè, & per se decideret partem affirmativam esse veram, & negativam falsam: ergo, &c. Minor probatur; quia in dicto casu intellectus pro priori ad imperium voluntatis est dubius quæ pars sit vera, vel falsa; & accedente imperio voluntatis assentitur affirmativæ potiùs, quàm negativæ: ergo voluntas immediatè decidit dubium pro parte affirmativâ, cujus decisionem deinde exequitur intellectus. N. 476. Palanc. Arist.

Confirmat 1. quia dum voluntas determinat intellectum, ut assentiatur parti affirmativæ tamquàm veræ, dici non potest, undenam voluntas habeat, quòd affirmativa potiùs sit vera, quàm negativa; non ab intellectu, nam est dubius; ergo ex se ipsâ tribuit veritatem potiùs parti affirmativæ, quàm negativæ, quod implicat. N. 477.

Confirmat 2. *n.* 8. Implicat, ut intellectus opinando hanc præ illâ parte esse veram, nullam aliam rationem reddere possit, cur hæc sit vera, præ aliâ, nisi *quia volo*; sed hoc accidit in nostro casu, nam intellectus æqualia habet pro utràque parte motiva, ita ut nulla sit ratio, cur potiùs sit vera affirmativa, quàm negativa, sed unicè pro affirmativâ est imperium voluntatis, quod non est pro negativâ: ergo tota ratio est, *quia volo*. N. 478.

Confirmat 3. *n.* 12. quia sicut statera deficit à suo officio sibi connaturali, quoties æquali pondere gravida, inclinatur à manu ad unam præ aliâ parte; ita idem accidit in-

tellectui, cui fit violentia, & deeſt muneri judicandi inter verum, & falſum, quoties à voluntate inclinatur ad unam partem contradictionis præ aliâ æquè veră, aut æquè falſâ; unde *n.* 15. ſubdit valdè exceſſiſſe P. Eſparzam, qui *art.* 132. auſus eſt exemplum ſtateræ, cui Contrarij nituntur, vocare, *irrationabile, indiſciplinatum, & ex ſuperficialitate vulgi.*

N. 479. Sed contra; quia hęc inſtantur innumeris exemplis: dicam enim, quòd cauſa, cur oculus videat, auris audiat, pes incedat, ſit voluntas, eò quia determinat ad viſum potiùs, quàm non viſum; immò ad viſum objecti albi præ oppoſito nigro: ſicut ergo in his confunditur cauſa imperans, vel efficiens cum cauſâ formali, ita in caſu noſtro. Verùm nè recedam à probabilitate, quæro, quæ ſit cauſa, cur intellectus liber immediatè inter aſſenſum, & non aſſenſum, aſſentiatur potiùs, quàm non aſſentiatur; vel econtra, non aſſentiatur potiùs, quàm aſſentiatur? In formâ dico cauſam efficientem aſſenſum præ diſſenſu eſſe intellectum; cauſam imperantem (quæ ſolet reduci ad efficientem) eſſe voluntatis imperium; cauſam motivam eſſe motiva, ob quæ intellectus movetur ad aſſenſum præ diſſenſu; cauſam formalem, cur aſſenſus ſit verus, eſt, quia conformatur ſuo objecto. Exemplum ſtateræ toties malè libratum nec eſt ad rem, nec quidquam probat, & oppoſitum probat, ut patet ex §. 1.

N. 480. Objicies 2. Quoties adſunt motiva æqualia, toties quælibet pars æquè apparet vera, ac falſa, nam rationes ſtantes pro veritate partis affirmativæ ſuadent negativam eſſe falſam; & rationes ſtantes pro veritate negativæ ſuadent affirmativam eſſe falſam: ſed nullus intellectus poteſt prudenter ſaltem aſſentiri parti, quæ æquè apparet vera, ac falſa: ergo intellectus conſiderans rationes pro utrâque parte æquales, non poteſt prudenter ſaltem aſſentiri uni parti præ aliâ. Nec dici poteſt intellectum non inferre aſſenſum ex omnibus motivis, tam ſtantibus pro parte affirmativâ, quàm contra ipſam. Contra enim eſt, ait Palanco *qu.* 26. *a n.* 19. Palanc. quia vel intellectus infert aſſenſum ex motivis pro parte affirmativâ ſeorſim conſideratis, vel ex motivis pro ipſâ, ut collatis cum motivis contra ipſam? Si primum; ergo non ſalvatur, quòd intellectus actu conſiderans motiva contra ipſam, & pro ipſâ, illi aſſentiatur, ut veræ; ſed unicè ſalvatur, quòd intellectus conſiderans unicè motiva pro ipſâ, poſſit illi aſſentiri ut veræ, quod ego non nego, ait de ſe Palanco. Si ſecundum, contra eſt; quia ex motivis pro ipſâ, ut collatis contra ipſam, non poteſt intellectus aſſentiri illi probabiliter ut verę; nam hęc conſequentia eſt improbabilis: *Dantur motiva, quæ collata cum motivis contra ipſam, non magis ſuadent ejus veritatem, quam oppoſita ejus falſitatem; ergo ipſa eſt determinatè vera;* ergo intellectus inferens aſſenſum ex eo antecedenti, improbabiliter omnino aſſentiret huic concluſioni. Confirmat 1. *n.* 21. quia intellectus non poteſt ſeriò dicere, *Hanc concluſionem teneo ut veram ob hæc motiva, etſi ex motivis oppoſitis mihi appareat æquè falſa;* ergo quoties utraque eſt æquè probabilis, nulli parti poteſt aſſentiri. Hinc *n.* 22. ait, nos evidenter æquivocari, quatenus non diſtinguimus inter hoc, quòd eſt aſſentiri concluſioni ex tali motivo abſolutè conſiderato, quod fieri poteſt; & aſſentiri ex eo motivo conſiderato comparativè cum oppoſito æquè probabili, quod fieri non poteſt. Quis enim ex duobus principijs æquè inclinantibus in oppoſitum inferat determinatè unam præ aliâ parte? hoc enim repugnat, ut patet exemplo voluntatis, quæ ſi ſit æquè indifferens in actu primo ad amorem, ac ad odium, non poſſumus nec amorem, nec odium determinatè conjectari: ergo intellectus æquè inſtructus motivis tam probantibus, quàm impugnantibus aliquam concluſionem, non poteſt probabiliter conjectare eam concluſionem eſſe potiùs veram, quàm falſam. Confirmat 2. *n.* 25. quia rationes, quæ directè probant hanc concluſionem affirmativam, *Licitum eſt pingere die feſto*, eſſe veram, eædem probant directè, & formaliſſimè hanc negativam, *Non eſt licitum pingere die feſto*, eſſe falſam; & econtra rationes, quæ directè probant hanc negativam eſſe veram, eædem probant eam affirmativam eſſe falſam; ergo quælibet eſt æquè vera, ac eſt æquè falſa. N. 481.

Reſpondeo negando minorem. Ad replicam dico, quòd intellectus aſſentiens uni parti ex æquè probabilibus inferat aſſenſum ex motivis probantibus illam partem, non autem ex probantibus oppoſitam, nam hoc implicat. Ad quęſitum dico, quòd motiva ſuadentia partem A collata fuerùt cum motivis ſuadentibus partem B oppoſitam: attamen aliud eſt, quòd aſſenſus partis A inferatur ex motivis ſuadentibus partem A, ut collatis cum motivis oppoſitis; aliud eſt, quòd aſſenſus partis A inferatur ex motivis tam partis A, quàm partis B. Primum eſt verum; ſecundum eſt falſum, & repugnans. Ad id quod addit, hanc conſequentiam eſſe improbabilem: *Dantur motiva, quæ collata cum motivis contra ipſam, non magis ſuadent ejus veritatę, quam oppoſita ejus falſitatem; ergo*

ipſa

ipsa est determinatè vera; nego esse improbabilem, immò est vera; nam non aliud est, quàm dicere, dantur motiva æquè probabilia; ergo pars A propter motiva A est probabiliter vera.

N. 482. Ad 1. confirm. dico, quòd eò ipso, quòd intellectus ex voluntatis imperio assentitur parti A, eò ipso paratus est dissolvere motiva partis B. Quare non dicit, *Hanc conclusionem teneo ob motiva A ut veram, etsi ob motiva B sit mihi falsa*; non, inquam, hoc dicit, sed dicit, Hanc conclusionem teneo ob motiva A ut veram; immò etiam ob motiva B, quæ paratus sum solvere, cùm non sint ostensiva certò ejus falsitatis. Sanè, qui considerat voluntatem in actu primo cum duplici motivo æquè trahente ad oppositum, voluntatem, inquam, indifferentem ad amorem, & odium jejunij, debet argumentum solvere. Quæro enim, an amans jejunium ut bonum ob motivum A, dum vult jejunare, dicat, Ego volo jejunium ut bonum ob motivum A, etsi ob motivum B sit mihi malum? Si dicat in hoc nullam esse repugnantiam, ut jejunium appareat bonum ex uno motivo, & malum ex alio motivo; seu ut sit bonum bonitate honestatis, & non sit bonum bonitate delectabilitatis; dicam ego nullam etiam esse repugnantiam, ut hæc conclusio, *Licitum est pingere die festo*, appareat vera ex motivo affirmativo, & appareat falsa ex negativo: & sicut dum dico, Volo jejunium, quia honestum, voluntas ab honestate movetur ad amplectendum jejunium; immò allecta eâ honestate vincit motiva boni delectabilis retrahentia voluntatem à volitione jejunij; ita in nostro casu, dum dico, Licitum est pingere, intellectus ad hunc assensum movetur à motivo alliciente ad assensum; & eo motivo allectus vincit motivum oppositum alliciens ad dissensum, & retrahens ab assensu.

N. 483. Quare sicut in voluntatis indifferentiâ duas considero bonitates, aliam boni honesti allicientis ad jejunium, aliam boni delectabilis allicientis ad esum; & actus, quo volo jejunium, est bonus bonitate honestatis, nō autem est bonus bonitate delectabilitatis; econtra actus quo possem nolle jejunium, sed esum, esset bonus bonitate delectabilitatis, non autem honestatis: ita accidit in intellectu instructo duplici motivo æquè probabili; in quo ante assensum, & dissensum considero duplex genus veritatis objectivę oppositæ: una est veritas objectiva movens ad N. 484. assensum, *Licitum est pingere die festo*; alia est veritas objectiva movens ad dissensum, *Non est licitum*: sicut autem nulla est repugnantia, ut voluntas stans inter ea duo bona, honestum, & delectabile, æqualiter moventia, determinet se ad volendum jejunium, vel volendum esum; ita nulla, ut intellectus stans inter duas veritates objectivas æqualiter moventes, determinetur à voluntatis imperio ad assensum, vel ad dissensum, nam intellectus, stantibus motivis æqualibus, à neutro necessitatur; ergo est indifferens. Rursus, sicut voluntas, dum elicit hunc actum, Volo jejunium, ita vult bonum honestum, ut non velit bonum delectabile, nec in hoc ulla est repugnantia; ita nulla quoque in intellectu, dum elicit hunc assensum, Licitum est pingere; elicit enim actum probabiliter verum veritate affirmativâ, non autem negativâ. Hinc patet non tantùm nos non æquivocari, sed æquivocari Palanco: ut enim voluntas volens jejunium, vult jejuniū non tantùm ex motivo honestatis absolutè considerato, sed collato cum motivo delectationis; habet enim voluntas libertatem cōtrarietatis, & est libera non tantùm velle, & non velle jejunium, sed etiam velle jejunium, & velle esum; & licèt adsint duo principia, seu motiva, & bona inclinantia in oppositum, adhuc tamen potest determinatè velle unum bonum præ alio; ita dico de intellectu. Ad additum, quòd sicut ex voluntate æquè indifferente ad amorem, ac odium non possum determinatè conjectari amorem, aut odium; ita intellectus instructus duplici motivo tam probante, quàm impugnante aliquam conclusionem, facit, ut non possim probabiliter conjectari eam conclusionem esse potiùs veram, quàm falsam. Fateor ita esse, at non N. est ad rem; non enim quæritur quem actum 485. elicitura sit voluntas, aut intellectus; sed quęritur, an sicut voluntas tali modo in actu primo indifferens potest velle amorem potiùs, quàm odium, & per ipsum amorem determinare se formaliter in actu secundo; ita hoc idem possit intellectus in actu primo indifferens, nempe an possit à voluntatis imperio determinari ad assensum ex motivo A, potiùs, quàm ad dissensum ex motivo B.

Ad 2. confirm. retorquetur in voluntate: N. Rationes, quæ directè probant esse jejunandum, seu quæ movent voluntatem ad jejunium, eædem formalissimè probant nolitionem jejunij, seu volitionem esus esse malam: & rationes, quæ directè suadent volitionem esus esse bonam, eædem directè suadent volitionem jejunij esse malam: ergo quælibet, sive volitio jejunij, sive volitio esus, est æquè bona, ac est mala: ergo voluntas stans inter motiva æquè inclinantia ad volitionem jejunij, quàm ad volitionem esus, non poterit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poterit se determinare ad volitionem jejunij præ volitione esus; aut econtra. Sicut autem hoc non tenet in voluntate, ita nec in intellectu. Ratio est; quia motivum suadens jejunium, est bonum honestum, non autem delectabile; motivum autem suadens esum, est bonum delectabile, non autem est bonum honestum; atque adeo motivum jejunij non tollit à motivo esus bonitatem delectabilitatis inclinantem ad esum; nec motivum esus tollit à motivo jejunij bonitatem honestatis inclinantem ad jejunium. Si ergo respectu voluntatis unum motivum non tollit ab alio æquali vim inclinativam, & suasivam; adhuc enim unum motivum collatum cum alio retinet suam vim inclinativam, nempe motivum jejunij retinet bonitatem honestatis inclinantem voluntatem ad volitionem jejunij, & motivum esus retinet oppositam bonitatem delectabilitatis inclinantem voluntatem ad volitionem esus: ita dico de motivis intellectus inclinantibus in oppositas veritates, quorum quodlibet retinet suam vim motivam diversam ab alio, & suasivam proprij actus, diversum enim est motivum assensûs à motivo dissensûs. In formâ transeat, quòd ratio movens ad hunc assensum, Licitum est pingere, sit æquè vera, ac falsa, non minùs quàm ratio movens ad jejunium est æquè bona bonitate honestatis, ac mala malo opposito bono delectabili; nego tamen, quod intellectus cognoscens eam rationem esse æquè probabiliter veram, ac falsam, non possit illi assentiri probabiliter ut veræ, adhuc enim videt esse probabiliter veram. N. 487.

Objicies 3. ex Palanco *à n.* 26. Intellectus prudenter saltem non poterit assentiri parti minùs, aut æquè probabili, omissâ probabiliori. Antecedens probat in quæstione circa factum: etsi enim duo testes ex se faciant fidem partis, quam testantur, non tamen si pro oppositâ stent alij duo æquè digni; tunc enim eorum authoritas per istorum authoritatem impeditur: ergo à pari quoties pro utràque parte contradictoriâ stent æquales Doctores, neutra pars contradictionis manet prudenter opinabilis. Nec ulla dari potest disparitas, cur authoritas duorum testium enervetur per authoritatem aliorum duorum, adeo ut neutra pars testata digna sit prudenti assensu; sit autem eo digna quælibet pars contradictionis probata a Doctoribus omnino æqualibus sibi contradicentibus. Dicere enim, quòd auditis testibus æqualibus sibi contradicentibus, intellectus maneat dubius, quatenus nullam invenit rationem, ut huic potiùs, quàm illi credat, & sic authoritas unius enervat authoritatem alterius: at in quæstione juris discursus unius Doctoris non enervat discursum alterius, ut ait P. Carden. *d.* 15. *n.* 236. est nihil dicere. N. 488. Palanc. P. Card.

Nam contra 1. quia potest uterque testis rationabiliter deponere oppositum; potest enim unus invincibiliter falli putâdo, quòd Petrus occisus fuerit à Paulo, alter autem evidenter scire non fuisse Paulum, & sic testari oppositum. Contra 2. quia ideo unius testimonium enervat aliud, quia est evidens alterutrum falli, vel fallere; sed hoc etiam est evidẽs in Doctoribus, quòd alteruter fallatur, vel fallat: ergo sicut in quæstione facti, ita etiam in quæstione juris suspendendum erit judicium. Contra 3. quia quòd Doctores rationabiliter discurrant pro utràque parte, alteruter autem testis mentiatur, nihil facit ad rem, nam certum est alterutrum Doctorem dicere falsum, licèt non ex malitiâ, ut alteruter testis, sed ex ignorantiâ: ergo si, quia certum est alterutrum testem dicere falsum, non possum in quæstione facti prudenter assentiri ulli parti, neque potero in quæstione juris, quia alteruter Doctor dicit falsum. Nec enim est quæstio de assensu præstando ob probitatem testium, vel Doctorum, sed de assensu præstando testimonio ut vero; alterutrum autem, sive testium, sive Doctorum testimonium, est falsum.

Similiter (ait Palanco *n.* 31.) non tenet altera disparitas, quòd testes contradicentes amittant authoritatem; non autem Doctores: quis enim dicat D. Augustinum, & D. Ambrosium, dum sibi contradicunt, amittere authoritatem, nec me posse assentiri prudenter conclusioni ullius? Quis enim hoc non horreat? ait P. Moya *qu.* 3. *n.* 28. Contra enim est, subdit Palanco *n.* 32. si enim non est horrendum, quòd possum in conscientiâ tutè cuilibet contradicere; possum enim contra dictamen S. Augustini tutè operari; similiter tutè contra dictamen S. Ambrosij, nec hoc horret P. Moya, immo est summa erga utrumque S. Doctorem æstimatio, multò maior erit, si ob utriusque æqualem authoritatem suspendam omne judicium; si enim alterutri credam, eò ipso illi, cui non credo, facio injuriam. N. 489. Palanc. P. Moy. Palanc.

Demum non tenet tertia disparitas allata à P. Card. quòd in æqualitate testium non possit deponi dubium per solutionem argumentorum oppositorum; non enim testes probant argumentis, sed simplici dicto, & authoritate; econtra in æqualitate opinionum solvuntur rationes oppositæ. Sed contra, ait Palanco *à n.* 36. ergo Confessores gregarij, & omnes N. 490. P. Card. Palanc.

omnes Theologi ignari,& non potentes discernere inter rationes ſtãtes pro opinionibus æquali Doctorum numero, & qualitate munitis, non poterunt deponere dubium, quatenus Doctores reſpectu eorum ſe habent ut teſtes, nam aſſentiuntur opinionibus præciſe ob authoritatem; eſt autem æqualis etiam pro oppoſitâ opinione authoritas. Contra 2. quia vel ſolvuntur tantùm rationes partis affirmativæ, vel etiam partis negativæ? Si tantùm partis affirmativæ rationes ſolvuntur, eò ipſo pars affirmativa non manet æquè probabilis, ac negativa; immò negativa erit tunc probabilior, adeoque ſi aſſentiatur negativæ, aſſentietur ei ut probabiliori. Si ſolvuntur utriuſque partis rationes, nulla eſt inter motiva, & teſtes æquales diſparitas, nam alterutri motivo ſcio ſubeſſe falſum, ut alterutri teſti; ergo nulla diſparitas.

Reſpondeo me ſatis dixiſſe, quid in quæſtione facti dicendum ſit; poſſum enim prudenter aſſentiri ob authoritatem teſtis omnino æqualis ei, qui neget, quòd Petrus Paulum occiderit, licèt non poſſim dicere mortis ſententiam in Petrum probabiliter tantùm reum, certa enim eſt lex, & ratio vetans, nè quis certam mortis ſententiam dicat in eum, qui eſt tantùm probabiliter reus. N. 491.

Deinde omitto impugnationes, quas trahit contra P. Card. Moneo tantùm, quòd ſicut per me Doctores contradicentes authoritatem non amittunt, aliàs nulla eſſet utriuſque Scholæ Thomiſticæ, & Scotiſticæ authoritas apud illos, qui utramque Scholam æqualis authoritatis putant, quod puto non ſapere modeſtiam: ita dico quòd neque teſtes contradicentes authoritatem amittant, etſi regulariter alteruter teſtis mentiatur, non autem purè dicat falſum; neuter autem Doctor, etſi ſibi contradicant, mentitur, licèt unus dicat falſum. Moneo 2. nullam eſſe Palanci replicam contra P. Moyam. Aſſerit P. Moya, & meritò, videri ſibi horrendum dicere, quòd S. Ambroſius, & S. Auguſtinus in eo, quo ſibi contradicunt, omni authoritate careant. Aſſerit Palanco, quòd ſicut non eſt horrendum dicere, quòd ego poſſim tutâ conſcientiâ operari contra cujuslibet dictamen, ita nec eſt horrendum dicere, quòd tunc debeam ſuſpendere omne judicium, ſic enim neutri fit injuria. P. Card. N. 492. Palanc. P. Moy.

Sed contra 1. quia hìc non quæritur an poſſim ſuſpendere judicium, quoties S. Auguſtinus, & S. Ambroſ. ſibi contradicunt; me enim hoc licitè poſſe, non eſt dubium; ſed quæritur an debeam; quòd autem debeam, aſſerit Palanco, quatenus nulla eſt (ait n. 32.) utriuſque S. Doctoris, dum ſibi contradicunt, authoritas; hoc autem modeſtia tolerare refugit. Contra 2. quia eò ipſo quòd tenear ſuſpendere judicium, eò ipſo utrique S. Doctori contradico, & injurius ſum; econtra dum ſequor ex. gr. dictamen S. Auguſtini contra dictamen S. Ambroſij, ad ſummum ago injuriam S. Ambroſio, non S. Auguſtino. Contra 3. quia dum tutâ conſcientiâ operor juxta dictamen S. Auguſtini, non ſum injurius D. Ambroſio, tùm quia non teneor ſequi S. Ambroſium; tùm quia ita operor juxta dictamen S. Auguſtini, ut judicem me potuiſſe licitè ſequi dictamen S. Ambroſij: econtra, juxta Palanco, neutrius dictamen non tantùm licitè, ſed nec phyſicè ſequi poſſum; unde vera eſt hæc propoſitio, Non poſſum licitè ſequi, nec S. Ambroſium, nec S. Auguſtinum, quoties ſibi contradicunt; quę propoſitio aliena eſt ab omni cultu, & reverentiâ, adeoque ab omni veritate. N. 493. N. 494.

Dixi, me ſequentem dictamen S. Auguſtini non eſſe injurium D. Ambroſio, eo modo, quo qui aliquam Religionem ingreditur, non eſt injurius alteri Religioni, quam deſerit, ſeu non ingreditur, etſi utramque putet æquali doctrinâ, & ſanctitate florere; tùm quia non facit contra jus illius, quam non ingreditur, cùm hęc nullum habeat jus, ſicut nec habet illa, quam ingreditur; tùm quia dum unam ingreditur, judicat ſimul ſe licitè, & cum æquali honeſtate potuiſſe ingredi oppoſitam, quam non ingreditur. Quare nulla eſt injuria operari contra dictamen alterius, niſi in iſto adſit jus, ut operer juxta dictamen illius; hoc autem jus ferè numquàm adeſt: (aliàs actum erit de cujuslibet Scholæ, & Doctorum authoritate, cùm ſemper ſint regulariter æquè cõtradicentes) nulla ergo injuria eſt operari contra dictamen alterius; dummodò qui ita operatur, ſimul judicet ſibi etiam licitum fuiſſe ſequi dictamen alterius contra quod operatur: injuria eſſet, ſi ita operaretur, ut judicaret ſe non poſſe licitè ſequi dictamen oppoſitum, ut docent omnes Probabilioriſtæ obligantes ad probabilius, & omnes, qui dicunt ſuſpendendum eſſe judicium, quoties utraque authoritas, aut ratio eſt æqualis; eò quia tunc nulla eſt omnis authoritas, & nulla eſt omnis ratio, ut docet Palanco, P. Thyrſ. P. Eliz. & alij. Palanc. P. Thyr. P. Eliz.

Ad id quod Palanco ait n. 36. quærens, an dum uni aſſentior ex æquè probabilibus, ſolvam tantùm rationes contrarias faventes diſſenſui, an etiam faventes aſſenſui: dico me ſolvere tantùm faventes diſſenſui, non autem aſſenſui, etſi cognoſcam, has quoque eſſe

esse probabiliter solubiles. Quod autem ait: ergo pars negativa non manet æquè probabilis, ac affirmativa, nam rationes faventes parti negativæ solvo: nego consequentiam, adhuc enim pars negativa manet æquè probabilis, ac affirmativa, quam exercitè amplector, etsi solvam rationes partis negativæ, & non solvam rationes partis affirmativę, quia video rationes quoque partis affirmativæ esse probabiliter solubiles. Itaque utraque est æquè probabilis, licèt exercitè una approbetur, non alia. Addo hoc argumento probari, quòd opinio probabilior sit minùs probabilis ei, qui solvit ejus rationes, & non solvit rationes opinionis minùs probabilis, quod implicat in terminis.

N. 495.

N. 496. Palanc.

Objicies 4. ex Palanco §. 4. *à n.* 41. quia dato, quòd intellectus posset alterutri ex æquè probabilibus ex voluntatis imperio assentiri, talis assensus esset imprudens: 1. quia imprudenter eligitur medium ad finem obtinendum, quod est æquè oppositum, ac utile tali fini; ita in ordine ad celebrandum contractum pecuniarium imprudenter eligerem pecuniam, quæ non minùs apparet falsa, quàm vera; in ordine ad navigandum imprudenter eligerem ex duplici navigio alterutrum, quo æquè probabiliter scirem me periturum, ac non periturum; imprudenter sumerem cibum, quorum alterutrum scio esse veneno infectum: ergo sicut prudentia in dictis casibus dictat, abstinendum ab electione operis ratione periculi insiti alterutri parti; ita etiam prudentia dictat abstinendum ab assensu cujusvis æquè probabilis, quatenus assentiendo uni æquè verę, & falsæ, ac est opposita, expono me periculo falsitatis, & erroris, qui sunt vulnus, venenum, & naufragium intellectus. Hoc argumentum adeo celebratur à Palanco, ut *n.* 45. dicat, quòd si in Scholis dantur demonstrationes, hoc demonstrativum sit; totusque est contra P. Terillum dicentem *qu.* 8. de Consc. prob. *n.* 40. assensum illum fore prudentem, quatenus in quamlibet partem intellectus à voluntate flectatur, flectitur semper in partem, de cujus veritate attingendâ spes magna, & præsens affulget; hoc enim est utramque partem esse probabilem; ubi autem ea veritatis spes affulget, judicium prudenter elicitur. Addit P. Teril. exempla non esse ad rem, quia per electionem cibi, & navis homo sine necessitate se conjicit in probabile mortis periculum; homo autem flectens intellectum ad opinionis probabilis assensum, per hunc melius se habet, quàm si omne judicium suspenderet, hæreret enim instar stipitis.

Palanc P. Teril.

Sed contra hæc vociferatur Palanco *n.* 47. dicens de P. Teril. *Quot verba profert, in tantis errat, & fallitur*: primò, quia quando utraque pars contradictionis est æquè probabilis, non est maior spes inveniendi veritatem, quàm falsitatem, quia pars, cui assentior, est æquè probabiliter falsa, ac vera. Ait 2. exempla esse ad rem; si enim stultè eligitur cibus æquè probabiliter sanus, ac noxius, quia homo se conjicit in periculum probabile mortis, sequitur quòd stultè etiam assentiatur huic præ illâ parte æquè probabili, quia se conjicit in periculum erroris. Ait 3. falsum esse, quòd intellectus melius se habeat cum periculo errandi, quàm suspendendo omnem assensum, nam tunc non se haberet ut stipes; stipes enim non est capax suspendere assensum ex eo quòd æqualis ratio proponatur pro utrâque parte dubij, ut accidit in hoc casu respectu intellectus. Ait 4. quia falsum etiam est, quòd suspensio omnis assensus, seu dubitatio sit maius malum intellectus, quàm assensus cum proximo erroris periculo; falsum, inquit, tùm quia dubitare non est malum intellectus, sed tantùm est actus nondum consummatè perfectus; error autem, cujus periculo se committit, est saltem malum physicum intellectus; ergo dum assentitur, peius se habet, quia eligit incurrere proprium malum, quàm dum dubitabat, quia suspendit tantùm proprium bonum.

N. 497.

Ait 5. falsum esse, quòd errare cum spe probabili veritatis sit juxta inclinationem intellectus humani, licèt sit juxta fragilitatem intellectus humani; siquidem error etsi invincibilis, est malum physicum intellectûs, non minùs ac cęcitas, & infirmitas sunt malum physicum corporis, & oculorum; & opus materialiter malum, est malum physicum voluntatis, ut docuit D. Thom. *qu.* 18. de Veritate *art.* 6. in corp. *Sicut verum est bonum ipsius intellectûs, ita falsum est malum ipsius*; licèt enim error sit juxta fragilitatem intellectus, non tamen juxta ejus inclinationem; quo modo peccata sunt juxta fragilitatem voluntatis humanæ, non juxta inclinationem. Ait 6. licèt verum sit, quòd eligens opinionem certò probabilem liberetur à morte peccati; non ita eligens cibum in se veneniferum, etsi putet probabiliter nō esse venenum, liberetur à morte; attamen semper verum est, quòd licèt liberetur à morte peccati, quatenus voluntas tunc non peccaret, adhuc tamen semper eligit malum physicum intellectûs, seu mortem veritatis. Immo ait *n.* 56. quòd non liberaretur à morte peccati, quia qui se exponit voluntariè

S. Tho.

tariè periculo erroris, culpabiliter errat: ergo sequens opinionem probabilem, si fortè est falsa, errat culpabiliter; ergo peccat.

N. 498. Palanc. Ex his infert Palanco §. 5. quòd si implicat, ut intellectus prudenter saltem assentiatur alterutri æquè probabili, multò magis ut minùs probabili; tùm ob argumenta adducta; tùm quia, qui uni parti assentitur, putat eam esse veram, & oppositam falsam: sed implicat, ut intellectus putet minùs probabilem esse veram, & probabiliorem esse falsam, ut docet Mercorus; implicat enim, ut judicet verum id, quod omnibus inspectis apparet sibi magis falsum; & esse falsum id, quod omnibus inspectis apparet sibi magis verum: tùm quia nulla est solutio P. Teril. dicentis *qu.* 8. *n.* 24. de Consc. prob. intellectum non posse assentiri opinioni, quæ sibi apparet magis falsa, & minùs vera consequenter ad affectum voluntatis, & proprium assensum; posse tamen assentiri opinioni, quæ sibi apparet ante affectum voluntatis, & proprium assensum magis falsa, & minùs vera: nulla, inquit *an.* 62. est solutio, tùm quia per voluntatis affectum non apparet nova ratio, aut motivum pro objecto: ergo post voluntatis affectum non potest objectum apparere magis verum: tum quia intellectus, & voluntas quęrunt per se in objecto, quod in illo est ante proprios motus, non autem post illos; tùm quia contingere posset, quod motivum, quod ante voluntatis affectum erat leve, sit grave post eum affectum.

Mercor. P. Teril.

N. 499. Respondeo tantùm abesse ut sit demonstratio, quin toto Cælo aberrant, qui contra nostram doctrinam physicas paritates trahunt; ut enim dixi, siquid probant, probant nos sequi non posse probabiliorem: etsi enim probabilius putem cibum, & navim A esse utiles vitæ, si tamen in re ita non sit, naufragio, & veneno peribo. Ratio est; quia cognitio non mutat esse physicum, seu naturam physicam rei, mutat tamen esse morale, & dat ei moralitatem, seu honestatem: cùm ergo vitæ conservatio pendeat ab esse physico salubritatis cibi; si iste in re sit venenum, nihil prodest, quòd ego probabilissimè, & non tantùm probabiliter, aut probabiliùs putem non esse venenum; nihil, inquam, prodest ad physicam vitæ conservationem; hæc enim pendet ab esse cibi ut est in re, non ut est in cognitione. Idem dico de alijs physicis paritatibus. E contra volitionem esse honestam moraliter, vel inhonestam, non pendet ab objecto ut est in re, seu secundùm esse, quod habet à parte rei, sed ab objecto ut est in mente; & verosimilitudo actus non pendet ab objecto ut est in re, hæc enim est veritas, sed à gravitate fundamentorum: sicut etiam veritas practica actus non sumitur à conformitate actus cum objecto ut est in re, hæc enim est veritas logica; sed à conformitate actus, & objecti cum regulis prudentiæ, & morum. In formâ concedo, quod eligens medium æquè utile, ac inutile fini, eligat imprudenter; at nego, quòd utraque ex æquè probabilibus sit æquè utilis, ac inutilis fini; nam fini non nocet falsitas cognita probabiliter ut veritas, sed cognita ut falsitas: nemo autem assentiens alicui opinioni probabili, assentitur illi ut falsæ, sed ut probabiliter veræ; & ut talis eligitur, & est utilis fini, qui est veritas; alias nec poterimus assentiri probabiliori, quia hæc sæpe etiam est falsa.

N. 500.

Ad rationes, quas *an.* 45. trahit contra P. Teril. fateor me non sequi definitionem probabilis traditam à P. Teril. nempe quod sit illud, quod plerumque contingit: at simul fateor, quod Palanco non enervat doctrinam P. Terilli; nam semper verum est, quòd assentiens alterutri ex æquè probabilibus assentiatur parti, de cujus veritate attingendâ spes magna, (non autem maior, in quo decipitur Palanco) affulget; nam ratio motiva, cui nititur pars, quam amplector, est ex illis, quæ plerumque solent esse veræ; & quælibet propositio simili gravi ratione fulta, solet plerumque esse vera; hoc est quod dicit P. Teril. non implicat autem, ut duplex contradictoria æquè probabilis, quantùm est ex vi rationis, cui nititur, appareat plerumque vera. Omitto crisim circa alias Palanci impugnationes; probant enim suspendendum etiam esse judicium circa probabilius, nam potest esse falsum; & sic intellectus assentiendo probabiliori peiùs se haberet, quia sæpe errat, quàm suspenso omni assensu; quomodo Palanco dicit peiùs se habere intellectum, dum assentitur alterutri ex æquè probabilibus, quàm suspenso omni judicio; atque adeo non nisi evidentiâ præsenti ferendum erit à nobis judicium, hoc autem est certò falsum.

N. 501. M. Pala. P. Teril.

Addo 1. quòd intellectus stans inter æquè probabilia, æquè benè se habet, sive assentiatur parti re ipsâ veræ, sive parti re ipsâ falsæ, nam tunc est impossibilis illi veritas, quæ semper manet obscura, & nescitur in quâ parte sit determinatè: quod autem tunc possibile est, non est nisi probabilitas veritatis; ea autem utrique contradictoriæ convenit, nam utraque est probabiliter vera; ergo loquendo cum respectu ad id quod intellectui tunc est possibile, æquè benè se habet, cuicumque

N. 502.

que assentiatur; etsi enim assentiendo parti, quæ non tantùm est probabiliter, sed etiam est in se vera, habeat veritatem in se, habet tamen quod non scit, & per accidens, & casualiter; neque tamen per hoc est magis contentus, quia bonum possessum, si non cognoscatur, non quietat; ita ignorans se esse divitem, vel nobilem, cùm sit dives, & nobilis, non est contentus. Immò ut contra Palanco utar paritate, quam ex D. Thom. 1. ad Timoth. 6. in ea verba, *Hæc doce, & exhortare*, trahit *n.* 104. *sicut in corpore sanitas est quædam æqualitas humorum, ita veritas est quædam æqualitas in intellectu, quia veritas est quædam adæquatio rei, & intellectûs.* Ecce, ut paritate D. Thomæ utar, siquis revera sit sanus, putet tamen, aut ignoret se esse sanum, non ideo est quietus, etsi sit sanus; ita etsi quis dicat verum ut est in re, si tamen ignoret se verum dicere, immò ex errore putet se dicere errorem, non ideo ejus intellectus erit quietus; aliàs siquis imprudentissimè diceret verum ut est in se, ejus intellectus esset magis quietus, quàm si dixisset prudentissimè falsum: ergo non veritas præcisè ut est in se, est bonum intellectus, sed cognita ut talis: ergo si falsitas ex gravi fundamento appareat ut veritas, & putetur veritas, intellectus erit in eo casu contentus, eo modo, quo tunc esse potest.

Palanc. S. Tho.

N. 503.

N. 504. Addo 2. quòd licèt error sit malum physicum intellectus, attamen nisi cognoscatur, non est de eo curandum; aliàs nullus assentiri poterit nisi rei evidenti, nulli autem quantumcumque probabili, quia potest in re esse falsum, & esse malum physicum intellectus; ergo non tenemur hoc malum physicum vitare, nisi certò cognoscatur; ergo possumus assentiri utrique seorsim ex æquè probabilibus, quia licèt alteruter assensus sit error in se, attamen non cognoscitur determinatè ut error, immò ut veritas.

N. 505. Addo 3. tantùm abesse ut circa æquè probabilia teneamur suspendere omne judicium, nè sit periculum erroris, quin oppositum memini me docuisse ex Aristotele, & S. Thom. dicentibus præstantiorem esse cognitionem probabilem de re cælesti, quàm evidentem de re infimâ. Ecce Aristoteles, & S. Thom. præferunt cognitionem probabilem, quamvis possit esse falsa, si sit de re summâ, cognitioni evidenti, quæ non potest esse falsa, de re infimâ; quod dicere non possent, si teneremur suspendere omne judicium probabiliter falsum: ergo si Aristoteles, & S. Thom. laudant probabiliter opinantem, etsi possit falsum opinari; quomodo intruditur obligatio fugiendi omnem errorem, & propter hujus periculum suspendendi omne judicium, quoties utraque pars est æquè probabilis?

Aristot. S. Th.

Addo 4. esse germanam D. Thomæ doctrinam, quòd judicium nixum motivo minùs probabili possit esse prudens, ut dixi *sect.* 5. agens de judicio temerario; fac enim ut quis stet inter duo motiva; unum minùs grave pro bonitate proximi, aliud longè gravius pro malitiâ, ecce iste tenetur judicare proximum bonum: ergo judicium nixum motivo longè minùs gravi potest esse prudens, & honestum. Similiter dixi *sect.* 6. ex Arist. *lib.* 1. Rhet. objectum intellectus non tantùm esse verum, sed verosimile: sed judicium nixum motivo minùs probabili est verosimile; ergo non est, cur non sit prudens. Urgeo: Si judicium falsum potest esse prudens, cur non judicium probabile? plus enim opponitur prudentiæ falsitas, quàm probabilitas. Vid. *n.* 300.

D. Tho.

Aristot.

Addo 5. locum D. Thomæ ex *qu.* 18. *art.* 6. *in corp.* esse contra Palanco; nam S. Thom. postquàm dixit, *Sicut verum est bonum intellectus, ita falsum malum ipsius*, subdit; *propter quod habitus opinativus non est virtus intellectualis, quia eo contingit falsum dicere.* Ecce si textus est ad rem, nemo poterit assentiri probabiliori, quia hoc etiam potest esse falsum; quod tamen omnes negant. Fateor ergo falsum esse malum intellectûs, & obligamur ad illud vitandum, si cognoscatur ut falsum, non si putetur verum, ut accidit in assentiente cuilibet ex æquè, immò minùs probabili.

N. 506. S. Th. Palanc.

§. III.

Argumenta P. Thyrs.

SUMMARIUM.

Quia intellectus non potest judicare judicium evidenter verosimilius esse falsum, n. 507.

Quia nemo experitur in se hunc actum, ego credo hoc, sed video, oppositum esse probabilius, n. 508.

Trahit plures alios actus, quos vocat impossibiles, n. 509. 510. 511.

Nostræ instantiæ, n. 512.

Supponit probabilioritatem necessariò connecti cum veritate, n. 513.

Quia intellectus manet necessariò dubius; & trahit S. Thomam, n. 514.

Dico, dubium non esse rationum æqualitatem, sed suspensionem omnis actus; & traho Doctores, n. 515. 516.

Quia implicat, ut intellectus judicet utramque partem esse probabilem, & uni assentiatur, n. 517.

Quia

Quia intellectus non potest judicare verum objectum, quod ei videtur falsum, n. 518.
Nego, & do disparitatem, n. 519.
Quia implicat, ut rationes, quæ ligant, solvant intellectum, n. 520.
Dico, quòd intellectus solvitur efficienter à se, & à voluntate, formaliter per ipsum actum, n. 521.
Quia summa est disparitas inter voluntatem, & intellectum, n. 522.
Dico, quòd sicut voluntas invenit in utroque rationem boni, ita intellectus in utroque rationem verosimilis; immò paritas efficaciter urgetur, n. 523.
Arist. ait, verum, & verosimile esse ejusdem facultatis, & eum ad probabilia sectanda benè se habere, qui benè ad veritatem, n. 524.
Quia bonum opponitur bono, verum non opponitur vero. Negatur, & retorquetur, num. 525.
Quia in materiâ facti, si testes sint æquales, Judex manet dubius; idem accidit in foro. Solvo, n. 526.
Dicit, quòd si Probabilistæ limitassent suam sententiam, ut P. Esparza, Theologia moralis non pateretur laxitates, quas ab aliquibus Probabilistis patitur, n. 527.
Retorquetur; qui enim laxam docuit, fuit Probabilioristæ, quia cuique, ait P. Thyrsus, sua opinio est probabilior, n. 528.
Trahit, & rejicit doctrinam P. Esparzæ, num. 529. 530.
Quia voluntas non est libera inter bona æqualia omnino similia, est tamen inter æqualia diversa; intellectus autem, inquit, non est liber inter motiva æqualia diversa; cur? num. 531. 532. 533.
Et quia, si eligeret, non daretur cur *objectivum*, n. 534.
Solvo, n. 535.
Quia nostra sententia, quòd uterque testis æqualis sit fide dignus, pugnat cum jure Canonico, Civili, experientiâ, ratione, n. 536.
Immo neuter Doctor est fide dignus, quia alteruter, vel fallit, vel fallitur, n. 537.
Alia P. Thyrsi pro hoc ipso rationes, n. 538.
Hinc infert, opinionem D. Augustini non esse fide dignam apud eum, qui scit D. Hieronymum tueri oppositum, si uterque apud eum sit æqualis authoritatis; & hæc est reverentia erga utrumque Sanctum; cur? n. 539.
Solvo: utriusque testimonium apparet directè verum ratione sui, & indirectè falsum ratione alterius, n. 540.
Male à falsitate indeterminatâ infertur, neutrum esse fide dignum, n. 541.
S. Thom. apertè docet æqualia motiva movere, n. 542.
Non est idem non eligere, ac contemnere, num. 543.
Absurda, si nulla est authoritas contradicentium, n. 544.
Ut alicui prudenter credam, satis est, ut dicat probabilissimè, non autem certò verum, n. 545.
Non est idem sapientia, ac veritas, & qui asserit falsum ex magnâ ratione, adhuc est sapiens. Paritas, n. 546.
Contradictio, ibid. & n. 547.

ARguit 1. *diss.* 3. *a n.* 12. Intellectus tendit sub ratione veri; ergo non potest assentiri sibi minùs verisimili, præcipue si excessus oppositi sit evidens. Consequentia probatur: quia eò ipso quòd evidenter cognoscit maiorem verisimilitudinem, videt se vehementiùs impelli à rationibus suadentibus verisimilitudinem illius extremi, quàm à rationibus oppositis; ergo non potest judicare illud extremum evidenter verosimilius esse falsum; & oppositum evidenter minùs verisimile judicare non potest esse verum; sed hoc præstaret, si assentiretur extremo minùs verisimili, nam assentiri alicui extremo est illud censere verum, & oppositum falsum. N. 507. P. Thyr.

Confirmat 1. ex C. Pallav. Nemo experitur in se hunc actum, *Ego credo hoc, sed video contrarium esse probabilius.* C. Palla. N. 508.

Confirmat 2. quia qui exercitè, vel signatè experitur unũ extremum esse evidenter verisimilius suo contradictorio, implicat, ut ex hâc suppositione judicet illud extremum esse falsum; sed judicaret esse falsum, si contradictorio minus verisimili assentiretur; sicut qui judicat colorem A esse similiorem albo, quàm nigro, implicat ut stante eo judicio, pro posteriori judicet eumdem colorem A esse nigrum, sunt enim opposita virtualiter hæc judicia: *Color A est similior albo, quàm nigro; color A non est albus, sed niger*: similem autem oppositionem habent hæc duo judicia: *Extremum A est evidenter similius vero, quàm falso; extremum A non est verum, sed falsum.* N. 509.

Confirmat 3. *n.* 13. Hic actus includit contradictionem: *Etsi judicem extremum A esse evidenter verisimilius extremo B, nihilominus judico extremum A esse falsum, & extremum B esse verum*: ergo intellectus assentiri non potest extremo evidenter minùs verisimili, nam haberet illum actum. N. 510.

Confirmat 4. *n.* 14. Qui aliquid affirmat, credit se verum dicere, & credit falsum dicere eos, qui id negant; ergo credit se niti maiori fundamento, quàm negantes; ergo implicat, ut simul credat oppositum esse verisimilius: hic enim actus est prorsus impossibilis: *Ego quidem* N. 511.

quidem judico contractum A esse usurarium, & falli Authores id negantes; nihilominus fateor eorum fundamenta esse urgentiora: & esset stultus, qui assereret, *Sententia affirmans contractum A esse usurarium, est vera, & ideo absolutè judico illum contractum esse illicitum; attamen sententia contraria habet meliora fundamenta*: ergo numquam potest intellectus assentiri alicui parti contradictionis, & eam amplecti ut veram, quin ipsi appareat ut magis verisimilis, quàm contradictoria.

N. 512. Sed contra; quia argumentum instatur paritate voluntatis, quæ experitur se longè magis trahi à maiori bono, & tamen sæpe amplectitur minus bonum; sicut ergo voluntas licèt inter bonum, & malum sit determinata ad bonum, attamen inter bonum maius, & minus non est determinata ad maius, sed potest eligere minus; ita in casu nostro, licèt intellectus inter verum, & falsum sit determinatus ad verum, non tamen inter magis, & minùs verum est determinatus ad magis verum. Contra 2. Sicut voluntas amplectens minus bonũ non habet duos actus voluntatis, unum quo dicit, volo furtum, alium quo dicit, nolo Deum, sed unum tantùm, nempe, volo furtum, ad quem actum subsequitur privatio Divinæ gratiæ; atque adeo non dicit signatè, & expressè, nolo Deum summum bonum, sed exercitè, quatenus exercet id, ad quod sequitur privatio Divinæ gratiæ: ita in intellectu, dum dicit, licitum est pingere, (quod suppono esse minùs probabile) non dantur duo actus, unus, verum est quòd liceat pingere; alter, falsum est quòd non liceat; immo reverà neque datur hic actus, verum est, quòd liceat pingere; sed unicè datur iste, Licet pingere, qui exercitè approbatur ut verus, ac proinde oppositus, non licet, reprobatur ut falsus: ergo omnia judicia, quæ trahit argumentum, reverà non dantur, & gratis supponuntur. Contra 3. quia argumentũ supponit probabilioritatem necessariò connecti

N. 513. cum veritate, quod est evidenter falsum; nulla enim sive probabilitas, sive probabilioritas est necessariò connexa cum veritate; alias utraque contradictoria, quia una ab uno, alia ab alio putatur probabilior, esset vera, quod repugnat. Addo in judicante temerè dari plures ex ijs.

N. 514. P.Thyr. S. Th. Arguit 2. *dis.* 7. quia intellectus in occursu opinionum contradictoriarum æquè probabilium manet necessariò dubius, ut ait S. Thom. *qu.* 14. de Verit. *art.* 1. *corp.* dicens: *Quandoque intellectus noster non inclinatur ad unum, quam aliud .... vel propter apparentem æqualitatem eorum*, (id est rationum) *quæ movent ad utramque partem; & ista est dubitantis dispositio*: idem ait Sylvester, & alij M.Syl. dicentes dubium esse contrariarum rationum æqualitatem. Sed contra; quia aliud N. est, quod quoties datur rationum æqualitas, 515. detur dubium; aliud, quòd dubium sit æqualitas rationum. S. Thomas non dicit quòd quoties datur æqualitas rationum, detur dubium, nam potest ea æqualitas adesse, & non dari dubium, quatenus potest tolli per assensum; sed dicit, quod quando datur dubium, datur æqualitas rationum. Idem dico de S. Antonino, Sylvest. & alijs, quos S. Anton. P. Thyrsus citat, immo hoc ipsum explicat P.Val. P. Valqu. 1. 2. *d.* 62. *n.* 9. P. Suar. *tom.* 5. *in* P. Suar. 3. *p. d.* 40. *sect.* 5. *n.* 2. immo ipse P. Thyr- P.Thyr. sus *dis.* 10. *n.* 110. 112. 117. (ut suprà dixi *sect.* 6. §. 1.) nempe dubium dicere suspensionem omnis judicij; ergo licèt dentur rationes æquales, si non detur suspensio utriusque judicij circa utramque partem, non dabitur dubium; ergo falsum est, quòd quoties adest æqualitas rationum, detur necessariò dubium, nam omnes præterea requirunt suspensionem intellectus; ergo tantùm abest, quòd velint, quòd quoties datur æqualitas rationum, detur dubium, seu suspensio intellectus, quin dicunt, quoties da- N. tur æqualitas rationum, & intellectus manet suspensus, datur dubium; ergo potiùs 516. supponunt, quòd possit dari æqualitas rationum, & non dari suspensio intellectus. Si enim ad rationum æqualitatem sequitur necessariò dubium, seu suspensio intellectus, non dixissent dubium consistere in suspensione intellectus, sed in rationum æqualitate; sed M. Sylvester, S. Antonin. P.Valqu. P. Suar. P. Sanch. immo P. Thyrsus dicunt P. Sanc. dubium consistere in suspensione intellectus supposità rationum æqualitate: ergo non quoties datur æqualitas rationum, datur necessariò dubium; & ideo scitè dixit S.Thom. S. Th. rationum æqualitatem esse dubitantis dispositionem; id est, disponit, non autem est dubium.

Arguit 3. *à n.* 4. quia intellectus tendit N. sub ratione veri, implicat, ut ferat senten- 517. tiam pro una præ aliâ contradictionis parte P.Thyr. æquè verisimili, quin appareat ratio præponderans pro illâ: ergo intellectus assentiri non potest alterutri ex æquè probabilibus. Antecedens probat: Si rationes motivæ sunt æquales, potest intellectus super eas reflectens dicere, *Æquè probabilis est una, ac alia pars*; sed hoc posito, non potest ne quidem ex voluntatis imperio assentiri uni præ alterâ; nam assentiens uni parti judicat illam veram, ejusque motivum verum, & oppositam falsam,

falsam, ejusque motivum falsum, implicat autem, ut intellectus simul judicet motivum A est æquè verisimile, ac motivum B, attamen motivum A est falsum, & motivum B est verum. Respondeo negando antecedens; ad probationem, concessâ maiori, nego minorem; ad hujus probationem nego maiorem; ut enim voluntas dicere potest de duobus bonis æqualibus, sed diversis, bonum A habet honestatem, & non delectabilitatem, licèt sint æqualia in gradu bonitatis; bonum B habet delectabilitatem, non honestatem: ita in casu nostro motivum A, & B, sunt æquales in gradu virtutis motivæ, non tamen in modo movendi, sunt enim diversa motiva, & unum movet ad probabilem assensum veri, & non ad probabilem assensum falsi; aliud movet ad probabilem dissensum veri, non ad probabilem assensum falsi: non ergo æqualitas vis motivæ confundenda est cum diverso movendi modo.

N. 518. Arguit 4. *n.* 10. Voluntas non potest imperare intellectui ut judicet verum esse objectum, quod ei apparet falsum; ergo neque ut judicet verum objectum, quod ipsi apparet æquè falsum; licèt enim quodlibet ex illis motivis æqualibus seorsim sumptum satis esset ad inclinandum intellectum, sicut unus homo satis esset ad trahendum pondus versus Orientem, si alter æqualium virium abesset, qui illud trahit ad Occidentem; & sicut pondus A satis esset inclinare brachium dexterum bilancis, si abesset æquale pondus in brachio sinistro; ita, inquit, in casu nostro, licèt motivum A aptum esset inclinare intellectum ad assensum, si abesset motivum B, non tamen præsente motivo B æquè inclinante in oppositum. Confirmat: Ut enim, juxta nos, motivum probabile habet tantùm vim suasivam assensûs, quando intellectus non cognoscit evidenter oppositum esse verum; ita (ait *n.* 12.) motivum P.Thyr. probabile non habet vim conciliandi assensum, nisi quando intellectus caret motivo æquali, aut maiori pro oppositio.

N. 519. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia quando objectum apparet æquè falsum, apparet simul æquè verum; ergo tunc voluntas potest imperare assensum: econtra quando apparet tantùm falsum, non apparet verum; ergo non potest imperare assensum. Paritates unicè probant intellectum ex se non satis esse, ut se determinet ad alterutrum, quoties utrumque est æquè probabile, quod ultro damus; non autem probant, quòd à voluntate superveniente determinari nõ possit eo modo, quo ab altero homine determinari potest, ut moveatur in Orientem homo, qui antè moveri non poterat; atque adeo paritates sunt contra P. Thyrsum. Ad confirm. fateor motivum probabile carere omni vi motivâ, quoties intellectus cognoscit evidenter oppositum, quia evidentia tollit omnem vim motivam à motivo opposito; non ita probabilitas tollit vim motivam à motivo probabili opposito.

Arguit 5. *n.* 13. Implicat ut rationes, quæ N. ligatum tenent intellectum, eumdem solvant: sed æqualitas rationum ligat intellectum: ergo implicat, ut intellectus solvatur à dubio per rationes, quibus fit dubius. Confirmat: Dubium rationale non solvitur nisi per rationem, ut enim rationes ligant intellectum, ita ratio, non autem voluntas debet illum solvere. Addit experientiam testari hoc ipsum, dum enim Magistri expendentes momenta sententiarum, ut inter illas eligant, experiuntur æqualem efficaciam in fundamentis oppositis, nullam illarum præferunt alteri, donec nova lux superveniat, quâ fundamenta unius partis appareant facilius solubilia. Hæc P. Thyrsus. Respondeo P.Thyr. intellectum solvi à voluntate, præsente tamen motivo vero, adeoque voluntas solvit efficienter, intellectus autem se solvit formaliter per ipsum assensum formalem. Ad confirm. plura dabimus infrà contra P. Eliz. Hoc tantùm adverto, videri quòd P. Thyrs. dicat contradictionem; nam in verbis paulò antè citatis docet, quòd eidem intellectui utrumque motivum appareat simul probabile; & tamen *diß.* 6. negat simultatem probabilitatis utriusque motivi respectu ejusdem intellectus. Addo quòd sicut experientiâ constat, Magistros dubios hærere, quoties utraque sententia est æquè probabilis; ita constat, quòd si post diligens examẽ neutra videatur probabilior, Magister se determinat ad unam præ aliâ, ex solo libito voluntatis absque aliâ novâ ratione.

Arguit 6. §. 4. *à n.* 15. summam esse inter N. voluntatem, quæ potest eligere inter bona æqualia, & intellectum, qui non potest ex P.Thyr voluntatis imperio assentiri alterutri ex motivis æqualibus, summam, inquit, esse differentiam: quia voluntas in utroque bono oppositio invenit rationem boni; intellectus autem in utroque extremo non invenit rationem formalem veri, immò evidenter scit alterutram ex contradictorijs esse falsam, si altera sit vera. Sed contra; quia, ut dixi ex P. Munièssa *stim.* 6. *à n.* 103. in utroque ex- P.Mun. tremo intellectus invenit rationem verisimilis, N. etsi enim sciat unum tantùm esse verum in re, scit tamen utrumque esse verosimile;

quomodò voluntas, licèt sciat unum tantùm esse verum bonum, scit tamen utrumque esse apparenter bonum, & esse simile vero bono: ergo sicut voluntas inter duo bona, ita etiam intellectus inter duo probabiliter vera eligere potest. Immò si voluntas determinatè sciens bonum delectabile, & inhonestum non esse verum bonum, potest illud eligere omisso summo bono; multò magis intellectus, qui non scit determinatè quodnam extremum sit verum, aut falsum ex æquè probabilibus, potest eligere inter illa. Audi P. Munièssam *l. c.* Sicut voluntas non solùm fertur in bonum re tale, sed etiam in falsò apparens tale; ita intellectus non solùm in verum in re tale, sed etiam in apparens verum, seu in verisimile: & sicut voluntati proponitur ut bonum, quod in re non est bonum, & sic amplectitur affectivè bonum apparens, seu bonisimile; sic intellectui per apprehensiones prævias proponitur ut verum, quod in re verum non est, & sic amplectitur assensivè verum apparens, seu verisimile, ut dixit Aristoteles 1. Rhet.

Aristot. N. 524. *1. Verum, & verisimile ejusdem videtur esse facultatis; homines autem ad veritatem naturâ compositi sunt, & ille ad probabilia sectanda bene se habet, qui similiter se habet ad veritatem.*

N. 525. Dices ex P. Thyrso, bonum opponi bono, verum non opponi vero: ergo potest voluntas inter bona, non autem intellectus inter probabiliter vera eligere. Sed contra; quia eodem modo bonum non opponitur bono, ac verum vero; nam non est bonum opponi bono: ergo quod opponitur bono est solùm malum: ergo sicut potest voluntas inter duo bona æqualia, sive similia, sive diversa eligere, ita intellectus inter duo æquè probabilia, sive similia, sive diversa. Quod si dicatur bonum opponi bono, (ut reverà opponitur) tunc dico, quòd etiam duo probabilia æqualia, si sint contradictoria, opponantur, atque adeo licèt verum non opponatur vero, verosimile tamen opponitur contradictorio verosimili. Demum explicet mihi, quid sit bonum opponi bono, verum autem non opponi vero.

N. 526. Arguit 7. In materiâ facti, si æqualia sint fundamenta, intellectus manet necessariò dubius, ut patet in Judice, cui testes æqualis authoritatis oppositum testantur: ergo etiam in materiâ juris. Et ideo Magistri antequam inter contrarias sententias eligant, experiuntur (ait *n.* 26.) *se tamdiu manere dubios, quamdiu fundamenta earum apparent eis æquè verisimilia.* Idem accidit in foro; Judices enim dum audiunt Advocatos proponentes suorum clientum jura, auditis æqualibus hinc inde fundamentis, suspendunt sententiam, & remittunt litem, vel ad superius Tribunal, vel petunt novos Socios, ut penitiùs res inspiciatur: quare P. Carden. qui *tom. 1. d. 6. cap. 6.* latè probat, quòd intellectus in quæstione facti maneat dubius, quando fundamenta sunt æqualia, idem dicere debet (ait P. Thyrsus *n.* 21.) de quæstione juris; nec sufficit pro quæstione facti appellare ad experientiam; hæc enim idem probat in quæstione juris, ut patet in Theologis, & Judicibus in quæstione juris. Sed contra; quia hic iterùm affirmat eidem intellectui utriusque fundamenta opposita apparere simul æquè verisimilia, quam simultatem probabilitatis alibi negat. Ad argumentum patet ex alibi dictis *sect. 5. & 6. §. 1. & 2.* P. Card. P. Thyr.

Arguit 8. contra P. Esparzam, quem laudat dicens, quòd si Probabilistæ suam sententiam defenderent cum limitationibus, quas P. Esparza maturo judicio adhibet, numquam Theologia Moralis ad eum statum pervenisset, in quem immoderata aliquorum Probabilistarum laxitas eam traxit. Sed contra; quia dicere potuisset Probabiliorista, quia, ut idem P. Thyrsus hic *n.* 28. dicit, *nullus est, cui sua opinio non appareat verosimilior, quàm opposita:* ergo omnis, qui docuit aliquam laxitatem, fuit potiùs Probabiliorista, quia eam docuit ut sibi probabiliorem, quàm Probabilista. Deinde citatis doctrinis, in quibus P. Thyrsus concordat cum P. Esparza, postmodum hunc impugnat *à n.* 34. eò quia P. Esparza dicit motiva æqualia causare dubium, si sint similia, secùs si sint dissimilia; quia tunc quodlibet motivum secundùm diversitatem, quam habet, excedit aliud, adeoque se habent ad invicem, ut excedens, & excessum, & sic neutrum motivum eliditur omnino ab alio, quatenus quodlibet vincitur ab alio, & vincit aliud. Tùm quia voluntas potest per se ipsam immediatè determinari ad quodlibet ex motivis oppositis inter se inæqualibus, dummodo utrumque excedat aliud secundùm quid: ergo etiam voluntas poterit mediatè per suum imperium determinare intellectum ad utrumlibet ex motivis oppositis, & inæqualibus. Hęc P. Esparza *art.* 123. & 124. N. 527. P. Esp. N. 528. N. 529. P. Esp.

Sed contra hanc doctrinam instat 1. P. Thyrsus *n.* 35. quia ex S. Thom. *qu.* 14. de Veritat. *art.* 1. toties datur dubium propriè, quoties motiva sunt æqualia, sive sint similia, sive diversa: ergo falsum est tunc tantùm dari dubium, quando intellectus stat inter motiva omnino similia, & æqualia, ut vult P. Thyr. S. Th.

vult P. Esparza. Instat 2. quia numquàm
N. 530. rationes opinionum contradictoriarum sunt ejusdem speciei, nisi quando tota probatio est authoritas, ut in quæstionibus facti, ibi enim probationes, seu testes videntur omnino similes, & æquales; si autem probatio sumatur à ratione, implicat, ut rationes, quę suadent conclusiones oppositas, sint ejusdem speciei; quomodo enim ratio suadens assensum, sit omnino similis suadenti dissensum? Instat 3. *n.* 36. nec in quæstione facti æqualia motiva esse omnino similia; licèt enim duo testes affirmantes sint æqualis authoritatis cum duobus negantibus, adhuc tamen in unis datur affirmatio, in alijs negatio homicidij, adeoque authoritas duorum, ut conjuncta cum affirmatione homicidij, est unum motivum; & authoritas aliorum duorum, ut conjuncta cum negatione, est aliud: ergo neque in quæstione facti, etsi motiva sint æqualia, sunt similia quoad vim movendi: ergo tota doctrina de motivis æqualibus omnino similibus, & de motivis æqualibus, sed dissimilibus, (ait P. Thyrsus) habet tantùm
N. 531. locum in voluntate, quæ non est libera eligere alterutrum ex bonis æqualibus omnino
S. Th. similibus, ut docet S. Thom. 1.2. *qu.* 13. *art.* 6. est tamen libera eligere alterutrum ex bonis æqualibus diversis; non autem locum habet in intellectu, cujus motiva opposita sunt semper diversa, etsi sint æqualia, nam diversum est motivum assensûs à motivo dissensûs.

Instat 4. *n.* 38. quia stantibus motivis æqualibus, & diversis, neutra pars apparet potiùs vera, quàm falsa, nam in utràque æquè apparet veritas, ac falsitas; implicat autem, ut intellectus assentiatur objecto, in quo non minùs apparet veritas, ac falsitas, ut patet in materia facti, in quâ unum motivum elidit aliud, & ideo intellectus manet dubius. Quòd autem in quæstione juris motiva æqualia sint magis diversa, quàm in quæstione facti, est pura differentia, quę de materiali se habet; nam unicè attenditur ad efficaciam motivam, quæ se habet de formali, & hæc est æqualis. Rursus, quia quòd unum motivum excedat aliud quoad suam differentiam specificam, nil refert, quia hoc non est excedere quoad vim reddendi magis verisimilem opinionem illam, quàm oppositam: ergo quoties opiniones contrariæ apparent ut æquè verisimiles, necesse est ut in-
N. 532. tellectus maneat suspensus, sive motiva sint similia, sive diversa. Licèt ergo voluntas inter bona æqualia diversa possit eligere, intellectus tamen non potest assentiri alterutri ex motivis æqualibus inter se diversis. Ratio est, (ait *n.* 40. & 41.) quia licèt ea bona
N. 533. æqualiter moveant, si tamen sunt diversa potest voluntas dare rationem, cur amet potiùs unum, quàm aliud, nempe quia unum habet bonitatem honestatis, qua caret bonum delectabile. Hæc autem ratio non valet in motivis diversis æqualiter moventibus ad assensum, ac ad dissensum, quia cùm motivum assensûs non moveat, nisi quatenus detegit convenientiam prædicati cum subjecto; motivum dissensûs non moveat, nisi quatenus detegit carentiam talis convenientiæ; sanè, si sunt omnino æqualia quoad vim detegendi convenientiam, & detegendi carentiam talis convenientiæ, non potest intellectus unum præferre alteri, licèt sint valdè diversa; si enim præferret, non posset as-
N. signare *cur* objectivum, seu rationem objectivam prælationis: rogatus enim cur amen- 534. tiatur potius, quàm dissentiatur tali objecto, dicere non posset, quia mihi apparuit potius verum, quam falsum. Dicere autem, quod ideo assensus sit potius, quàm dissensus ei objecto, quia motivum assensûs est diversum à motivo dissensûs, non est ratio objectiva, non enim illi diversitati motivi intellectus assentitur, sed objecto materiali.

Fateor 1. plura esse in hoc argumento in- N.
geniosa; & plura, quæ à me solvi non de- 535.
bent, nempe ea, in quibus ego nõ discrepo à P. Esparza; non discrepo autem in hoc, quòd motiva assensûs, & dissensûs, licèt esse possint æqualia, sint semper diversa, immò hoc mihi certum est. Hinc ad 1. instantiam dico dari dubium, sive motiva sint diversa, sive non, usque dum non accedit voluntatis imperium. Ad 2. dico, me ex hoc ipso quòd motiva assensûs, & dissensûs sint semper diversa, inferre, quòd intellectus sit multò magis liber, ut alterutri ex motivis æqualibus diversis assentiatur. Ad 3. transmitto illam, quę quò magis vera est, eò magis verum est, quòd intellectus non tantùm in quæstione juris, sed etiam facti assentiri possit alterutri sive ex rationibus, sive ex authoritatibus inter se æqualibus; quia sicut ratio differt ab aliâ ratione, ita authoritas affirmans est diversa ab authoritate negante. Ad 4. transeat quòd neutra pars appareat *potius* vera, quàm falsa, quando motiva sunt æqualia; at hoc non est necesse, satis enim est, ut utraque appareat vera, utraque appareat falsa, ut intellectus assentiatur, cui maluerit, talis autem utraque apparet, quando motiva sunt æqualia. Quod ait ex eo quia unum motivum differt specie ab alio, non ideo est verosimilius illo, fateor ita esse; sed nihil inde contra nos. Ad ultimum, quo

comparat voluntatem cum intellectu, dico, quòd ſicut dari poteſt ratio ex parte objecti, cur voluntas præferat honeſtum delectabili, nempe quia unum eſt honeſtum, aliud eſt delectabile; ita dico dari poſſe rationem cur intellectus aſſentiatur potiùs, quàm diſſentiatur, quia videt convenientiam prædicati cum ſubjecto; licèt autem videat carentiam etiam talis convenientiæ, hoc probat, quòd æque poterat diſſentiri. Addo non eſſe neceſſe cur objectivum ex parte intellectus, immò implicat tale *cur*, quando motiva ſunt æqualia; tale, inquam, *cur magis* aſſentiatur, quàm diſſentiatur; hoc enim *magis* non datur ex parte objecti, nam motiva ſunt æqualia, licèt detur ex parte objecti verosimilitudo, quæ eſt motivum intellectûs. De hoc plura infrà.

N. 536. P. Tàb. Arguit 9. contra nos, & alios Probabiliſtas, inter quos P. Tambur. *lib.* 1. in Decal. *cap.* 3. qui nobiſcum ſentiunt non tantùm in quæſtione juris, ſed etiam in quæſtione facti poſſe intellectum prudenter aſſentiri alterutri ex authoritatibus æqualibus, cui maluerit. Contra hoc itaque ait 1. P. Thyrſus P. Thyr. §. 7. *àn.* 42. quia hic modus diſcurrendi, quòd uterque teſtis contradicens adhuc maneat fide dignus, quia in ratione fide digni conſtituitur ex ſapientiâ, & virtute, quas nullus perdit, eò quia alter alteri contradicit: hic, inquit, modus pugnat tum cum jure Civili, tum cum Canonico, tum cum experientiâ, tum cum ratione. Pugnat cum Canonico, ut patet ex 2. *libro* Decretalium, *titulo* de Probationibus per totum. Pugnat cum Civili, ut patet ex textu in cap. *Ex literis* de Probationibus, ubi dicitur, *quòd ſi ambarum partium teſtes ſunt æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur, cùm promptiora ſint jura ad abſolvendum, quam ad condemnandum*; ubi Gloſſa: *Quod hic dicitur & in ſimilibus, locum habet in dubijs, & in obſcuris:* ergo quoties teſtes facti ſunt æqualis authoritatis, res manet dubia. Pugnat cum ratione, quia implicat me credere alicui, quoties ejus teſtimonium æquè apparet verum, ac falſum, ut accidit quoties pro oppoſitâ parte adeſt teſtimonium æqualis authoritatis. Pugnat cum experientiâ, quâ conſtat rem æquè manere dubiam, ſive teſtes oppoſiti ſint omnes ruſtici, ſive omnes ſint ſapientes: ergo quoties probationes ſunt æquales, res manet dubia; quare licèt quilibet ſit digniſſimus fide, quando ſeorſim à contradictione alterius rem affirmat; non tamen eſt dignus fide, quando oppoſitum teſtatur vir æqualis authoritatis; quia ſicut dignus non eſt, ut ego credam alterum virum æqualis authoritatis errare, ita dignus non eſt, ut ego in illis circumſtantijs illi fidem præſtem; nam illi fidem præſtare, eſt credere alterum errare ex ignorantiâ, vel malitiâ. Quare ait *n.* 43. *in illo eventu, in quo viri ejuſdem authoritatis ſibi invicem contradicunt, & alter affirmat, alter negat, non eſſe utrumque fide dignum; ac proinde neutrum eſſe fide dignum in ordine ad rem illam.* Probat; quia ſi vir ſummâ ſapientiæ, & ſanctitatis dote inſignitus aliquid teſtetur, ego tamen ſciam evidenter eum errare, tunc apud me non eſt fide dignus, quia ut ejus authoritas me movere poſſit, neceſſe eſt, ut caream evidentiâ de errore illius: ergo licèt illi duo viri ſint maximæ authoritatis, non eſt uterque fide dignus apud me, quia evidenter ſcio alterum errare. N. 537.

Confirmat 1. Hæc propoſitio eſt evidens. Alteruter ex illis contradicentibus fallit, aut fallitur: ergo uterque non eſt ſimul dignus fide, ſimultate dignitatum, non dignitate ſimultatis aſſenſûs cum diſſenſu: ergo non eſt in meâ poteſtate eligere inter utrumque, ut huic, aut illi prudenter credam, nam hæc electio ſupponit utrumque dignum fide ſimul, ſimultate dignitatum in actu primo. Primam conſequentiam probat; nam ſi eſt evidens alterum falli, aut fallere, dicere non poſſum, Uterque eſt fide dignus: dum enim judico Petrum eſſe fide dignum in aliquo dicto, judico eum nec falli, nec fallere; nam dignitas fidei conſiſtit in ſanctitate, quâ non decipiat, & in ſcientiâ, quâ non decipiatur; ego autem in eo caſu non poſſum dicere: In hoc dicto nec Petrus fallit, aut fallitur; nec Paulus fallit, aut fallitur; nam mihi evidens eſt alterutrum falli, aut fallere: ergo non poſſum pronuntiare, Uterque eſt fide dignus: ergo non eſt in meâ manu eligere, quem maluero, ut ei prudenter credam. Hinc *n.* 45. ait nullam eſſe in argumento fallaciam, nam hæc propoſitio: Alteruter ex ſibi contradicentibus fallit, aut fallitur: non facit ſuppoſitionem confuſam, & vagam, ſicut facit hæc: Alteruter ex oculis eſt neceſſarius ad videndum; ſed facit determinatam, ſicut hæc, *Aliqua ex contradictorijs eſt determinatè falſa*: nam in ſuppoſitione confuſâ non valet conſequentia à negatione unius extremi ad affirmationem alterius; & ideo non valet, *Sed non requiritur ſiniſter; ergo requiritur dexter*: at in ſuppoſitione determinatâ benè valet: ergo conceſſo, quòd Petrus, vel Paulus, ſibi contradicentes, fallit, aut fallitur, benè (inquit) valet, Sed Petrus nec fallit, nec fallitur, ergo Paulus vel fallit, vel fallitur. Cùm ergo à me ignoretur, quinam ſit, qui nec fallit, nec fallitur,

fallitur, neuter apud me est fide dignus, sed tenetur suspendere assensum neutri credendo.

N. 538. Confirmat 2. *n.* 46. Ut sim proximè potens credere viro gravi, non satis est, ut sciam eum esse virum gravem, sed necesse est, ut non sciam eum certò decipi: ergo ut sim proximè potens credere Petro, aut Paulo, non satis est, ut sciam esse viros graves, sed necesse est, ut nesciam alterum ex his decipi, sed scio alterum decipi, dum contradictoria dicunt; ergo tunc non sum proximè potens alterutri credere; ergo neutri debeo credere, sed judicium suspendere. Hinc *n.* 47. ait, *non esse absurdum, sed esse verissimum, quòd opinio D. Augustini non sit digna assensu apud eum, qui scit D. Hieronymum asserere oppositum, si utriusque authoritas sit omnino*

N. 539. *æqualis apud ipsum*, quia alteruter errat: ergo in illo eventu neutri potest prudenter assentiri, & neutra opinio est prudenter credibilis. Subdit *n.* 48. Non tantùm non est injuria Augustini, sed reverentia erga Hieronymum, nè quis assentiatur Augustino, dum ei cõtradicit Hieronymus: nec est injuria Hieronymi, sed reverentia erga Augustinum, ne quis assentiatur Hieronymo dum ei contradicit Augustinus. Dat rationem; quia siquis assẽtiatur opinioni Augustini, judicat opinionẽ Hieronymi esse falsam, & hujus authoritatem quoad hanc assertionem contemnit: & econtra, si assentiatur opinioni Hieronymi, judicat opinionem Augustini esse falsam, & hujus authoritatem contemnit: dum autem judicium suspendit, reveretur æqualiter utrumque. Demum concludit *n.* 50. Quoties in meo intellectu stant duę opiniones contrarię, æquè verisimiles, neutra tunc est apud me digna assensu, quia cùm evidens sit unam esse falsam, nec potior sit præsumptio pro unâ, quàm pro aliâ, nulla est ratio prudens, cur uni prę aliâ assentiar.

N. 540. Respondeo nihil horum me movere, 1. quia in casu duorum contradicentium, utrũque testimonium apparet directè probabiliter verum, quia utrumque immediatè constare videtur prærogativis, quibus constituitur testimonium probabiliter verum: rursus utrumque testimonium apparet indirectè probabiliter falsum, quia si testimonium A est verum, sequitur quòd B sit falsum, & econtra si B est verum, A est falsum; quodnam autem sit in re verum, vel in re falsum, nescimus. Secundò, quia testimoniũ non æquè apparet verum, ac falsum, sed directè apparet verum ratione sui, & indirectè falsum ratione alterius. Tertiò, argumentum transit ab evidentiâ falsitatis indeterminatè, & vagè ad negandam probabilitatem utriusque, confundendo falsitatem cum improbabilitate: quæro enim à P. Thyrso, an hæc consequentia sit bona: Alteruter me judice dicit evidenter falsum, ergo neuter est fide dignus: si est bona, ergo hæc etiam erit bona: Alteruter me judice N. 541. evidenter dicit verum, ergo uterque est fide dignus: sicut autem malè à veritate indeterminatâ infertur authoritas utriusque affirmantis, & negantis; ita malè etiam à falsitate indeterminatâ infertur negatio authoritatis utriusque affirmantis, & negantis. Cur autem, nisi quia confunditur veritas cum probabilitate, & falsitas cum improbabilitate? ut latè dixi contra P. Eliz. qui latè hoc P. Eliz. argumentum produxit, & alij amplexi sunt. Quartò, dico, quòd uterque testis dicit probabiliter, & prudenter verum, etsi neuter dicat infallibiliter verum, quia uterque, ut supponitur, loquitur ex gravi fundamento. Quintò, dico, quòd tota hæc doctrina unico D. Thomæ textu *qu.* 14. de Verit. *art.* 1. N. rejicitur; nam explicans dubium ait: *Quandoque intellectus noster non inclinatur magis ad* 542. *unum, quam ad aliud*: ecce non negat quòd æqualia motiva moveant, sed negat quòd *magis* moveant, ait enim, non inclinatur *magis*, quod verum est: ergo æqualia motiva inclinant, sed non magis; ergo non se elidunt; & utraque statera pars æquiponderans inclinat ad centrum, etsi non magis; & uterque æqualis trahens trahit, etsi non magis; & uterque testis probat, etsi non magis. Sextò, quia urget voluntatis paritas eligens N. inter æqualia, & diversa bona, quæ non ideo 543. contemnit bonum, quod non eligit, non enim idem est non eligere, ac contemnere: ergo qui credit D. Augustino, non contemnit S. Hieronymum, cui non credit.

Septimò, argumentum probat nullam esse omnium Scholarum authoritatem, suppono enim esse æqualis doctrinæ, & sapientię: N. 544. ergo nulla erit in Ecclesiâ Catholicâ Scholarum authoritas, quoties sibi contradicunt, ut accidit in plerisque probabilibus; nulli fidendum erit Doctori: qui enim ex. gr. Matriti petit consilium hominis doctissimi, evidenter scit dari alios æquè doctos ei contradicentes; quid ergo facere debebit? Non eorum rationes ponderare; nam est incapax: non doctrinam; nam est idiota: non sequi tutius; tùm quia ad hoc necessarium non erat consilium; tùm quia sicut dantur Doctores, qui ad hoc obligant, ita æquales, qui deobligant; quid ergo ei faciendum erit? Sanè felicior erit, qui deserto in loco vivit, ubi unus Parochus, & utinam sæpe mediocriter doctus, instar omnium est; talis enim est, ut

omnes

omnes ejus Diœcesis, ejus dictamen sequi possint: sanè Parochus iste superior erit toti Scholæ Thomisticæ, & toti Scotisticæ, quia cùm utraque sit summæ, & æqualis authoritatis, per hoc ipsum neutra est fide digna, neutri credere possum; potest autem idiota vulgari Parocho ex toto credere. Ecce quò declinant, qui argumentum satis ordinarium solvere vel nolunt, vel nequeunt. Argumentum autem est: Alteruter æqualis authoritatis fallitur, aut fallit, seu falsum dicit: ergo neutri possum prudenter credere: nam concesso antecedenti, nego consequentiam; ut enim alicui prudenter credam, satis est, quòd verum probabilissimè dicat; sed uterque dicit probabilissimè verum; ergo utrique possum disjunctivè credere; licet enim evidens sit alterutrum errare, non ideo neuter est fide dignus, nam error non minuit sapientiam dicentis, si error ille sit ex magnâ veritatis apparentiâ; nec sapientia humana est quoad omnia à se asserta infallibilis, sed sæpe fallibilis; nec sapientia idem est cum veritate; aliàs qui casu dicit verum, esset sapiens; etsi ergo vir sapiens aliquando fallatur, non ideo in eo non est sapiens, si illud ex magno fundamento asserat; quo modo non desinit esse vir sanctus, qui invincibiliter violat Dei legem, nec peccatum illud materiale contra legem obstat ejus sanctitati; immò si opus illud materialiter malum commisit ex invincibili errore, quòd daretur præceptum, est ob illud laudabilis, & sanctus; ergo error fundatus in magnâ veritatis apparentiâ non obstabat sapientiæ humanæ. Demum videtur contradictio; nam *diss. 7. ad §. 7.* inclusivè, totus est in asserendo, quòd quoties utraque opinio est æquè probabilis, suspendendum sit omne judicium, nam his verbis claudit §. 7. *Debeo circa utrumque assensum suspendere*: deinde §. 8. *n. 51.* vult, quod quoties utraque opinio est æquè probabilis, tenear ad tutiorem; quomodo autem possum hanc sequi, nisi prius formem judicium directum de veritate tutioris? quomodo autem formare potero judicium directum de veritate tutioris, si adest æquale fundamentum pro veritate non tutioris? Ergo licèt possim ob alias rationes formare judicium reflexum de obligatione sequendi tutiorem, non tamen potero eam sequi, quia ex P. Thyrso nullam sequi possum opinionem, nisi illam judicem directè veram: sed in casu quo utraque est probabilis, non potest tutior judicari à me directè vera; ergo eam sequi non possum; ergo ex unâ parte datur obligatio sequendi tutiorem, nam hoc affirmat P. Thyrsus §. 8. ex aliâ parte datur impossibilitas sequendi tutiorem, quia ex eodem omnis opinio, antequam eam sequar, debet judicari directè vera; & ex eodem nulla æquè probabilis potest judicari directè vera, sed necessariò suspendèdum omne judicium: ergo datur obligatio sequendi tutiorem, quoties opinio magis, & minùs tuta sunt æquè probabiles, & simul datur impossibilitas eam sequendi.

N. 545.

N. 546.

N. 547.

Omitto alia infrà solvenda, ubi de licito usu opinionis æquè, aut minùs probabilis stantis pro libertate.

§. IV.

Argumenta P. Elizaldæ.

SUMMARIUM.

Quia dubitare, aut solvere dubium, non est nobis liberum, n. 548.

Quia dubium solvitur per inventionem veritatis; ergo implicat, ut rationes, quæ faciunt dubium, illud solvant, n. 549.

Quia regulæ juris sunt solutiones dubiorum, hæ autem nituntur alteri rationi, n. 550.

Quia dubitans nil habet tunc, quo tollat dubium, n. 551.

Quia ad nihil plus obligaretur judicans, quàm dubitans, n. 552.

Quia solvens debet habere cur, n. 553.

Quia dubium ex Arist. est nodus, nodus autem solvi non potest per quod implicatur, ibid.

Quia conscientia dubia per aliud principium deponitur; ergo ut dubium solvatur, debet dari nova ratio, n. 554.

Ait, neminem sibi opponi, excepto Caietano, quem impugnat, ibid.

Quia, quæ habent æquales rationes, non solent dici probabilia, sed dubia, & plus requiritur ad probabilitatem, quàm ad dubium, n. 555.

Definitio dubij ex S. Thom. n. 556.

Infert, centum contra centum facere rem dubiam, non autem credibilem, vel opinabilem, n. 557.

Aliæ illationes, ibid.

Arguit Palanco ijs ferè argumentis, quibus P. Eliz. n. 558.

Potest solvi dubium sine novâ ratione, n. 559.

Confundit dubium cum probabilitate, n. 560.

Eadem ratio, quæ constituit, solvit dubium, n. 561.

Nemo dicit, quòd dubitatio tollatur formaliter per rationem dubitandi, nam tollitur per assensum, n. 562.

P. Eliz. qui totus est contra Reflexistas, utitur argumento reflexo, n. 563.

Confundit sensum divisum cum composito, & dubium objectum cum formali, n. 564.

Ad plus

Ad plus ex parte actus obligatur solvens, nec quod satis est ad dubium, satis est ad solutionem, & alia discrimina expono, n. 565. 566.
Dubitantis cur, *solventis cur*, n. 567.
Nodus non solvitur per quod implicatur, immò retorquetur, n. 568.
DD. citati à P. Eliz. docent evidenter oppositum, nempe dubium deponi physicè posse sine novâ ratione, immò ut licitè deponatur, non est necessaria nova ratio, n. 569. 570.
Mirabile est, quod ait de dubio negativo, n. 571.
Æqualitas rationum, & DD. reddit rem dubiam, id est, non certam, reddit tamen probabilem, n. 572.
Res ex se, nec est dubia, nec certa, & à quo talis sit, n. 573.
Plus requirit probabilitas objectiva, & formalis, quam dubium, & dubitatio, n. 574.
Probabilitas non sumitur a contingentiâ, n. 575.
DD. citati à P. Eliz. defenduntur, n. 575.
Juxta me dubitatio non est sola suspensio judicij directi, sed etiam dicit judicium reflexum de insufficientiâ utriusque motivi, n. 576.
Decem graves contra decem graves faciunt rem probabilem; cur? n. 577.
Solvo argumentum Palanci, n. 578.
Non est idem, quod inclinat ad dubium, ac ad solutionem, n. 579.
Quæstio non agitatur eo sensu, quo Palanco intelligit, n. 580.

N. 548. INgeniosus P. Eliz. à longè impossibilitatem assentiendi æquè, aut minùs probabili derivare ausus fuit; ait enim quòd si nobis non est liberum dubitare, nec liberum erit solvere dubium; & si hoc non est liberum, nec illud: sed stante motivo dubitationis, non est liberum solvere dubium, nisi nova ratio accedat: ergo stante eo motivo, non est liberum dubitare. Quare ut ejus P. Eliz. methodum sequar, traham prius, quæ *lib.* 4. in quo agit de dubitatione, diserte tradit, dicendo quòd dubitare non sit nobis liberum, nec dubium solvi posse per dubitandi rationem; immò hæc duo mutuò se inferre, non est liberum dubitare, ergo nec solvere dubium; non est liberum hoc, ergo nec illud. Itaque *qu.* 3. §. 2. *pag.* 211.

N. 549. Arguit 1. ex Aristotele 7. *Ethic. cap.* 2. & Aristot. ex communi proverbio, Dubitatio solvitur per inventionem veritatis, sive veram, sive existimatam: si vera sit inventio, bona est solutio; si existimata, mala est: ergo nisi nova ratio, vel authoritas accedat pro solutione, intelligi non potest sublata dubitatio; ergo rationes dubitandi non sunt satis ad dubium solvendum: quomodo enim per illud, per quod constituitur dubium, tollatur dubium? sed constituitur per rationes dubitandi; ergo per has tolli non potest.

Secundo, quia regulæ juris in re dubiâ N. 550. sunt solutiones dubiorum; sed illæ regulæ nituntur semper alicui rationi particulari faventi parti, cui favent, non autem ex libito; aliàs regulæ contradictoriæ essent æquè rationales; & sicut statuitur reo favendum, cùm jura partium sunt obscura, meliorem esse in re dubiâ conditionem possidentis; æquè rationabiliter statui posset oppositum, nempe in dubijs deteriorem esse conditionem possidentis, & favendum actori, & standum contra pupillum, & Ecclesiam: ergo illæ regulæ sunt ex speciali ratione, non ex puro libito.

Tertiò, quia objecto æquè se habente ad N. 551. verum, & falsum non est quidquam enuntiare mentaliter; sed omnis dubitans ob rationes contrarias hinc inde trahentes habet objectum indifferens ad verum, & falsum, & sic ex D. Thom. & alijs, dubitatio definiS. Th. tur, *Motus super utràque parte contradictionis*; dubitat enim ob contrarias rationes, quæ vera, quæ falsa sit: ergo dubitans nil habet, quo tollat dubium.

Quartò, si quod sufficit ad dubitandum, N. 552. sufficeret ad solvendum, non ad plus obligaretur judicans, quàm dubitans: sed dubitans non obligatur has rationes bonas facere, & contrarias solvere: ergo nec judicans; sed hoc est contra leges Scholarum, fori, librorum; ergo & illud.

Quinto, ratione, quam vocat ostensivam; N. 553. nam solutio dubij fit per inventionem veritatis, seu per affirmationem, aut negationem: ergo omne dubium solvitur affirmatione, vel negatione: ut enim omnis dubitans, nec affirmat, nec negat, ita omnis solvens dubium, vel affirmat, vel negat, sive actu scientiæ, sive fidei, sive alio: ergo dubitans, & solvens non habet easdem rationes. Sicut ergo implicat, ut dubitans non habeat *cur*, seu rationes dubitandi; ita implicat, ut solvens non habeat *cur*, seu rationes solvendi. Dicere autem, quòd ratio solvendi sit ipsa ratio Aristot. dubitandi, est idem, ac dicere, nodum per idem solvi, & implicari; nam dubitatio ex Aristot. est nodus: ergo omnis solvens dubium debet habere rationem, cur pro hâc parte solvat, & non pro contrariâ; in rationibus autem dubitandi hoc non habet: ergo sola ratio dubitandi non est satis ad dubij solutionem.

Sextò, *qu.* 3. §. 1. ita argui potest: Ferè N. omnium TT. sententia est, quod ut conscien- 554.

entia dubia deponatur, necesse sit principium distinctum à rationibus dubitandi, cui dictamen conscientiæ de non peccato nitatur: ergo non potest solvi dubium per rationes dubitandi. Rursus communissima est, quòd ut speculativè dubitans possit practicè non dubitare, debet assumere aliam specialem rationem: ergo pro dubij solutione nova requiritur ratio. Demum certum est, quòd ut solvatur dubium, teneamur diligenter scrutari veritatem: ergo dubium non solvitur per id, per quod constituitur, aliàs nulla diligentia esset necessaria, sed satis esset velle non dubitare. Hinc subdit se nullum invenisse in hoc puncto sibi contrarium, præ-

C. Caie. ter Caiet 1. 2. *qu.* 19. *art.* 5. dicentem dubium deponi posse sine novâ ratione, per solum velle; quod idem docet de dubio negativo *qu.* 65. *art.* 4. ita ut velit, quod quis sine ullâ ratione præsente judicare possit aftra esse paria; quod falsum est, alias possemus vêtura judicare pro libito sine ratione. Sicut ergo non potest solvi dubium negativum, nisi adveniat ratio, ita nec positivum, nisi nova accedat, nam ubi rationes sunt æquales, per nullam earum solvi potest dubium, quia objectum æquè apparet verum, ac falsum, & rationes se elidunt, & se habent, sicut nulla ratio: ergo dubium solvi non potest sine novâ ratione.

N. 555. Septimò *qu.* 4. & 5. arguit; quia æqualitas rationum, vel authoritatum facit rem dubiam: ergo sicut stante æqualitate rationum opinari non possum, ita nec solvere dubium, & econtra. Antecedens probat tùm authoritate; Doctores enim communissimè dicunt dubia ea, quæ pro utrâque parte habent rationes, vel authoritates æquales; ergo quæ habent rationes æquales, non sunt probabilia. Tùm quia DD. plus requirunt ad probabilitatem, quàm ad dubium; ad illam enim requirunt, ut sit plerumque contingens, & verum, ut docent Arist. S. Thom. C. Pal-

Aristot. S. Tho C. Palla. lav. sed quæ habent rationes, vel authoritates æquales, ut talia sunt, non habent contingere magis, quàm non contingere, nam æquè se habent ad contingere, & non contingere: ergo &c. Tùm quia quotquot docent non esse opinari circa æquè, aut minùs probabilia, ut Arist. S. Tho. P. Suar. C. Pallav.

P. Suar. P. Less. P. Laym P. Lessius, P. Layman, & alij; omnes isti excludunt à probabilitate ea, quæ habent utrimque rationes æquales: ergo omne tale, si non est opinabile, nec est probabile; atque adeo omnes, qui asserunt æquè, & minùs probabilia esse verè probabilia, & tamen negant esse opinabilia, sibi contradicunt. Tùm

S. Tho. quia S. Thom. *qu.* 14. de Verit. expressè ait: *Intellectus quandoque non inclinatur in unam partem magis, quam aliam .... vel propter æqualitatem rationum, quæ movent in utramque partem, & ista est dispositio dubitantis, quæ sistitur inter duas partes contradictionis*; & ideo in 3. *dist.* 37. definit dubitationem, motum rationis super utrâque parte: ergo dubium objectivum ex S. Thom. consistit in æqualitate rationum; sed dubio objectivo non respondet ex parte actus, nisi dubium formale, seu dubitatio; ergo respondere non potest opinio formalis, aut probabilitas formalis: ergo quando motiva sunt æqualia, objectum non est opinabile, & multo minùs est probabile, sed purè dubium. S. Thomam, subdit, sequi Summistas Sylvest. Ang. Caiet. M. Sylv. Angel. Caiet. Cordub. Conrad. Sot. & Pallav. 1. 2. *d.* 9. *qu.* 4. *art.* 3. *n.* 1. P. Suar. 1. 2. *d.* 12. *sect.* 5. & alios, quos citat. Hæc P. Eliz. qui *q.* 4. §. 4. *pag.* 215. infert 1. decem Doctores contra decem, aut centum contra centum, facere proprijssimè rem dubiam, nullatenus autem credibilem, vel opinabilem; si autem non faciunt opinabilem, considereturquàm tutò casus conscientiæ resolvantur, dicendo adesse tot Authores; si enim Authores hinc inde (idem dic de rationibus) sunt æquales, eò ipso res manet dubia, tot enim sunt contra legem, quàm pro lege: ergo cùm omnis operans in dubio contra legem peccet, omnis sequens contra legem æquè probabilem opinionem peccabit. Infert 2. *q.* 5. nullum conscientiæ dubium solvi per æquè, aut minùs probabile; tùm quia ait §. 1. hoc probabile non est inventio veritatis, cùm intellectus æquale habeat fundamentum pro non veritate; tùm quia, ait §. 2. hoc probabile erat etiam in dubitante, cùm habebat æqualem probabilitatem objectivam; tùm quia ait §. 3. solutio dubij per hoc probabile oritur, quia ignoratur natura dubitationis; nam licèt dentur rationes, & Doctores graves pro utrâque parte dubij, earum gravitas non dat nisi dubitare, nam dubium est, quando adsunt rationes æquales, non tantùm leves, sed etiam graves, ut constat ex praxi Doctorum, qui pro ratione dubitandi proponunt rationes graves: ergo tota ea gravitas non facit probabile; & qui dixerunt quòd fundet probabile, ignorarunt dubitationis naturam, quæ adhuc persistit stante rationum gravitate.

N. 556. C. Pal P. Suar. P. Eliz. N. 557.

Octavò argui potest ex Palanc. *q.* 17. *a n.* 2. Solvere dubium semper est cum ratione, non autem pro puro voluntatis libito: ergo ut dubium solvatur, necessaria est nova ratio, vel quoad substantiam, vel quoad modum. Consequentia probatur: quia implicat,

N. 558. Palanc.

plicat, ut quæ est ratio prudenter dubitandi, eadem invariata sit ratio prudenter assentiendi, seu solvendi dubium, alias manifesta esset imprudentia manere in dubio, dum adest ratio assentiendi prudenter, seu solvendi dubium: ergo ut dubium prudenter solvatur, requiritur ratio nova saltem formaliter, & quoad modum. Confirmat 1. quia implicat, ut eadem ratio prorsus invariata inclinet prudenter ad oppositum: sed dubitare, & solvere dubitationem, seu affirmare, vel negare, sunt actus oppositi: ergo implicat, ut eadem ratio prorsus invariata, quæ movet intellectum ad dubitandum, sit satis ad dubium solvendum. Confirmat 2. quia si rationes dubitandi sunt rationes sufficientes assentiendi, cur statim ac dubitamus, non assentimur? immo plerique sapientes in magnis dubijs suspendunt judicium: ergo tantum abest, ut rationes prudenter dubitandi sint sufficientes ad solvendum prudenter dubium, quin esse non possunt, ut docet experientia. Hinc §. 3. *an.* 12. ait solutionem dubij fieri semper per inventionem veritatis, vel veram, vel putatam veram; quia dubium non solvitur nisi affirmando, vel negando id, de quo dubitatur: sed omnis affirmatio, vel negatio ejus, de quo dubitatur, est inventio veritatis, vel vera, vel putata, nam affirmatio est actus, quo judicatur vera pars affirmativa; negatio est actus, quo judicatur vera pars negativa: sed judicare ut veram partem affirmativam, est invenire in illâ veritatem verè, aut putativè; sicut judicare veram partem negativam est invenire in illâ veritatem verè, vel putativè: ergo affirmatio, vel negatio ejus, de quo dubitatur, est inventio veritatis vera, vel putativa. Quare §. 4. *an.* 17. concludit æqualitatem rationum, & authoritatum pro utràque parte contradictionis non posse sufficere ad solvendum dubium, immò potiùs ea æqualitas ad dubium propriè revocatur, quod adeo certum est, ut omnes Antiqui hoc potiùs supposuerint, quam disputarint. Hæc Palanc. vel potiùs P. Eliz. in Palanco.

N. 559. Respondeo 1. universaliter ad hęc omnia, quòd cùm mihi certum sit intellectum esse liberum libertate contrarietatis ad assentiendum ex imperio voluntatis non tantùm alterutri ex motivis æquè probabilibus, seu ex rationibus dubitandi gravibus, sed etiam ad assentiendum motivo minùs, immò nullo modo probabili, stante motivo opposito validissimo, obscurè tamen proposito, ut patet in Hæretico, & in temerè judicante; consequenter intellectus erit etiam liber ad solvendum dubium, assentiendo ex imperio voluntatis alterutri motivo dubitandi, absque eo quòd nova ratio pro solutione, seu pro illo assensu accedat. Porro arguens confundit dubium, & probabilitatem; illæ enim N. 560. rationes dubitandi, sive æquales, sive inæquales, quia non cogunt ad assensum, relinquunt intellectum, usquedum omne judicium directum suspendit, dubium positivè circa objectum; si tamen accedat voluntatis imperium, ut assentiatur uni præ altera parte, & ratio, vel authoritas, ob quam assentitur, sit gravis absolutè, & respectivè, eò ipso solvitur dubium, & datur probabilitas formalis. Sanè ut alia omittam, Catholicus per solas rationes fidei sufficienter propositas movetur ad solutionem dubij contra fidem, derivati à rationibus oppositis ipsi fidei: sicut igitur hæ rationes contra fidem, & illæ pro fide, generant dubium contra fidem; ita istæ pro fide omnino invariatæ, N. 561. nullâ aliâ novâ additâ ratione, satis sunt ad tollendum illud dubium: ergo eadem ratio, quæ constituit dubium, satis est ad illud tollendum, accedente imperio voluntatis. Idem patet in voluntate stante inter bona æqualia diversa, quæ licèt reddant suspensam voluntatem, attamen quodlibet eorum satis est, ut accedente volitione hujus, vel illius boni, voluntas sine novo bono superveniente amplectatur hoc præ illo; ita hoc idem accidit in intellectu. Deinde, ut singulis satisfaciam,

Ad 1. dico certum prorsus esse, quòd dubitatio non tollatur formaliter per rationem N. 562. dubitandi, nec ullus potest hoc somniare; tollitur enim formaliter per assensum, & dissensum; quapropter evidens est, quòd argumentum nihil probet, nam unicè probat, quòd dubium formaliter non tollatur per id, per quod formaliter constituitur, quod verum est, nec de hoc potest esse quæstio, non autem probat, ut probare deberet, quòd sine novâ aliâ ratione intellectus non possit præbere alterutri parti assensum, per quem formaliter tollatur dubium; ergo nihil probat. In formâ transeat antecedens, & nego consequentiam; immò dico, quòd etsi nova ratio accederet, non ideo formaliter tolleretur dubium, quia dubium non solvitur per motivum, sed solvitur per actum judicij. Vel, si placet, distinguo: sola ratio dubitandi, immò nec nova addita ratio non sufficit ad tollendam dubitationem per modum causæ formalis, concedo consequentiam; sola ratio dubitandi, accedente, ex voluntatis imperio, judicio affirmativo, vel negativo, N. nego consequentiam. 563.

Ad 2. oporteret ut P. Eliz. qui tantùm P. Eliæ. contra

contra Probabiliſtas Reflexiſtas invehitur, meminiſſet hujus argumenti, quod reflexum eſt, nam quoties ad has juris regulas appellamus, non ſolvitur directè quæſtio, ſed reflexè, nam adhuc directè incertus ſum, an res ſit Petri poſſidentis, an non, licèt deinde quæſtionem reflexè ſolvam per regulam reflexam, quòd in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Quare argumentum peccat 1. quia non eſt ad rem; quæritur enim, an ſine novâ ratione poſſim directè ſolvere dubiũ? P. Elizalde negat, & ut probet, trahit juris regulas, per quas reflexè, non autem directè ſolvitur quæſtio: ego autem affirmo poſſe directè ſine novâ ratione ſolvi dubium. Peccat 2. quia vel eas juris regulas putat certas, vel dubias? Si certas, ut reverà ſunt, conſequenter, ſicut ſtatuitur, quòd in dubio favendum ſit reo, ita non poteſt ſtatui oppoſita regula, In dubio non eſt favendum reo, cùm eo ipſo, quòd illa ſit certò bona, hæc ſit certò mala: vel putat dubias, & tunc fallitur. In formâ concedo totum, quod non eſt ad rem.

N. 564. Ad 3. nego maiorem, ſi accedat voluntatis imperium. Moneo autem nè confundat ſenſum diviſum cum compoſito; nego enim, quod actu dubitans poſſit, ſtante dubitatione, componere judicium de alterutrâ parte; & affirmo, quòd poſſit in ſenſu diviſo. Quare dubitans in ſenſu diviſo ab actuali dubitatione, (ita loquor, ut loquar cum arguente, aliàs non video, quomodo ſuſpenſio omnis actus ſit actus dubitandi) ſtantibus tamen ijſdem omnino dubitationis motivis, poteſt enuntiare, quod voluerit, affirmando, aut negando; nihil autem enuntiare poteſt ſtante actuali dubitatione. Rurſus, ne confundat dubium objectivum, ſeu motiva dubitationis actualis cum ipſâ dubitatione actuali; judicium ſtare poteſt cum dubio objectivo, ſeu cum omni dubitationis motivo, non autem cum actuali dubitatione.

N. 565. Ad 4. diſtinguo maiorem: ſi quod ſufficit ad dubium, ſufficit ad ſolutionem, judicans ad nihil plus obligaretur, quàm dubitans, ad nihil plus ex parte objecti, concedo, ex parte actus, nego maiorem, & conceſſâ minori, nego conſequentiam. Hoc etiam argumentum peccat 1. quia ſupponit nos dicere, quòd

N. 566. idem quod ſufficit ad dubitandum, ſufficiat ad ſolvendum, quod falſum eſt, ut dixi, nam ad dubitationem requiritur ſuſpenſio omnis judicij directi circa quæſtionem; ad ſolutionem autem requiritur enuntiatio directa de eâdem quæſtione. Peccat 2. quia licèt, ſi ſermo ſit de dubio objectivo, ſeu de motivis dubitandi, & de motivis ſolvendi, licèt, inquam, verum ſit, quòd non requiratur neceſſario (nam res eſt, an neceſſario requiratur) maius motivum, ut ſolvatur, quàm ut dubitetur; ſicut enim, ut dubium ſit prudens, requiritur ut motiva dubij ſint gravia, ita ut ſolutio ſit prudens, requiritur ut motivum ſit grave; rurſus, ſicut, ut dubium ſit imprudens, ſatis eſt, ut motivum pro unâ ſaltem contradictionis parte ſit leve; ita, ut ſolutio ſit imprudens, ſatis eſt ſi eidem motivo levi nitatur; licèt, inquam, certum mihi ſit, quòd non requiratur maius motivum pro enuntiatione, ac pro dubio, ex hoc tamen non ſequitur, quòd enuntians non teneatur ad plus, quàm dubitans: eo enim ipſo quòd aſſentitur uni parti ut verę, tenetur oppoſitas rationes ſolvere, & oppoſitum repudiare ut falſum, ad quod non tenetur dubitans; quo modo non plus requiritur ex parte motivi ut voluntas amet Petrum potiùs, quàm Paulum, ſatis enim eſt, ut in utroque detur bonitas; poſtquàm tamen determinavit amare Petrum, ad plura tenetur, quàm ſi eum non amaret, vel amaret Paulum.

Ad 5. conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; dico enim, quòd tam dubitans, N. 567. quàm ſolvens, habent *cur*. Dubitantis *cur*, ſunt utriuſque partis contradicentis motiva, ſive æqualia, ſive inæqualia. Solventis *cur*, eſt motivum alterutrius partis, quod benè ponderatum, etſi ſit certò grave, movere poteſt ad aſſenſum, vel diſſenſum gravem, & prudentem. Quod autem ait, quòd N. ſi ratio ſolvendi eſt ipſa eadem ratio dubi- 568. tandi, ſequitur, quòd nodus per idem ſolvatur, per quod implicatur, nego ſequelam ex triplici capite: 1. quia dubitatio, ſeu nodus non ſolvitur formaliter per ipſam rationem, ſeu motivum, ſed per judicium affirmativum, vel negativum; adeoque arguens iterum confundit ſolutionem objectivam, ſeu motivum, cum ſolutione formali: 2. quia motivum dubitandi, vel ſunt ambo motiva, ſi duo dantur, conſiderata ambo ut vera, & ut falſa; vel eſt unum motivum, ſi unum tantùm datur, conſideratum ut verum ſimul, & falſum: econtra motivum ſolvendi eſt unum tantùm motivum, nempe conſideratum ut verum, cui intellectus ex voluntatis imperio aſſentitur, & oppoſitum conſideratum ut falſum, cui non aſſentitur: 3. quia paritas nodi eſt evidenter contra P. Eliz. vel enim loquitur de ſolutione formali nodi; & in hoc ſenſu implicat, ut nodus per idem formaliter ſolvatur, per quod formaliter innodatur: in caſu autem noſtro dubium ſolvitur formaliter per formalem affirmationem

tionem, aut negationem; & innodatur per dubitationem formalem: vel loquitur de solutione quasi efficienti, & tunc nodus per illud ipsum, per quod efficienter innodatur, potest efficienter solvi; nam funis ex. gr. innodatur, & solvitur efficienter ab eâdem manu.

N. 569. Ad 6. fateor omnes, quos citat, evidenter docere oppositum saltem quoad potentiam physicam intellectus; si enim communissima sententia docet peccare illum, qui sine novâ ratione dubium deponit; ergo evidens est, quòd potest illud, etsi temerè, & imprudenter, deponere; ergo evidens est, quod sine novâ ratione possit, imprudenter saltem, deponere dubium. Similiter si communissima sententia docet, quòd ut practicè seu licitè deponatur dubium speculativum, debeat supervenire aliud principium; ergo evidens est, quòd sine novo principio possit illicitè saltem deponi. Demum si ut dubium licitè solvatur, tenemur ad diligens veritatis examen; ergo evidens est, quòd saltem cum peccato deponi possit dubium sine novâ veritatis investigatione. Ecce igitur quam irrito conatu armet contra nos Theologos, qui potiùs supponunt ut evidens oppositum, nempe supponũt dubium posse saltem physicè solvi sine novâ ratione. Quod si P. Eliz. P. Eliz. dicat se loqui de licitâ, & prudenti, non autem purè physicâ depositione dubij, & sic Theologos unanimiter docere, quòd tunc requiratur nova ratio: Dicam 1. quòd si hoc dicat, longè aliud dicet ab eo, quod tractat; nam *l. c. duplici quæstione* probat impossibilitatem physicam intellectus, ut deponat dubium, nisi nova ratio accedat: ergo nostra responsio, quâ ex unanimi Theologorum mente probamus, quòd possit, etsi illicitè, & cum peccato, deponi, totam ejus doctrinam evertit. Dicam 2. ne quidem ad prudentem dubij depositionem requiri ex mẽte Theologorum novam rationem, nisi quando motiva dubitandi non sunt certò gravia; si enim certò gravia sint, tunc potero sine novâ ratione, ex alterutro motivo moveri prudenter ad prudentem dubij solutionem. Loquor autem de depositione dubij practici; si enim dubium sit speculativum, certum est quòd ut practicè deponatur, accedere debet principium practicum: at hoc non est ad rem, quia tunc nullum motivum est sufficiens, nisi ad formandum judicium speculativum; nullum autem adest pro judicio N. practico. Mirabile autem est, quod ait, quòd 571. sicut dubium negativum solvi non potest, nisi nova ratio accedat, ita nec positivum; mirabile, inquam, 1. quia dubium negativum tunc datur, quando nulla adest ratio; ergo ratio, quæ accedit, est quidem *nova*, sed non est *alia nova*, nam non supponit aliam: 2. quia nemo ambigit, quòd cum solutio dubij fiat per judicium, omne autem judicium supponat motivum, quòd debeat accedere motivum: ergo dubium negativum solvi non potest, nisi accedat motivum. Econtra cùm dubium positivum supponat motiva, sive realiter, sive æquivalenter diversa, consequenter non est necesse, ut motivum accedat; satis est, ut sicut intellectus, cùm dubitat, non tantùm suspendit omne judicium, sed apprehendit motiva tali tendendi modo, ut non sint apta ad quæstionis solutionem; ita ad hoc, ut solvat, satis est, ut intellectus ex voluntatis imperio ita feratur in alterutrum cognitum ut certò grave, ut exercitè judicet sufficiens ad eam dirimendam.

Ad 7. concedo quòd æqualitas rationum, N. vel Doctorum reddat rem dubiam, seu non 572. reddat certam; non autem ita reddit rem dubiam, ut si sit gravis, non reddat probabilem; reddit enim, adeo ut possim prudenter directè solvere dubium opinãdo alterutram partem. Ad 1. probationem, nego quod quæ habent rationes æquales, non possint esse probabilia; possunt enim esse, tùm purè dubia, seu non probabilia, si rationes sint leves; tùm probabilia, si graves: rursus possunt esse tùm dubia, tùm probabilia: dubia, quatenus dubium denominatur à suspensione omnis actus; probabilia, quatenus probabilis est denominatio orta ab actu opinionis certò gravi; res enim in se sunt certæ, & determinatæ; & motiva in se sunt connexa, vel non connexa cum re: si ergo intellectus tendat in ea motiva gravia per puram apprehensionem, & suspendat omne judicium, tunc dabitur dubium, & res dicetur dubia à suspensione omnis judicij directi, suppositis alijs ad dubium necessarijs; si autem tendat in aliquod ex dictis gravibus motivis, tamquam verum, & aliud repudiet ut falsum, tunc à judicio opinativo prudenti, res dicitur probabilis. Ad 2. fateor plus requiri ad probabilitatem, sive objectivam, sive formalem, quàm ad dubitationem, sive objectivam, sive formalem; nam omnis probabilitas practica, si loquamur, ut debemus, requirit semper pro motivo fundamentum certò grave; non ita omnis dubitatio objectiva: similiter omnis probabilitas formalis est, vel affirmatio, vel negatio ita tendens in unum motivum tamquam verum, ut repudiet aliud indirectè ut falsum; omnis autem dubitatio formalis est suspẽsio omnis judicij dire-

directi, etsi aliquando supponat reflexum supra motiva, judicans quodlibet esse simul verum, & falsum, & ideo insufficiens ad judicium directum. Nego autem quod omne probabile debeat esse plerumque contingens, quia rei probabilitas non sumitur à contingentiâ, vel non contingentia rei; nam de re, quæ semel tantùm contingere potest, immò de re impossibili, quæ numquam contingere potest, dari potest probabilitas; & econtra de re necessariâ, quæ semper eodem modo est, potest dari non probabilitas: ergo probabilitas non sumitur à contingentia rei. Nec puto quod P. Eliz. quoad hoc dissentiri possit; licet enim definiat probabile per plerúque contingens, hoc non est intelligendum de re, sed ad summum de ejus motivo, ita ut illud motivũ sit probabile, quod plerumque connectitur cum veritate. Verùm, hoc adhuc admisso, argumẽtum non tenet; dico enim in casu, quo utrumque motivum sit æquè grave, utrumque esse plerumque verum, atque adeo admissâ etiam ejus definitione, utrumque esse probabile, quia utrumque ob suam gravitatem est tale, ut plerumque uniatur veritati, etsi hìc, & nunc possit non uniri; ex. gr. centum unanimes testes in genere considerati sunt gravis authoritas, quia plerumque contingit, ut sit verum, quod dicunt; & raro contingit, ut falsum dicant, etsi hìc, & nunc alterutri ex centum falsum dicant: similiter vix contingit, ut ratio nixa motivo gravi sit falsa, etsi hìc, & nunc, dato, quòd utraque contradictoria sit probabilis, alterutra ratio sit falsa, aut ex eâ non sequatur illatio. Ad 3. nego Doctores ab eo citatos dicere nos non posse opinari minùs, aut æquè probabile; immò licèt hoc dicerent, intelligendi essent, non posse nos opinari minùs, aut æquè probabile, nisi accedat imperium voluntatis. Addo, etsi docerent nos nec ex imperio voluntatis opinari posse minùs, aut æquè probabile; adhuc sine contradictione docere possunt, nos posse sequi minùs, aut æquè probabile: quando enim dicunt nos posse sequi minùs, aut æquè probabile, non dicunt nos posse *directè* assentiri minùs, aut æquè probabili, nam in hoc sensu dicerent contradictionem; sed dicunt nos posse concipere judicium reflexum moraliter certum, quòd liceat sequi minùs, aut æquè probabile; & ideo dixi, quod, sive admittatur sententia philosophica affirmans intellectum posse assentiri directè objecto minùs, aut æquè probabili, sive sententia negans quòd possit directè assentiri, adhuc licet sequi minùs, aut æquè probabilem, quatenus possùm concipere judicium reflexum non tantùm probabilius, sed etiam mihi certum, quod liceat sequi minùs, vel æquè probabilem; est enim longè probabilius licere, quam non licere, ut dicam. Ad 4. dico verum dicere S. Thomam, quòd æqualitas rationum pro utràque parte moveat ad dubitationem formalem; qui autem hoc affirmat, non ideo negat, quòd si una ex illis consideretur ut vera, & altera ut falsa, non possit movere ad probabilitatem formalem. Addo ut dicam ubi de conscientiâ dubiâ, quòd cùm dubitatio non stet in solâ suspensione utriusque judicij directi circa motiva æquè gravia contradictoria, & circa quæstionem, cujus sunt motiva, sed etiam in judicio reflexo, quod ea motiva non videantur sufficientia, quia quodlibet apparet simul verum, & falsum, sequitur tantùm, quòd stante eo judicio reflexo, neutri motivo potero assentiri ut probabili; at quis dicet, quòd eo judicio reflexo deposito, & considerato utroque motivo ut certò gravi, non possit intellectus ex voluntatis imperio assentiri uni ut vero, & dissentiri alteri ut falso? In formâ transeat antecedens, & nego consequentiam; si enim strictè loquamur, falsum est, quòd ad dubium objectivum requiratur æqualitas rationum, licèt enim sint inæquales, vel pro unâ tantùm contradictionis parte detur levis ratio, & nulla pro aliâ, adhuc dabitur dubium objectivum. Similiter transeat, quòd æqualitas rationum generet dubitationem formalem, hoc non impedit quin generare possit probabilitatem formalem, nam in se sunt graves, & habent probabilitatem objectivam. Ad Doctores, quos citat, dico unicè docere, quòd stante dubitatione formali, haberi non possit probabilitas formalis; at non docent quod eâ secluſâ non possit.

N. 575.

N. 576.

S. Th.

Ad illationes dico ad 1. quòd decem contra decem Doctores, si sint ut oportet omni exceptione maiores; & decem rationes contra decem, si sint graves, facere rem hinc inde probabilem, nam, ut dixi, plerumque est verum, quod dicunt decem omni exceptione maiores; ergo licèt alterutri ex illis decem per accidens errent, attamen utrique plerumque verum dicunt; ergo tam decem dicentes dari legem, faciunt existentiam legis probabilem, quàm decem negantes dari legem, faciunt legis non existentiam probabilem; quod totum est ad hominem contra Eliz. quare nego, quòd qui sequitur, vel hos decem, vel illos decem, operetur in dubio. Ad 2. dico dubium conscientiæ solvi posse assentiendo directè objecto æquè, aut minùs probabili; tùm quia in actu secundo assen-

N. 577.

assentior illi ut vero, & inveni, ut debui, veritatem; veritas enim, quæ certo constare non potest, satis est ut probabiliter constet: & licèt ex parte actus primi, seu ante assensum detur maius fundamentum pro nõ veritate, illud tamen solvo probabiliter, & tantum abest, ut tunc appareat verum, quin apparet probabiliter, & rejicitur exercite ut falsum: tùm quia licèt illud probabile objectivum sit etiam in dubitante, non tollit quin movere possit ad probabilitatem formalem; ut patet in voluntate, cujus motiva sunt sæpe in suspendente omnem actum voluntatis, & tamen movent ad hanc, vel illam formalem volitionem: tùm quia solutio dubij per probabile judicium non oritur ex ignorantia essentiæ dubitationis, immo ex clarâ notitiâ dubitationis, clarâ probabilitatis, clarâ intellectûs circa suum objectum, P. Teril. & voluntatis supra intellectum quoad probabilia. Vid. P. Teril de Reg. mor. q. 50. 51. 52.

N. 578. Palanc. Ad 8. sumptum ex Palanco patet responsio; dubium enim solvitur formaliter per assensum, vel dissensum, qui, si sint ex ratione valdè gravi, solvunt prudenter; si autem sint ex ratione imprudenti, ut accidit in temerè judicante, vel in Infideli, cui nostra fides apparet evidenter credibilior, propria autem apparet prudenter incredibilis, adhuc tamen propriæ assentiatur, tunc dubium solvitur imprudenter. Hoc duplici exemplo sumpto ex imprudenti assensu hominis temere judicantis, & hominis Infidelis evidenter constat, quòd sicut non requiritur nova ratio, ut dubium solvatur imprudenter, sed satis est, ut ipsi levi rationi ex imperio voluntatis intellectus assentiatur; ita nec requiritur nova ratio ut prudenter solvatur, sed satis est, ut ex prudenti ratione assentiatur; si enim ratio levissima, stante oppositâ gravissimâ, est ratio sufficiens solvendi, etsi imprudenter dubium; ita si utraque ratio dubij sit vel æquè, vel inæqualiter gravis, dummodo utraque sit gravis, erit ratio sufficiens solvendi prudenter dubium, quod

N. 579. solvitur per ipsum formalem assensum. Ad 1. confirm. nego maiorem; non enim est omnino idem id, quod inclinat ad dubium, ac quod ad solutionem; nam quod constituit, & inclinat ad dubium, est utraque ratio, quod ad solutionem, est una: si enim solutio est per assensum, est sola ratio, quæ movet ad assensum; si per dissensum, est sola, quæ movet ad dissensum; neque enim assensus, & dissensus simul stant, etsi simul stent motiva utriusque constituentia dubium. Ad 2. ideo non statim assentimur, quia sola evidentia cogit intellectum; unde sicut potest suspendi tùm assensus, tùm dissensus, ita intellectus potest ex voluntatis imperio concipere prudenter hunc præ illo. Ad reliqua patet ex dictis.

Dices ex Palanc. eò ipso quòd solvo rationem dubitandi faventem ex. gr. opinioni neganti licere contractum A, eo ipso ratio movens ad assensum opinionis affirmantis licere, transit de impedita ad expeditam: ergo non est eadem ratio invariata movens ad solutionem dubij, ac quæ movebat ad dubium: ergo ad solutionem dubij necessaria est nova ratio. Sed contra; quia si per novam rationem non intelligit, nisi quod solvatur opposita, hoc nemo negat; at quis in hoc sensu quærere potest, an intellectus, stante motivo çquè probabili, assentiri possit alterutri? immo eo ipso dicit, quod nos. Contra 2. quia possum assentiri prius opinioni affirmanti licere contractum, quam solvam rationem faventem opinioni neganti licere; in hoc autem casu eadem ratio, quæ partialiter constituebat dubium, eadem est totale motivum assensus, qui est formalis solutio dubij. N. 580. Palanc.

§. V.

Reliqua P. Eliz. argumenta.

SUMMARIUM.

Quia æqualitas rationum ex S. Thom. facit dubium strictum, n. 581.

Quia nemo experitur hunc actum, Credo hoc, sed video contrarium esse probabilius, n. 582.

Quia æqualis ratio est, sicut nulla ratio, n. 583.

Quia utrimque idem periculum falsitatis, & spes veritatis, n. 584.

Quia sicut, ut voluntas amet, non satis cur subjectivum, sed necesse cur objectivum; ita in eodem intellectu, n. 585.

Quia possemus quolibet momento mutare prudenter opinionem, n. 586.

Quia daretur hinc inde bellum rationis justum, n. 587.

Quia ex Aristot. opinari non est liberum, n. 588.

Solvuntur: S. Thom. non est contra nos, n. 589.

Ille actus non implicat, non tamen est necessarius, n. 590.

Paritas ſiderum est contra Eliz. n. 591.

Nulla ratio non movet, æqualis movet, n. 592.

Est congruum, ut intellectus in incertis subdatur voluntati, n. 593.

Minùs probabile est semper apparenter verum, & sæpe in re verum, n. 594.

Voluntas est magis libera circa bona æqualia similia, quam circa diversa, tantum abest, ut non sit libera, n. 595.

Semper datur cur subjectivum, & objectivum in voluntate, & intellectu, n. 596.
Solvendum, quòd intellectus posset omni instanti mutare opinionem; per me nec physicè, nec prudenter potest, fusè, n. 597.
Defendens non potest tunc mutare prudenter opinionem, n. 598.
Potest in incertis dari bellum utrimque formaliter justum, n. 599.
Quo sensu possim prudenter contradicere alteri, prudenter, & rectè opinanti? n. 600.
Benè dixit Arist. quòd opinari non est liberum intellectui, n. 601.
Falsum, quòd opinans non putet se dicere verum, n. 602.
Non solvit paritatem voluntatis, n. 603.
Sicut sphæra voluntatis est bonum, vel reale, vel apparens, ita intellectus verum, tam reale, quam apparens, ibid.
Æquivocum P. Eliz. n. 604.

N. 581. TRahit hæc in Append. de Naturâ opinionis, quæ est post finem *libri* 4. Dicit igitur 1.*q.*2.§.3.*pag.mihi* 249.ex S.Thom. *qu.*14. de Verit. *art.*1. qualitatem rationum facere dubium strictè tale.

P. Eliz. S.Tho.

N. 582. C. Pall. Secundò ex C.Pallav. quia nemo in se experitur hunc actum, *Ego credo hoc, sed video contrarium esse æquè probabile, vel probabilius*; ut enim nemo sine peculiari ratione potest imperare assensum circa paritatem stellarum, quia singulis numeris paribus respondent tot impares; ita in casu nostro, probabili motivo A respondet probabile B.

N. 583. Tertiò, quia æqualis ratio in ordine ad movendum intellectum est sicut nulla ratio; hæc non sufficit, nec ex imperio voluntatis; ergo neque illa. Maior constat ex staterâ æqualiter hinc inde onustâ.

N. 584. Quartò, quia stantibus æqualibus motivis non cõvenit intellectui in hanc præ illâ parte moveri, quia utrimque eadem spes veritatis, & idem periculum falsitatis apparet; ergo cùm æquè trahatur, & dividi non possit, manebit immobilis.

N. 585. Quintò, voluntas est immobilis inter bona æqualia omnino similia, ut docet S.Thom. ut enim voluntas amet, non satis est *cur* subjectivum, id est, *quia vult*, sed necesse est *cur* objectivum, seu ratio, cur hoc præ illo amet; si enim satis esset *cur* subjectivum, possent Beati cessare ab amore Dei, non enim egent ratione ex parte objecti, sed satis est cur subjectivum, seu quia volunt cessare: ergo ad summum voluntas eligere potest inter bona æqualia dissimilia; ergo multò minùs poterit intellectum flectere, nam voluntas plus potest in se, quàm in intellectum: ergo intellectus inter motiva æqualia, & multò magis in minus probabile manet necessariò immobilis.

N. 586. Sextò dicit *qu.* 1. §. 1.*pag.* 246. Si intellectus posset ex voluntatis imperio prudenter assentiri æquè, aut minùs probabili, possemus quolibet momento mutare opiniones, & modo affirmare propter motivum A, modò negare propter motivum B, singulariter dum disputamus. Rursus in hinc inde opinabilibus daretur bellum rationis utrimque justum, nam tam affirmans, quàm negans, si motiva sint æqualia, prudenter affirmat, & prudenter negat; sed hoc est absurdum, quia, ut ait *pag.* 246. *&* *pag.* 251. *qu.* 2. §.4. rectè, & prudenter dicenti, nec rectè, nec prudenter contradicitur; omnis enim aliquid mentaliter dicens, sicut putat se verum dicere, ita putat sibi contradicentem dicere falsum: ergo alter non rectè dicit; quomodo quoties stamus inter litigantes, supponimus unum tantùm rectè dicere. Demum quia nemo in probabilibus rectè disputaret contra Adversarium, quia iste cùm habeat motivum, sive æquè, sive minùs probabile, rectè judicat: ergo malè disputas contra illum; si enim benè disputas, probare debes, quod ille malè dixerit.

N. 587.

Septimò, opinari ex Arist. non est nobis liberum, nec est in nobis, quia (ait *qu.* 2. §. 4.) ita se habet intellectus ad verum, ut voluntas ad bonum; ergo sicut hæc non potest amando ferri, nisi sub ratione boni, ita nec intellectus assentiendo, nisi sub ratione veri; ergo flecti non potest ad opinandum æquè, aut minùs probabile, sic enim opinando non magis crederet se verum dicere, quàm falsum, quia scit oppositum esse æquè, aut magis fundatum, quàm quod affirmat. Hæc Eliz.

N. 588. Aristot.

Respondeo hæc nihil me movere; nam S. Thom. rectè dicit, quòd æquales rationes faciunt dubium, quia intellectus tunc non necessitatur ad assensum alterutrius partis; potest tamen non esse dubius, si imperium voluntatis accedat. Addo S. Thom. docere, quod nos, ut patet ex locis ex eo citatis.

N. 589. S. Th.

Ad 2. dico ad summum probare, quòd cum judicio de probabilioritate partis B non possim assentiri parti A minùs probabili; non autem quòd non possim, omisso eo judicio comparativo, assentiri exercitè ipsi parti A, accedente imperio voluntatis. Addo nullam in eo actu esse repugnantiam, immò experientia stat pro me, ut patet tùm in Infideli, tùm in temerè judicante, qui vident oppositum evidenter probabilius, & tamen assentiuntur minùs probabili: ergo nulla est in

N. 590.

hoc

hoc actu repugnantia, Video B esse probabilius, & A esse minùs probabile, volo tamen assentiri ipsi A, quia adhuc habeo fundamentum sufficiens ad prudentem assensum. Paritas syderum est evidenter contra
N. 591. Elizald. quia nulla nec pro paritate, nec pro non paritate adest tunc ratio motiva, ut supponitur; nam tunc adest tantùm objectum materiale sine objecto motivo: in nostro autem casu adest, ut supponitur, motivum sive æquè, sive non æquè probabile pro utrâque parte. Rotundè autem negamus, quòd non possit intellectus aliquid affirmare, nisi adsit *maior* ratio, satis enim est gravis ratio, sive magis, sive minùs gravis.

N. 592. Ad 3. nego maiorem; quia nulla ratio non movet ad assensum, quod enim non est, movere non potest; in casu autem nostro, quia adsunt motiva æqualia, tantùm abest, ut sint nulla ratio, quin sunt duplex ratio: ergo non mirum si possit intellectus ex voluntatis imperio assentiri. Paritas stateræ probat intellectum necessitari ad probabilius, quod falsum est; & si aliquid probat, unicè probat quòd intellectus ex se non necessitetur ad unum præ alio, non autem quòd non possit, si voluntas accedat.

N. 593. Ad 4. dico convenire intellectui, ut in obscuris subordinetur voluntati, cùm enim tunc ab objecto determinari non possit, congruum est, ut à voluntate determinetur, aliàs nulli rei incertę assentiri posset. Quare licèt par sit metus falsitatis, ac spes veritatis in actu primo, attamen accedente voluntatis imperio, per ipsum assensum exercitè præfertur una pars alteri, & quidem ut vera, nam illi assentitur ut veræ. Nec dicas, quòd cùm intellectus sit naturaliter ad verum, non poterit moveri ad minus probabile, quia apparet minus verum. Contra enim P. Teril. est; quia, ut scitè P. Teril. *qu.* 30. de Reg.
N. 594. mor. qui omnia fusè, & solidè solvit *n.* 26. verum quidem est, quòd sit minùs conveniens intellectui ferri in minùs probabile, non tamen est disconveniens; tùm quia in idem minùs probabile tendit sub ratione veri; tùm quia sæpe minùs probabile est in re verum; immò si intellectus potest ex imperio voluntatis flecti in improbabile prudenter, & in prudenter incredibile, ut sunt omnia judicia temeraria, & omnes hæreses, quâto magis in minùs probabile, quod tamen est certò probabile?

N. 595. Ad 5. dico, quòd voluntas eò magis est libera, quò minùs datur ex parte objecti, quod tollat ejus indifferentiam: sed quoties bona sunt omnino æqualia, & similia, nihil datur ex parte objecti, quod tollat ejus indifferentiam, nihil enim est ex parte unius boni, quod non sit in altero: ergo tunc est magis libera: si autem tunc est magis libera, quomodo tunc non poterit eligere? In hoc N.
autem casu non tantùm datur cur subjectivum, seu quia vult, sed etiam cur objectivum, quod est bonitas objecti electi, quæ licèt sit æqualis, & omnino similis objecto non electo, non ideo desinit esse ratio motiva. Deinde gratis do, voluntatem non esse liberam inter objecta omnino æqualia, & omnino similia; gratis quoque do, hoc sentire S. Thomam; erit tamen libera inter objecta omnino æqualia, & dissimilia, ut est certum de fide: ergo etiam intellectus ex imperio voluntatis poterit moveri inter objecta æqualia, dummodo sint dissimilia: sed quoties intellectus stat inter opiniones æquè probabiles, motivum opinionis A, licèt quoad vim motivam sit omnino æquale motivo opinionis B, est tamen dissimile motivo opinionis B, nam motivum A, movet ex. gr. ad affirmandum licere; motivum B, ad negandum licere, & vis suasiva utriusque, ut constat ex actibus oppositis, quos causat, est omnino diversa: ergo intellectus ex imperio voluntatis poterit tunc flecti ad quamcumque opinionem æquè probabilem, licèt enim motiva sint æqualia, sunt tamen diversa. Paritas Beatorum non est ad rem; quia summum bonum clarè visum necessitat voluntatem ad amorem: ergo Beatus non potest velle non amare; aut non velle amare illud. Quare tò *volo*, quia volo, locum tantùm habet, quoties voluntas est libera: sed stans inter bona æqualia, sive similia, sive dissimilia, voluntas est libera: ergo tunc habet locum, volo, quia volo, ita tamen, ut dixi, detur bonitas motiva alliciens, sive æqualis, & omnino similis alteri, sive æqualis, & dissimilis, sive inæqualis, & dissimilis, sive inæqualis, & similis bonitatis.

Ad 6. contra est: quæro enim, an voluntas in eo, in quo est libera, possit quolibet N.
momento mutare actus? Contra 2. quia 597.
cùm in casu nostro intellectus determinetur à voluntate ad dissensum præ assensu, vel econtra, consequenter non potest mutare judicium, nisi voluntas mutet imperium; quæro autem, an quolibet instanti voluntas prudenter possit mutare imperium? Certè nec potest, nec prudenter potest: non potest, quia hoc ipsum probat experientia, quâdum aliquid liberè amamus, aliquo tempore amamus, & sæpe non nisi difficulter, & post aliquam temporis moram voluntas potest odisse, quod amavit: non potest pru-

denter, quia non est viri prudentis quolibet instanti mutare imperium, præsertim si sit maturè conceptum: ergo intellectus nec poterit physicè, nec poterit prudenter, mutare quolibet momento judicium, præsertim cùm, postquam alicui objecto assensus est, regulariter accedere soleant novæ rationes, quibus suum opinatum videatur ei probabilius, quàm antea, & dispareat motivum æquè probabile oppositum, quod assensum aliqualiter difficultabat. Addo solvendum à P. Elizald. nam de fide est voluntatem inter bona æqualia dissimilia in bonitate esse liberam. Hinc constat nullam esse sequelam, quòd quis posset inter disputandum mutare sententiam; nulla, inquam, est, tùm quia ad ejus solutionem tenetur; eo quia asserit intellectum posse sequi minùs probabilem ex speculativis quæstionibus; tùm quia vel mutat convictus argumentis oppositis, & tunc benè mutat, & non purè pro libito; vel mutat non convictus, tunc autem ut mutet, mutandum priùs est voluntatis imperium, quod non est adeò facile; tùm quia etsi daretur esse facile, haberetur ut ridiculus, qui opinionem mutaret; nam qui aliquam opinionem defendendam suscipit, non debet eam mutare, nisi convincatur, ne ansam det dicendi, eum sine ullâ ratione illi dedisse assensum; si autem non convictus certâ ratione, vel ratione tantùm probabili convictus opinionem mutaret, ostenderet se nec considerasse rationem suæ opinionis, nec rationem opinionis oppositæ; atque adeo se temerè assensum dedisse propriæ opinioni. Ad aliam sequelam dico in incertis dari posse bellum utrimque formaliter justum, licèt bellum utrimque materialiter justum dari nō possit. Addo hoc ab Eliz. solvendum, quoties uterque contradicens putat propriam opinionem esse certam: immò in omni sententiâ solvendum est; quæro enim, an inter P. Eliz. & nos, qui plerumque ei adversamur, detur bellum formaliter utrimque justum? si datur; ergo nulla sequela: si non datur, quæro, an bellum illius contra nos, an nostrum contra illum sit formaliter injustum? Hinc constat, quàm falsum sit, quòd rectè, & prudenter dicenti, non possit alter rectè, & prudenter contradicere: si enim per rectum, & prudens, intelligat verum reale, & ut est in se, verum dicit, sed falsum supponit: si autem per rectum, & prudens veniat rectitudo moralis, & conformitas opinionis cum regulâ rationis, falsum prorsus dicit. Confundit itaque P. Eliz. verum Logicum cum vero Morali. Hinc patet ad 3.

N. 598.

N. 599.

N. 600.

N. 601.

Ad 7. acutè dixit Arist. quòd opinari non sit nobis liberum, sed tantùm imaginari; tùm quia opinari non est liberum intellectui ratione sui, sed ratione voluntatis, à cujus imperio determinatur ad opinandum; tum quia cùm intellectus sit ad verum, veritas autem logica non conveniat omni opinioni, consequenter non est liberum intellectui opinari; liberum autem nobis est imaginari, quia imaginari possumus tàm verum, quam falsum, cognitum etiam ut falsum. Paritas voluntatis probat evidenter oppositum: ut enim voluntas non tendit nisi sub ratione boni, sive hoc sit in re bonum, sive sit tantùm apparenter bonum, adeoque voluntas potest velle bonum non tantùm reale, sed etiam apparens ut reale, etsi in re tale non sit; ita intellectus non tendit in objectum, nisi sub ratione veri, sive hoc in re sit verum, sive appareat esse in re verum, etsi in re sit falsum, adeoque potest non tantùm assentiri prudenter vero, in re vero, sed etiam falso putato in re vero, etsi in re sit falsum. Nego autem quòd dum quis opinatur, credat se opinando, non magis dicere verum, quàm falsum, nam putat se dicere verum. Neutiquam autem P. Eliz. in Append. *qu.* 3. solvit paritatem voluntatis, dicens quòd voluntas eligens inter bona æqualia non egreditur suam sphæram, quia utrūque est bonum; econtra non potest intellectus inter opiniones, quia egrederetur suam sphęram, nam una est falsa: non, inquam, solvit, immò paritas in suo vigore persistit: ut enim voluntas sępe inter bona eligit id, quod tantùm est apparens, nec tamen tunc suam sphæram egreditur, quia illud idem bonum apparens proponitur ut bonum reale; ita intellectus eligens inter æquè probabiles illam, quæ in re est falsa, non egredietur suam sphæram, quia illa falsa proponitur ut vera. Sicut ergo sphæra voluntatis est bonum, sive reale, sive apparens tale, ita sphęra intellectus est verum, sive reale, sive apparens tale: ergo licèt ex probabilibus contradictorijs una tantùm in re sit vera, quia tamen utraque apparet vera, poterit utraque eligi divisim.

N. 602. P. Eliz. N. 603.

Reliqua argumenta dilucidè solvit P. Teril. *qu.* 30. 31. & 33. in quâ iterum ostendit, qualiter nobis sit liberum opinari, & *n.* 20. declarat ingens P. Elizaldæ æquivocum, qui vult fidem non esse liberam quoad specificationem, quia Catholicus in sensu composito judicij de incredibilitate Calvinismi, non potest assentiri Calvinismo, hallucinatur enim in hoc; quia ut fides Catholico sit libera quoad specificationem, non est necesse, ut cum judicio de incredibilitate

N. 604.

Aristot.

Calvinis-

Calvinismi, vel cum actu fidei de veritate Catholicæ fidei componat actum fidei circa articulos Calvini, sed satis est, ut possit in sensu diviso ab eo judicio, & in sensu diviso ab eo actu fidei de veritate Catholicæ Religionis.

SECTIO VII.

Solutio difficultatis Theologicæ.

SUMMARIUM.

Adhuc dato, quòd intellectus non possit directè assentiri minùs probabili, licet usus opinionis minùs probabilis; cur? n. 605. 606.
Quomodo tunc omne peccati dubium excludi possit, n. 607.
Si sequens directè probabiliorem non peccat, nec sequens reflexe probabiliorem, n. 608.
Quomodo dubium excludi possit, n. 609.
Paritas justitiæ de re directè dubiâ, n. 610.

N. 605. NOn est, quòd repetam quę toties dixi, nempe quòd etiam concesso, intellectum non posse à voluntate flecti ad assensum directum partis minùs probabilis, quoties pars opposita apparet certò probabilior, non inde sequitur usum opinionis minùs probabilis esse illicitum: possum enim, suspenso omni judicio directo de licentiâ talis operationis, formare judicium reflexum moraliter certum de ejus licentiâ. Quare omnia, quæ operoso labore ex Adversarijs dedimus, unicè probant intellectum manere suspensum quoad omnem assensum directum, non quoad reflexum; atque adeo eorum argumenta contra usum licitum opinionis æquè, aut minùs probabilis sunt ex P. Moy. toto inutilia, ut rectè P. Moya *tom. 2. qu. 2. n.* 31. dicens: Licèt daretur, quòd, quando fundamenta sunt æquè gravia, intellectus non possit ex voluntatis imperio assentiri uni parti contradictionis præ aliâ, adeoque maneat necessariò suspensus, hoc tamen verum non est quoad judicium de probabilitate fundamentorum, & conclusionum; licèt verum esset quoad absolutum assensum de veritate conclusionis. Hæc ferè P. Moya. Ego autem dixi suprà ad hoc quæsitum, an dato quòd voluntas non possit flectere intellectum ad assensum directum unius partis præ aliâ, stante æquali pro utràque parte motivo; & multò magis non possit ad assensum directum partis minùs probabilis; an, inquam, stante hâc æquali probabilitate objectivâ pro libertate, ac pro lege, intellectus maneat dubius de peccato. Dixi autem hoc esse falsum, quia licèt intellectus non possit à voluntate flecti ad assensum directum alterutrius contradictoriæ æquè probabilis; & multò minùs possit ad assensum directum contradictoriæ minùs probabilis; adhuc tamen in casu æqualis, immò minoris probabilitatis directæ pro libertate, quàm pro lege, potest intellectus formare judicium N. practicum reflexum, non tantùm probabile, aut probabilius, sed moraliter certum 606. de licentiâ operationis, quo judicio reflexo tollatur omne dubium peccati, hoc modo: Quoties est certò, si æquè, sive minùs probabile, aliquam actionem non esse vetitam, toties mihi reflexè certum est ob possessionem libertatis, & ob legem non satis intimatam, eam actionem esse permissam: sed hìc, & nunc est mihi certò probabile, etsi minùs, hanc actionem non esse vetitam: ergo mihi est reflexè certum, eam esse permissam; ergo eam exequens operabor cum bonâ fide honestatis reflexâ, excludente omne dubium de peccato. Ratio à priori est; N. quia ad operandum sine peccato, non est 607. necessarium judicium directum de non peccato, sed satis est judicium reflexum de non peccato: sed in casu æqualis, immò maioris objectivæ probabilitatis pro peccato, possum habere judicium reflexum certum de non peccato, tollens omne dubium peccati, fundatum in hoc principio reflexo, Non obligor ad directè probabilius, quia non datur lex obligans ad directè probabilius: ergo &c. Est & aliud principium reflexum, cui niti potest dictamen de non peccato, & ita formari potest ad hominem contra Probabilioristas: Teneor ad probabilius; sed mi- N. hi longè probabilius est licere operari ex 608. opinione minùs probabili de licentiâ operationis; ergo hoc operando non peccabo. Si enim non peccat qui operatur ex assensu directo probabiliori, neque qui operatur ex dictamine reflexo probabiliori; de quo plura infrà.

Hinc transmitto, quòd intellectus non N. possit à voluntate determinari ad assensum 609. directum unius partis præ aliâ æquè probabili; & multò minùs, quòd possit ad assensum directum partis minùs probabilis; potest tamen concipere judicium reflexum de non peccato, vel de honestate, quo omne peccati dubium excludatur: cùm autem hoc judicium reflexum nitatur motivis, & rationibus reflexis, quibus probatur licitus usus opinionis minùs probabilis, consequèter intellectus tunc reflexè assentitur probabiliori, quia longè probabiliores, immò certæ sunt rationes, quibus probatur licitus usus opinionis directè minùs probabilis, quàm sint

sint rationes, quibus negatur: eo modo quo in exemplo, quod in materiâ justitiæ passim admittitur, in dubio directo, an res sit Petri, vel Pauli, statur pro possidente; ita ut propter rationem reflectentem supra possessionem, quam Petrus habet, & Paulus non habet, decernitur pro Petro, non pro Paulo; licèt directè loquendo, æquè dubium sit, an sit Petri, an Pauli. Idem accidit in casu nostro, in quo accedentibus reflexis principijs, quibus evincitur licitus usus opinionis directè minùs probabilis, licitè cum sequor, & judicium illud reflexum, quo licitum judico usum opinionis directè minùs probabilis, non tantùm est probabilius, sed moraliter certum.

N. 610.

DISPUTATIO IX.

DIGRESSIO THEOLOGICA.

An nostræ Fidei mysteria sint non tantùm evidenter credibilia, sed etiam evidenter vera?

SUMMARIUM.

Occasio hujus digressionis; & quid libertas exercitij, & specificationis? n. 1.

N. 1. OCCASIONEM huic digressioni dat mihi, tam id quod diximus pro possibilitate peccati infidelitatis, sive positivę, sive negativæ; tùm id quod diximus M.Mer. contra M. Mercorum suprà, ubi responsa Adversariorum retulimus, negantem intellectui habenti evidentiam signorum, seu credibilitatis, negantem, inquam, libertatem exercitij; si enim probaverimus mysteria nostræ fidei non esse evidenter moraliter vera, utique probabimus intellectum esse liberum, tùm ut credat, aut non credat nostram fidem, quæ est libertas exercitij, tùm ut credat nostram fidem, aut ut credat articulos falsos, quæ est libertas specificationis; quæ utraque libertas exercitij, & specificationis vocari communiter solet contradictionis, & contrarietatis. Hoc autem ipso multò magis vera erit sententia philosophica affirmans, quòd intellectus possit assentiri, aut non assentiri, aut assentiri oppositio, ex voluntatis imperio, sive sit æquè, sive minùs credibile, & probabile.

SECTIO I.

Advertenda, & vera sententia.

§. I.

Advertenda.

SUMMARIUM.

Credibile quid? n. 2.

Motiva credibilitatis possunt multipliciter se habere ad intellectum, n. 3.

Judicium evidens, & prudens credibilitatis, & credenditatis quid? Ibid.

Falsum, nil credi posse, nisi sit evidenter credibile, n. 4.

Possunt duo contradictoria esse evidenter simul credibilia, non credenda, cur? n. 5.

Evidentia objectiva, alia est absoluta, alia respectiva; quid? n. 6.

Non requiruntur eadem motiva credibilitatis, ut idiota credat, quæ ut sapiens credat; DD. n. 7.

M. Soto ait, quòd certitudo moralis conflatur ex diversis simul conjecturis pro arbitrio sapientum, n. 8.

Quod uni est evidens, potest non esse alij: acuta paritas Richardi, n. 9.

Quod uni ad certitudinem satis est, non satis alteri, ibid.

Si idiota habere deberet evidentiam absolutam credibilitatis, rarò teneretur credere, ibid.

Ut quis teneatur obedire, satis est certitudo moralis, n. 10.

Certitudo moralis sæpe ex unius testimonio conflatur, ibid.

Valdè differunt, est evidenter credibilis revelatio, & mysteria; est evidens revelatio, & mysteria, n. 11.

Certum est nostram fidem esse evidentiâ absolutâ prudenter credibilem, n. 12.

Motiva credibilitatis, & DD. n. 13.

Quid evidentia scientifica stricta? n. 14.

Objectio, n. 15.

Præmissa unde ego infero hanc consequentiam, mysteria sunt prudenter credibilia, ibid.

Principium Ethicæ Christianæ, n. 16.

Myste-

Mysteria sunt evidenter credenda, cur? num. 17. & 18.
Principium in quo fundatur obligatio operandi honestè, ibid.
Satis est certitudo moralis legis, ut teneat obedire, n. 19.
Quid evidentia metaphysica, physica, moralis juxta alios? n. 20.
Rejicio, n. 21.
Evidentia in genere est adeo clara objecti apparentia, ut numquam falli possit, excludens imprudentem etiam formidinem, n. 22.
Evidentia metaphysica, & moralis juxta me quid? Ibid.
Evidentia moralis differt à certitudine morali, quòd illa excludit etiam stultam formidinem, hæc non nisi prudentem, n. 23.
Diversa est certitudo moralis juxta diversitatem materiæ, n. 24.
Discrimen inter certitudinem moralem, & evidentiam moralem, n. 25.
Aliud est evidentia credibilitatis, aliud veritatis, n. 26.
Exemplum Concilij Africani, n. 27.
Tridentinum ait, fidei non posse subesse falsum, ibid.
Probabile, & moraliter certum differunt, & quid utrumque? n. 28.
A morali evidentiâ tenet illatio ad moralem certitudinem, non econtra; similiter ab evidentiâ veritatis ad evidentiam credibilitatis, non econtra, n. 29.
A non evidentiâ veri, & non evidentiâ falsi, non valet ad probabilitatem, quia inter evidenter verum, & evidenter falsum mediat moraliter certum, ibid.
Cur omnes sectæ comparatæ cum nostra fide sint evidenter prudenter incredibiles? n. 30.
Argumenta, quæ pro nostræ fidei credibilitate fiunt, oppositò modo fiunt contra alias sectas, n. 31.
Quatuor notæ veræ Ecclesiæ, n. 32.
Status quæstionis est de evidentiâ credibilitatis absolutâ; explico, n. 33.
Per Religionem Catholicam venit hìc complexum omnium, sive juris naturalis, sive supernaturalis, quæ Religio Romana docet, n. 34.
Licet per me ex evidentiâ dicti Divini *inferatur evidentia rei dictæ, hìc tamen utrumque perinde est*, n. 35.
Tenenda semper differentia inter evidentiam moralem, & certitudinem moralem, n. 36.

N. 2. PRimum est explicare hos terminos, credibile, prudenter credibile, evidenter prudenter credibile, credendum, evidenter credendum. Credibile est, quod credi potest, sicut amabile, & cognoscibile est, quod amari, & cognosci potest: sicut autem amabile sumi potest tùm efficienter, seu pro causâ, quæ potest amare, tum objectivè, seu pro bonitate movente ad amorem; ita credibile sumi potest tum efficiéter pro causâ producente judicium credibilitatis, quæ est intellectus, species impressa, & similia; tum objectivè, seu pro motivo talis judicij credibilitatis. Vide P. Suar. *d.* 2. de Fide *sect.* 2. *n.* 8. Possunt autem motiva credibilitatis multipliciter se habere ad intellectum: 1. ita ut sint apta movere illum ad judicium credibilitatis prudenter eliciendum, seu ad actum judicij, quo judico honestum credere hoc; & tunc objectum dicitur prudenter credibile: 2. ita ut moveant ad judicium evidens credibilitatis, seu ad actum evidentem, quo judicem honestum esse credere hoc objectum, & tunc objectum dicitur evidenter prudenter credibile: 3. ita ut sint apta movere non tantùm ad judicium evidens prudentis crédibilitatis, seu ad actum evidentem, quo judicem honestum esse credere, sed etiam ad evidens judicium credenditatis, seu ad actum evidentem, quo judicem me obligari hìc, & nunc credere tale objectum, & tunc objectum dicitur evidenter credendum. Ut enim notat Caram. *lib.* 1. Theol. Mor. Fund. *a n.* 168. *pag. mihi* 75. etsi Veteres non distinxerint inter credibilitatem, & credenditatem, immò per credibilitatem intellexerint etiam credenditatem, sunt tamen duo diversa, unum enim dicit *posse*, aliud *debere* credi. Hinc patet falsum esse, quod docuit M. Mercor. citatus à me *sect.* 5. §. 1. & impugnatus, qui docuit nil credi posse, nisi sit evidenter credibile; falsum, inquam, est, quia aliud est credibile, aliud evidenter credibile, sicut aliud est amabile, aut verum, aliud est evidenter verum, aut amabile. Rursus falsum est non posse ambo contradictoria esse prudenter credibilia; possunt enim, esto implicet ut ambo sint credenda; immò possunt ambo esse evidenter prudenter credibilia, nisi evidentia unius tanta sit, ut reddat prudenter incredibile oppositum, ut accidit quoties præter evidentiam credibilitatis datur evidentia credenditatis, tunc enim oppositum non est prudenter credibile; aliàs posset prudenter credi à me oppositum illius, quod teneor credere. De cætero posse utrumque oppositum esse simul evidenter prudenter credibile, est adeo certum, ac certum sit, possibile esse Petrum currere, possibile esse Petrum non currere; & ac certum sit duo objecta honesta inter se diversa posse simul esse amabilia.

N. 3. P. Suar. — Caram. — M. Mer. — N. 4. — N. 5.

Secun-

N. 6. Secundum est evidentiam objectivam motivorum aliam dici absolutam, seu speculativam, aliam respectivam, seu practicam, aut subjectivam. Evidentia absoluta credibilitatis, & credenditatis dicitur illa, quæ habet talia motiva, quæ si rectè penetrentur, satis sunt respectu cujuscumque intellectus, ut moveant ad judicium evidens prudentis credibilitatis, & credenditatis; ita ut quilibet evidenter judicare possit tale objectum esse credibile, & credendum. Evidentia respectiva credibilitatis, & credenditatis est, quæ nititur talibus motivis, quæ quidem non sunt apta ad generandum in quolibet judicium evidens credibilitatis, & credenditatis; attamen respectu hominis idiotæ satis sunt ut moveant ad dictum evidens judicium credibilitatis, & credenditatis. Si datur evidentia absoluta, res dicitur evidenter absolutè credibilis, & credenda à quolibet. Si datur evidentia tantùm respectiva, res dicitur evidenter respectivè credibilis, & credenda ab eo, respectu cujus ea motiva pariunt evidentiam credibilitatis, & credenditatis.

N. 7. Porro non requiri eadem fundamenta credibilitatis ut credat idiota, quanta, & qualia ut credat vir doctus, est certum apud P. Suar. P. Ripal. P. G. Hurtad. P. Card. P. Moy. TT. ut in terminis tradunt P. Suar. *diß.* 4. de Fide *sect.* 5. *n.* 7. P. Ripald. P. Galp. Hurt. *d.* 3. *diffic.* 3. §. *fatemur*, P. Card. *tom.* 4. *d* 14. *cap.* 1. 2. & 3. P. Moya *tom.* 2. *tr.* 6. *d.* 5. *qu.* 2. §. 4. *n.* 17. in doctis enim evidentia credibilitatis est ex vi argumentorum; in idiotis autem ex levioribus motivis; ut enim idiota formet judicium evidenter prudens credibilitatis, satis sæpe illi erit testimonium Patris, vel Parochi, vel Concionatoris. Quare non Filguei. est audiendus Filgueira, qui in *Lucernâ* exponens vigesimam tertiam damnatam ab Innoc. XI. contra bonam Theologiam, ait subjacere damnationi opinionem, quæ asserit in pueris non requiri evidentiam credibilitatis; si enim loquatur de absolutâ, hæc non requiritur, imo hæc non datur, nisi in paucis, pauci enim sunt, qui pleraque, aut omnia credibilitatis motiva pro existentia revelationis considerarunt, ut dixi in Tract. de Fide: ergo opinio asserens non requiri evidentiam absolutam credibilitatis, non erit N. 8. subjecta damnationi. Vel loquitur de respectivâ, & hanc Doctores citati non negant, M. Soto. immo apertè asserunt requiri; & ideo Dom. Soto in 4. *dist.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. *pag. mihi* 108. dixit certitudinem moralem colligendam ex diversis simul conjecturis pro arbitrio sapientum; ergo non ex ijsdem in omnibus. Hoc ipsum patet in evidentiâ; quod enim uni non est evidens, est evidens alteri; nam, ut acutè Richard. *lib.* 1. de Trinitate scripsit, sunt humani intellectus, sicut & corporei visus, inter se differentes, ita ut quod unus non attingit, attingit alter, & ideo passim videmus aliquos tradere demonstrationes, quas alij non vident, etiam in rebus abstractis: ita Scotus putat se demonstrare mysterium Trinitatis, immò ejus discipulus Michael de Medina, vir utique doctissimus, *lib.* 1. de rectâ in Deum Fide, Scoti rationes affirmat esse analyticas demonstrationes. Hæc Richard. Ut ergo hoc contingit in evidentiâ, ita multò magis in certitudine; atque adeo quod uni sufficit ad certitudinem, non sufficit alteri, & econtra. Addo etiam Herinx *tom.* 3. *d.* 3. de Fide *n.* 61. dicentem, quòd in simplicibus satis est ad evidentiam credibilitatis eorum capacitati proportionatam, quòd articulus proponatur à Parocho, cui ipsi omnino fidunt: & si contingat proponi simul articulum falsum, verus creditur fide supernaturali, falsus fide naturali. De reliquo, si ut idiotæ credere teneantur, præhabere deberent evidentiam absolutam credibilitatis, vix umquam credere tenerentur, ut benè Herinx; immò neque hoc necessarium est in doctis, ut omnia credibilitatis motiva sciant. Addo certum esse, quòd ut quis teneatur parêre alicui præcepto, immò ut quis prudentissimè operetur, satis est certitudo moralis, quæ sæpissime ab uno solo homine habetur; ita ut adorem Hostiam expositam, satis est prudens de consecratione judicium, quod fundatur in probitate consecrantis; ut venerer patrem, satis est testi- N. monium matris asserentis hunc esse meum 10. patrem; ut absolvam, satis est ut pœnitens ex corde dicat se dolere; ut ministrem non jejuno Eucharistiam, satis est si unus doctus Medicus dicat, infirmum morbo lethali correptum. Ex quibus, & alijs exemplis evidenter constat, quòd sicut certitudo moralis sæpe ex unius tantùm testimonio habetur, & quilibet illi nitens prudenter operatur, immò operari sæpe tenetur; ita etiam Parochi testimonium sæpe facit certitudinem moralem respectu rustici, nec aliud motivum habere debet, ut credat.

Richar. N. 9. Mich. de Mol. Herinx

Tertium est duo esse inter se prorsus di- N. versa: Est evidenter credibilis revelatio 11. Dei, & mysteria, & utriusque existentia: Est evidens revelatio, & mysteria, & utriusque existentia. Nè ergo fiat confusio, fac ut evidentia cadat immediatè supra credibilitatem revelationis, & mysteriorum, non autem supra revelationem, & mysteria: in quo lapsus est P. Eliz. Porro mysteria, & P. Eliz. revela-

revelationem Dei esse evidenter credibilia, & credenda, evidentiâ absolutâ, (nam de respectivâ loquemur, dum explicabimus damnatas ab Innoc. inter quas una est, quòd ad credendum satis sit probabilis tantùm notitia de revelationis credibilitate) id est, tali
N. 12. evidentiâ, ut intellectus quicumque evidenter judicare possit honestum, & obligatorium esse credere illa: est veritas Theologis indubitata; ita P. Suar. *d.* 4. de Fide *sect.* 2. *n.* 4. *& sect.* 3. & omnes alij cum S. Thomâ 2. 2. *qu.* 1. *art.* 4. *ad* 1. dicente, *Non crederent, nisi viderent hoc esse credibile*: ergo est evidens ea esse credibilia. Rursus quod sint prudenter credibilia constat; quia illud est prudenter credibile, quod tot, & tantis fulcitur motivis, ut sint apta quemlibet prudentissimum movere ad credendum; ita se habent revelatio, & mysteria; ergo sunt pru-
N. 13. denter credibilia. Maior est definitio rei prudenter credibilis. Minor patet motivorum inductione, quæ sunt, antiquitas, veritas, sanctitas, efficacia nostræ fidei, eminentia, & multitudo testium, copia miraculorum, & similia, quibus nostra fides illustratur, eaque diserto calamo exponùt Doctores Scholastici, & Dogmatici, inter quos P. Valent. C. Bellarm. *lib.* 4. P. Suar. *d.* 4. P. G. Hurt. *d.* 3. *diffic.* 4. P. Hurt. de Mend. *d.* 21. §. 112. Gonet. P. Maur. P. Arsdekin, Caram. *lib.* 1. Theol. Mor. Fund. *Fundamento* 3. *à pag.* 73. *& lib.* 2. Fundam. 46. *a n.* 2337. Thom. Bzovius, S. Thom. 1. contra Gent. *cap.* 6. & alij. Similiter quòd nostra mysteria non tantùm sint prudenter credibilia, sed etiam evidens sit ea esse talia, patet. Illud est evi-
N. 14. dens evidentiâ scientificâ strictâ, (quæ non est, nisi cognitio certa, & evidens rei per causam) quod per præmissas evidenter continentes causam ipsius conclusionis probatur: sed hæc propositio, *Mysteria nostra sunt prudenter credibilia*, est talis; ergo est evidens evidentiâ strictâ. Minor patet; quia præmissæ, quibus ea veritas probatur, sunt istæ: Ea veritas est prudenter credibilis, quæ invincibiliter apparet habere pro se talia motiva, ut quemlibet virum prudentem ad sui fidem movere possint: sed hæc veritas, *Mysteria nostra sunt prudenter credibilia*, apparet habere dicta motiva. Ecce maior est evidens, est enim definitio rei prudenter credibilis ab omnibus admissa. Minor etiam est evidens, nam hoc ipsum apparet: ergo etiam conse-
N. 15. quentia est evidens.

Dices non esse evidens dari miracula, martyria, sanctitatem supernaturalem: ergo non est evidens mysteria esse credibilia. Sed contra; quia confunditur judicium reflexum cum directo. Fateor non esse evidens, sed esse tantùm moraliter certum, ea motiva dari: at ego non deduco eam consequentiam, *Ergo mysteria sunt prudenter credibilia*, ex hâc minori, *dantur ea motiva*, sed ex hâc, *apparet dari*, quæ est evidens. Dico enim quòd licèt ea non darentur, & ego invincibiliter judicarem ea dari, adhuc fides esset evidenter credibilis; suppositâ enim eâ cognitione formo syllogismum evidentem; quo modo hoc judicium, *Hæc Hostia est adoranda*, est evidens, licèt præsupponere possit cognitionem falsam, non ut præmissam, sed ut conditionem; ita enim arguo: Hostia, quæ invincibiliter apparet consecrata, ita ut de ejus consecratione prudenter dubitare non possim, est adoranda; hæc ita apparet; ergo est adoranda. Maior est evidens principium N. Ethicæ Christianæ, adorandum, obedien- 16. dum, quoties apparet indubitanter existentia consecrationis, & præcepti, de quâ non possum nisi stultè formidare. Ita in casu nostro: illud est credibile, quod apparet habere talia motiva, de quorum existentiâ non possum nisi stultè dubitare: fides apparet habere talia motiva; ergo est incredibilis. Utraque præmissa est evidens; ergo etiam consequentia. Cave ergo, ne confundas judicium de existentia motivorum, quod est tantùm moraliter certum, non autem est evidens, immò posset etiam esse falsum, & quod supponitur ut conditio, non ut præmissa, cum præmissis, ex quibus illa conclusio, *ergo fides est credibilis*, deducitur evidenter. Quando ergo dicitur fidem esse evidenter credibilem, est cognitio reflexa, & est idem ac dicere: Mihi, suppositâ morali certitudine de existentiâ motivorum, est evidens eam esse credibilem.

Demum quòd existentia revelationis, & N. mysteriorum sit non tantùm evidenter pru- 17. denter credibilis, sed etiam quòd sit evidens ea esse credenda, ut omnes docent, patet; quia licèt non sit idem credibile, & credendum, ut benè P. Suar. *d.* 4. de Fide *sect.* 2. *n.* P. Suar. 7. & Caram. *l. c. lib.* 1. *pag. mihi* 75. nam dif- Caram. ferunt; attamen eo ipso quòd nostræ fidei mysteria sunt evidenter credibilia, sunt etiam evidenter credenda, ut scitè S. Thom. S. Th. 2. 2. *qu.* 2. licèt enim præceptum fidei sit supernaturale, attamen suppositâ credibilitate objecti fidei, ratio naturalis evidenter ostendit objectum illud esse credendum. Quòd ergo ea mysteria sint credenda, probatur; quia quilibet tenetur credere suo Superiori loquenti, quoties est evidenter prudenter credibile eum loqui, & non nisi stultè negari potest eum loqui: sed Deum loqui est

eviden-

evidenter prudenter credibile, suppositis motivis credibilitatis, nec nisi per summam imprudentiam negari potest eum loqui: ergo quilibet, cognitis motivis per quæ sit evidenter prudenter credibile Deum loqui, tenetur credere Deum loqui, & mysteria, quæ Deus loquitur.

N. 18. Quòd autem evidens sit mysteria nostræ fidei esse credenda, patet; quia hæc maior, Quilibet tenetur credere Superiori loquenti, quoties est evidenter prudenter credibile eum loqui, est evidens; est enim principium Ethicæ ab omnibus admissum, ut probat C. de Lugo *d.* 5. de Fide *n.* 58. & in eo fundatur obligatio honestè operandi. Ut enim quis obligetur ex. gr. parère Superiori, eum revereri, honorare parentes, subvenire pauperi, reddere alienum, non est necessaria evidentia de existentiâ legis, de legitimitate Superioris, de paternitate, paupertate &c. sed satis est evidentia de prudenti credibilitate existentiæ legis, legitimitate Superioris N. 19. &c. ita ut non nisi imprudenter dubitare, vel negare possim, existere legem, legitimum esse Superiorem &c. ergo ut quis prudenter operetur, & obligetur ad ita operandum, non est necessaria evidentia legis, præcepti &c. sed satis est, quòd sit evidenter prudenter credibilis existentia legis, ita ut de eâ existentiâ non nisi imprudenter dubitare possim. Si ergo tenemur legi obedire, quoties est evidenter credibile eam dari; multò magis tenemur credere Deo existentiam revelationis, & mysteria revelata, quoties est evidenter credibile Deum revelasse, & dari revelationem; licèt non sit evidens Dei revelatio, & existentia revelationis, quia non adest fundamentum prudens dubitandi de existentiâ revelationis, & rei revelatæ. Minor etiam est evidens; est enim evidens, Deum loqui, esse evidenter prudenter credibile, nec nisi stultè negari posse Deum loqui. Quod autem dixi, quòd ut lex obliget, satis sit certitudo moralis, certum prorsus est jam de lege traditâ, & ferè omnium usu admissâ, quàm de lege scriptâ; ut constat ex Triden. Trid. citato à me *d.* 3. *n.* 4. ex solâ enim traditione constat confessionem mortalis Eucharistiæ præmittendam, si potest, ut rectè Neusse. Alex. VII. Neuss. *d.* 1. *n.* 30. & ideo sanctè ab Alex. VII. damnata fuit, *non esse evidens*, intellige moraliter, *quòd consuetudo non* edendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget, etsi enim evidens non sit, est moraliter certum ex traditione & usu pro Regionum diversitate.

N. 20. Quartum est, evidentiam dividi in metaphysicam, physicam, & moralem; in quam divisionem sicut omnes veniunt, ita pauci in definitionem ejusdem, ut videre est apud P. Val. *tom.* 4. & P. Petr. Hurt. *d.* 11. de Fide, C. de Lugo *d.* 1. de Fide *n.* 311. & 316. & *d.* 2. *n.* 10. Sunt plerique, qui dicunt metaphysicam esse, quæ nec supernaturaliter falli potest, ex. gr. quodlibet vel est, vel non est; physicam, quę naturaliter falli nō potest, potest tamen supernaturaliter, ex. gr. ignis applicatus comburit; moralem, quæ licet sine miraculo falli possit, vix tamen aliquando fallit, ex. gr. tali centies jacti similem numerum non semper reddunt. Ita C. de Lugo *d.* 2. *n.* 40. & Caram. *lib.* 4. Theolog. Mor. Fund. in Dialexi de Non-Certitudine *à n.* 340. *pag. mihi* 131. Sed hæc explicatio merito rejicitur *qu.* 22. de Fide à P. Mauro celebri Aristotelis Commentatore, quia plura physicè, aut moraliter tantùm evidentia nec supernaturaliter falli possunt, ita N. cognitio de meâ existentiâ, quæ cognitio 21. est tantùm physicè evidens; & cognitio de existentiâ Romę, authoritati tot testium fide dignorum innixa, quę dici solet (benè ne, an malè, non disputo) moraliter evidens, nec supernaturaliter falli possunt: ergo mala est explicatio. Quare alij cum utroque meo, Romanâ in Universitate, incomparabili Magistro P. Nicol. Martinez in *tr.* de Fide, & P. Mauro *l. c.* longè meliùs explicant evidentiam. Dicunt evidentiam in genere esse tam claram objecti apparentiam, N. cui numquàm potest subesse falsum; & ratione cujus claritatis excluditur non tantùm prudens, sed etiam imprudens formido; nam prudens excluditur etiam à certitudine morali, à quâ tamen non excluditur imprudens. Ratio est; quia si evidentiæ posset subesse falsum, jam non esset evidentia; neque enim objectum appareret clarè, sed obscurè, ut patet in omni cognitione falsâ. Deinde dicunt evidentiam metaphysicam esse, quæ fundatur in principijs metaphysicis, nempe in connexione essentiæ cum suis passionibus, & passionum inter se, & econtra; physicam, quæ in principijs physicis, nempe in experientiâ, vel connexione causæ cum effectu, & econtra; moralem, quæ in principijs Philosophiæ moralis, quibus genus humanum in operationibus suis regitur. Nos N. ergo in præsenti per evidentiam intelligi- 23. mus talem apparentiam, quæ ratione suæ claritatis excludit omnem formidinem non solùm prudentem, sed etiam stultam de oppositō; ad differentiam certitudinis moralis, quæ licèt excludat omnem formidinem prudentem, non tamen omnem stultam de oppositō. N.

Quintum est, certum mihi esse aliud esse 24 certitu-

P. Val. P. Hurt. C. de Lugo. Caram. P. Man. P. Matt. P. Man.

certitudinem moralem, seu prudentialem, quę juxta materiæ diversitatem diversa est, ut benè C. de Lugo *d.* 1. *n.* 316. minus enim requiritur fundamentum, ut sim moraliter certus de re facili, quàm de difficili; aliud esse evidentiam moralem: evidentia enim moralis supra certitudinem moralem addit veluti visionem connexionis motivi cum objecto; ratione autem talis visionis, seu claritatis, intellectus ne quidem stultè dubitare potest de oppositio; quidquid dicat Caram. *n.* 341. qui vult certitudinem moralem excludere omnem formidinem oppositi, cõfundens illam cum evidentiâ morali. Idem constat experientiâ: quilibet enim nostrum est moraliter certus se esse baptizatum, se à tali patre genitum, talem Hostiam esse consecratam; & hoc propter testimonium baptizantis, consecrantis, & matris; nec tamen habet moralem evidentiam eorum, quia de illis objectis potest imprudenter formidare: ergo aliud est evidentia moralis, aliud certitudo moralis.

C. de Lugo. Caram. N. 25.

Sextum est, aliud esse evidentiam credibilitatis, aliud evidentiam veritatis. Patet hoc ratione, & experientiâ: nam evidentia credibilitatis sumitur ab evidentiâ motivorum, per quæ res dicitur credibilis; evidentia veritatis non tantùm sumitur ab evidentiâ motivorum, sed etiam ab evidenti connexione eorum cum veritate rei, quę dicitur credibilis: sed sæpe accidit, ut habeam evidentiam motivorum, per quæ res dicitur credibilis, & non habeam evidentiam connexionis motivorum cum veritate rei credibilis: ergo aliud est evidentia credibilitatis, aliud evidentia veritatis. Minor probatur: Fac enim, ut plurimi deponant, quòd Petrus occiderit Paulum, quem revera non occidit: ecce est evidenter credibile, quòd Petrus occiderit Paulum, non tamen est evidenter verum, immò est falsum, quòd eum occiderit: ergo evidentia credibilitatis, & evidentia veritatis sunt inter se valdè diversa. Adest aliud eximium exemplum, quo evidenter ostenditur aliud esse evidentiam credibilitatis, aliud veritatis; nam Concilium Nationale Africanum, cui præfuit D. Cyprianus, existimavit Deum revelasse, quod Hæreticorum filij essent denuò baptizandi: ecce talis revelatio ob authoritatem integri Nationalis Concilij erat evidenter credibilis, & tamen erat falsa, & suppositia: ergo aliud est evidẽtia credibilitatis, aliud evidentia veritatis, cùm falsum possit esse evidenter credibile, non tamen esse potest evidenter verum. Idem frequenter videre est in idiotis, qui non dubitant esse evidenter credibile, quod Parochus illis proponit, & tamen sæpe vel ex invincibili ignorantiâ, vel ex malitiâ potest proponere falsum; quo casu illud, quod est evidenter credibile, non est evidenter verum, immò est certo falsum. Nota autem quòd assensus rustici nixus revelationi falsò apparenti, non est reverà fides Divina, quia, ut ait Trident. *sess.* 6. *cap.* 9. *Fidei Divinæ non potest subesse falsum*; sed est tantùm fides Divina putativè, seu quoad moralitatem, reverà autem est fides humana falsa.

N. 26. N. 27. Concil. Afric. S. Cypr. Trident.

Septimum est, aliud est probabile, aliud est moraliter certum. Patet; quia licèt moraliter certum, ut opponitur evidenti, dici possit probabile, impropria tamen est locutio; probabile enim, strictè loquendo, non tollit, ut toties dixi, à parte oppositâ prudentem probabilitatem, sed relinquit totam, quam habet: econtra moraliter certum tollit a parte oppositâ omnem prudentem probabilitatem: ergo aliud est probabile, aliud moraliter certum.

N. 28.

Ex his patet 1. quòd licèt valeat consequentia, est moraliter evidens, ergo moraliter certum; non tamen econtra, est moraliter certum, ergo moraliter evidens; quia evidentia moralis includit certitudinem moralem, hæc autem non semper includit illam. Patet 2. quòd licèt valeat hæc utraque consequentia, est evidenter verum, ergo est evidenter credibile; est evidenter credibile, ergo non est evidenter falsum; non tamen hæc, est evidenter credibile, ergo est evidenter verum; quia latiùs patet evidentia credibilitatis, quam evidentia veritatis. Patet 3. non valere hanc consequentiam, hoc nec est evidenter verum, nec evidenter falsum, ergo est tantùm probabile; quia inter evidenter verum, & evidenter falsum mediat non tantùm probabile, sed etiam moraliter certum. Patet 4. aliud esse probabile, aliud moraliter certum, aliud moraliter evidens: probabile non excludit à parte oppositâ omnem prudentem probabilitatem; & ideo in Tract. de Fide docui ad fidem nostram non satis esse probabilem tantùm revelationis notitiam: moraliter certum excludit prudentem, non tamen imprudentem partis oppositæ probabilitatem: moraliter evidens excludit etiam imprudentem.

N. 29.

Octavum est, certum mihi esse, quòd omnes aliæ sectę comparatæ cum nostrâ Religione appareant evidenter prudenter incredibiles; hoc autem, ut rectè P. Ovied. *contr.* 4. de Fide *n.* 3. non quia præcisè nostra Religio est evidenter credibilis, aliæ sectæ sunt evidenter incredibiles; hoc enim

N. 30. P. Ovie.

argumentum est nullum; ut enim utrumque contradictorium potest esse evidenter probabile, ita & utrumque evidenter credibile: ergo ex eo quòd unum sit evidenter
N. 31. credibile, non potest inferri, quòd contradictorium oppositum sit evidenter incredibile. Ratio ergo cur considerantì motiva credibilitatis nostræ fidei sint aliæ sectę evidenter incredibiles, est; quia argumenta, quæ fiunt pro credibilitate nostræ fidei, opposito modo fiunt contra alias sectas; hæ enim continent plura evidenter falsa, & turpia; nam Athei Deum negant; Pagani, si sunt Gentiles, Deum multiplicant; si Turcæ, obscœna docent; Hæretici in Deum blasphemi, Dei providentiam, aliaque attributa negant, demum animos in vitia laxant, nullumque recensent veræ virtutis cultorem, & nulla vera mira-
N. 32. cula; adeo ut omnes aliæ sectæ careant quatuor illis notis, quę in Symbolo Nicæno veræ Ecclesię tribuuntur, quòd sit Una, Sancta, Catholica, Apostolica: ergo omnes alię sectæ tàm absolutè, quàm comparativè ad nostram fidem sunt evidenter incredibiles, & non nisi imprudenter credi possunt.

N. 33. His animadversis, status quæstionis non est de evidentiâ credibilitatis practica, qualem damus idiotis, sed de absolutâ, seu speculativâ conflatâ ex cõsideratione omnium, aut ferè omnium motivorum credibilitatis, quibus Catholica Religio insignitur. An Religio Catholica sit non tantùm evidenter credibilis, & credenda, ut dixi cum omnibus, sed etiam an ita sit evidenter vera, ut intellectus de oppositò ne quidem imprudenter dubitare possit? Nota autem nomine
N. 34. Religionis Catholicæ me non intelligere religionem veram, nam evidens est religionem veram esse veram; sed intelligo complexum eorum omnium, tam quæ sunt juris naturalis, quàm quæ supernaturalis, quæ Religio Romana docet, an sint evidenter vera, atque adeo, an Religio nostra, quam Catholicam dicimus, sit evidenter vera. Similiter nota
N. 35. me in præsenti non distinguere inter evidentiam dicti, & evidentiam rei dictæ; quòd enim ex evidentiâ dicti *Divini* inferatur evidentia rei dictæ, nisi fiat quæstio de voce, defendimus ut certum in materiâ de Fide; atque adeo in præsenti perinde mihi est, dicere Religionem Catholicam, & mysteria à Deo dicta non esse evidenter vera, ac dicere, non esse evidens Deum ea dixisse, seu revelasse. Demum nota, nè fiat confusio, ut fit abAdversarijs, inter evidentiam moralem, & certitudinem moralem, (quarum inter se
N. 36. differentiam dedi *Not.* 5.) nam certitudinem moralem de revelationis, & rerum revelatarum veritate non negamus, immò affirmamus esse moraliter certum, quòd detur revelatio, & mysteria revelata, & esse moraliter certum esse vera; negamus tamen dari evidentiam moralem de veritate revelationis, & mysteriorum, exclusivam non tantùm formidinis prudentis, quam etiam excludit certitudo moralis, & hæc satis juxta nos est, ut illam excludat, sed etiam exclusivam formidinis imprudentis, & stultæ.

§. II.

Vera sententia.

SUMMARIUM.

DD. tuentes nostram fidem esse evidenter veram, n. 37.

Non est evidens evidentiâ morali excludente omnem etiam stultam formidinem, vera esse nostræ fidei mysteria, & revelationem: DD. n. 38.

Quia non esset necessaria pia affectio, nec fides esset libera, nec egeret imperio, n. 39.

Est certum ex S. Aug. quòd fides egeat eo imperio, ibid.

Cur pia affectio ad actum fidei requiratur? à n. 40.

DD. ibid.

Videtur certum post 19. *damnatam ab Innoc.* n. 41.

Aliæ rationes, ibid.

Nullus actus evidens est à voluntate liberâ, n. 43.

Pia affectio supplet effectum evidentiæ, ibid.

Licèt, ut tenear obedire, vel credere, debeat præceptum, & mysterium esse evidenter credibile, non tamen debet esse evidenter verum, sed satis certitudo moralis de existentiâ præcepti, & mysterij, n. 44.

Nec stultè dubitare possum de credibilitate, & credenditate possum stultè de veritate, num. 45.

Objectio, & solutio, n. 46.

Sciens, & credens ex S. Thom. diverso modo liberi; sciens est tantùm liber considerare motiva, ijs tamen consideratis necessitatur ad assensum; credens adhuc consideratis motivis non necessitatur ad actum fidei, n. 47.

Intellectus a solâ evidentiâ, etiam absente discursu, necessitatur ad assensum, n. 48.

Certitudo moralis confunditur à P. Eliz. cum evidentiâ morali, n. 49.

Licèt comparando motiva revelationis cum motivis Romæ, illa sint maiora, quàm hæc, non tamen si qualibet motiva cum suo objecto comparentur: Explico, n. 51.

Oritur a voluntate, quòd Fidelis sit paratus negare

gare potiùs Romam, quàm fidem, n. 52.
Plus convincitur intellectus ab uno motivo clarè proposito, quam a centum obscurè propositis, ibid.
An Roma existentia sit moraliter evidens? à n. 50. ad 53.
Hoc ipso, quod fides à malè viventibus negetur, fit, non esse evidentem, sed egere pia affectione, n. 54.
Est moraliter certa existentia revelationis; cur? n. 55.

N. 37. P. Gran. PAter Gran. *tr.* 2. de Fide *d.* 4. *n.* 2. docet Religionem nostram esse evidenter moraliter veram, quia longè firmiora habet credibilitatis motiva, quàm habeat existentia Romæ respectu eorum, qui eam non viderunt. Idem sentire videtur P. Gasp. Hurt. *d.* 3. de Fide *diffic.* 4. §. *addimus*, utens eodem exemplo, licèt videatur non loqui de evidentiâ excludente omne dubium, hoc enim componi posse cum fide asserit *d.* 3. *difficult.* 3. §. *Et ad rationem*; quare citandus est potiùs pro sententiâ oppositâ, præcipuè cùm *diffic.* 8. §. 2. asserat, quod plures negant ne quidem in Prophetis evidentiam, sed tantùm certitudinem moralem revelationis. Verumtamen sententiam asserentem nostra mysteria esse evidenter vera, prolixo calamo secutus est P. Eliz. (quem laudat P. Thyrsus *disp.* 3. *n.* 23. dicens, latè, & nervosè hoc probare) in suo libro de Formâ inveniendæ veræ Religionis, præcipuè *qu.* 19. & 20. Sed hæc sententia dictis Doctoribus annosior est, nam quidam Franciscus de Marchia impugnatus à Gregor. *qu.* 1. Prol. *art.* 4. Ochamo *qu.* 3. P. Suar. *d.* 6. de Fide *sect.* 6. *n.* 2. P. Ovied. *contr.* 5. de Fide *n.* 47. ille, inquam, Franciscus voluit non tantùm solam revelationem, sed etiam mysteria fidei esse evidentia; quod licèt P. Gran. & P. Eliz. negent, volunt enim res à Deo dictas non esse evidentes, sed solam revelationem; attamen inconsequenter, ut dixi ad finem §. *antec.* quia ex evidentiâ dicti *Divini* infertur evidentia rei dictæ à Deo.

P. Gasp. Hurtad. P. Eliz. Gregor. Ocha. P. Suar. P. Ovie.

N. 38. P. Suar. C. de Lugo. Prima conclusio: Non est evidens evidentiâ morali strictâ excludente omnem etiam stultam formidinem de oppositio, vera esse nostræ fidei mysteria, & revelationem. Ita omnes Doctores cum P. Suar. *d.* 3. de Fide *sect.* 8. *num.* 5. dicente, sententiam negantem evidentiam revelationis esse de fide, & experimento cognitam; C. de Lugo *d.* 2. de Fide *n.* 40. qui ait, modum loquendi, quo P. Granado utitur, esse singularem, & in rigore falsum, & non nisi de voce, quatenus latiùs extendit vocem evidentiæ moralis ad certitudinem moralem; M. Joan. à S. Thom. *d.* 2. *art.* 3. Pontius in Cursu Theologico *d.* 8. *n.* 21. Mastrius *d.* 6. *n.* 292. P. Gasp. Hurt. *d.* 3. *diffic.* 3. §. *Et ad rationem*, & *d.* 6. *diffic.* 6. Emin. Aguir. *tom.* 1. in S. Anfel. *d.* 9. *a n.* 58. M. Hozes *pag.* 165. *n.* 4. & 5. Filgueira in Lucernâ *ad* 19. damnatam, P. Pet. Hurt. P. Ripald. P. Ovied. P. Bernal, Herinx *tom.* 3. *d.* 3. de Fide *qu.* 6. ait evidentiam credibilitatis non generare evidentiam rei creditæ, aut revelationis, quia ea motiva non habent evidetem, & necessariam connexionem cum revelatione, & re creditâ.

M. Joan. à S. Th. Pont. Mastr. P. Gasp. Hurtad. C. Aguil. Hozes, Filgue. P Hurt. P. Ripa. P. Ovie. P Bern. Herinx.

Probatur: Si esset moraliter evidens evidentiâ strictâ excludente omnem etiam stultam formidinem de oppositio, mysteria nostræ fidei esse vera, non esset necessaria ulla pia affectio ad credendum: si autem hæc pia affectio non esset necessaria, non esset nobis liberum, & meritorium credere mysteria nostræ fidei; nec ullus eâ evidentiâ munitus posset ea mysteria negare: siquidem vero evidenti intellectus necessario assentitur; evidentia enim stricta est talis apparentia objecti, ita convincens intellectum, ut sine ullo voluntatis imperio intellectus feratur in assensum: eo modo, quo, si hæc propositio, *Cæsar fuit Romæ*, est moraliter evidens, (dico, si est, nam an sit, nec ne, non disputo) à nullo quantumvis malè affecto negari potest, nec intellectus aliquo eget voluntatis imperio, ut ei assentiatur, nec potest ne quidem stultè de eâ dubitare; sed est certum nos posse de mysterijs fidei stultè dubitare; & intellectum egere pia affectione, & voluntatis imperio, per quod captivetur; & nobis liberum, & meritorium esse, positis motivis credibilitatis, ea credere, aut non credere, & ideo *tr.* 26. in Joan. dixit S. Augustt. *Multa facere potest homo nolens, credere autem non potest, nisi volens*: ergo mysteria fidei non sunt evidenter vera evidentiâ strictâ exclusivâ omnis etiam stultæ formidinis de oppositio. Maior est omnino certa; nam intellectus rapitur ab evidentiâ objecti. Minor etiam est apud **TT.** indubitata, nam volunt fidem supernaturalem, seu salutarem constitui in ratione liberi, & meritorij per præviam piam affectionem supernaturalem, ut videre est apud Mastrium *d.* 6. *qu.* 8. qui hoc diligenter expendit, M. Gonet. *d.* 6. *art.* 1. P. Ripald. *d.* 16. de Fide *n.* 2. Filgu. *l. c.* P. Ovied. 1. 2. *tr.* 7. *contr.* 6. *n.* 39. & apud illum P. Suar. *d.* 8. de Fide *sect.* 7. P. Torres 2. 2. *d.* 25. *dub.* 3. P. Molina in Concordia *d.* 14. *art.* 13. & communiter Doctores cum S. Thomâ 2. 2. *qu.* 2. & 6. immò præcipua ratio, quâ Franc. de Marchia ductus fuit ad

N. 39.

N. 40. S. Aug.

Mastri. M. Gon P. Rip. Filgu. P. Ovie. P. Suar P. Tor. P. Moli. S. Tho.

negandum necessariam esse voluntatis determinationem ad credenda fidei mysteria,
N. 41. fuit, quia supposuit ea esse evidentia. Verumtamen hodie certum videtur eam determinationem requiri, quia 19. ex damnatis
Inn. XI. ab Innoc. XI. erat, *Voluntas non potest efficere, ut assensus sit in se ipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum*: ergo vera est contradictoria, Voluntas illud facere potest: ergo mysteria non sunt evidentia. Sicut enim nullus evadit Mathematicus, aut Philosophus, nisi volens, quin omnis notitia veri obscuri à voluntate imperatur; ita cùm fidei actus sit notitia veri obscuri, consequenter prærequirit actum voluntatis, à quo imperetur;
N. 42. quod voluntatis imperium dicitur pia affectio, vel affectus credulitatis, vel fides affectiva; & ideo
S. Aug. S. Aug. *lib.* de utilitate credendi *cap.* 11. dixit: *Duæ personæ sunt in religione laudabiles; una eorum, qui eam invenerunt;*
C. Caie. *alia eorum, qui studiose inquirunt*: & C. Caiet. dixit, *Lumen fidei esse lumen intellectus, ut moti a voluntate*; & Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. ait:
Trident. *Disponuntur ad ipsam fidem, dum excitati gratia Dei, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt*: ergo per Tridentinum Fideles per fidem liberè moventur in Deum: ergo non datur evidentia necessitans ad fidem. Addo, quòd cùm fides salutaris disponat moraliter per modum meriti congrui, (dico moraliter, nam gratia non exigit dispositionem physicam, cùm gratia detur etiam in infantibus baptizatis absque fide actuali) omnis autem actio
N. 43. meritoria ut talis debeat esse à voluntate liberâ, nam meritum strictè sumptum præsupponit libertatem, consequenter fides salutaris in ratione liberi, & meritorij constituitur per actum liberum voluntatis: sed nullus actus evidens est à voluntate liberâ: ergo cùm actus fidei sit liber, non est evidens: ergo mysteria nostræ fidei non sunt evidenter vera. Plura de fide intellectuali, & affectivâ lege apud Magist. Joan. à S.
M. Joann à S. Thom. Thom. *d.* 3. Gonet. *loc. cit.* Mastrium *loc. cit.* P. Ripald. *l. c.* P. Amicum *d.* 10. *sect.* 5.
Mastrii. P. Rip. P. Ami. Pontium *d.* 28. & alios passim, convenientes in hoc, quòd pia affectio requiritur, ut
Pontius suppleat defectum evidentiæ objecti; quatenus sicut evidentia, ita pia affectio determinat intellectum, ut assentiatur per fidem, non quidem Primæ Veritati, hanc enim evidenter cognoscit; sed Primæ Veritati obscurè revelanti objecta credenda.

N. 44. Confirmo 1. quia hæc evidentia stricta mysteriorum non est necessaria ad credendum; sicut enim ut tenear obedire præcepto Ecclesiæ, aut Regis circa auditionem sacri, aut non ferenda arma, satis est mihi, ut sit evidenter credibile existere illud præceptum, ita ut de ejus præcepti existentia non possim prudenter, licèt possim stultè dubitare, satis est certitudo moralis, non autem necessaria est evidentia de existentiâ præcepti, ut dixi §. 1. *Not.* 3. ita à pari ut teneat credere revelationem, & mysteria, non est necesse ut evidenter cognoscam illam, & hæc verè existere, sed satis est ut appareant evidenter credibilia, & credenda, ita ut de mysteriorum veritate, & revelationis existentia non possim nisi stultè dubitare.

Confirmo 2. quia sicut credibilitas, & credenditas mysteriorum apparet evidenter, nõ possum ne quidem stultè dubitare de eorum credibilitate, & credenditate; ita vice versâ, quia possum stultè dubitare de existentiâ revelationis, & mysteriorum, sequitur eorum existentiam non apparere evidenter. N. 45.

Dices 1. quòd sicut res fidei, juxta nos, sunt evidenter credibiles, & credendæ, adhuc tamen totum hoc negari potest à quolibet, qui negare velit; ita etiam licèt res fidei à quolibet malè affecto negari possint, non sequitur eas non esse evidentes. Sed contra 1. quia credibilitas, & credenditas ab eo tantùm negari possunt, qui non habet evidentiam, nec ea penetrat, non autem ab eo, qui habet, & penetrat motiva; sed ferè omnes TT. adhuc positâ hâc evidentiâ veritatis ab Adversarijs introductâ, dicunt me posse rebus fidei non assentiri, & liberum esse cuique Fideli assentiri, aut non assentiri rebus fidei: ergo licèt detur evidentia credibilitatis, non tamen evidentia veritatis mysteriorum. Contra 2. quia ut scitè S. Thom. S. Th. *2. 2. qu. 2. art. 9. ad 2.* diversò modo nobis liberum est credere, vel non credere mysteria, ac sit liberum scienti assentiri, vel non assentiri veritati scitæ: licèt enim tam credens mysteria, quàm sciens rem scitam, sint quoad hoc liberi, quatenus uterque liber est applicare animum ad considerandà motiva rei scitæ, & rei creditæ; differunt tamen, quatenus sciens non est liber post considera- N.
tionem motivi assentiri, vel non assentiri rei 47.
scitæ, quia cognoscitur evidenter connexio motivi cum re scitâ; suppono enim esse evidentem hanc connexionem, ut certum est; credens autem adhuc post considerationem motivorum credibilitatis liber est ad assentiendum, vel non assentiendum, immò ad dissentiendum rei creditæ, quia non est evidens connexio eorum motivorum cum revelatione, & rebus revelatis: ergo paritas est contra P. Eliz. P. Eliz.

Dices

N. 48. Dices 2. verum esse, datâ revelationis evidentiâ, si intellectus procedat scientificè, seu per discursum, cogi ad assensum rei revelatæ, non tamen si per modum fidei procedat. Sed contra; quia ubi etiam non est discursus, intellectus cogitur ad assensum ab evidentiâ; immò eatenus discursus cogit ad assensum, quatenus datur saltem evidentia illationis, positis talibus præmissis jam præacceptatis, licèt non detur evidentia materiæ: ergo sive fides discurrat, sive non, ad summum sequitur, quòd non detur evidentia mysteriorum scientifica, seu per medium intrinsecum; non autem quòd non detur evidentia mysteriorum sine discursu, seu per medium extrinsecum, ut latè dixi *Tr. de Fide*, ubi de evidentiâ in attestante.

N. 49. Dices 3. non esse de ratione evidentiæ moralis, ut cogat intellectum ad assensum sine formidine, secluso voluntatis imperio; sed satis, ut sit talis apparentia, quæ accedente voluntatis imperio trahat ad assensum sine formidine. Sed contra; quia, ut dixi, quæstio non erit de re, sed tantùm de voce. Non erit de re, quia Adversarij nobiscum conveniunt, quod non detur talis apparentia revelationis, quæ convincat intellectum ad assensum revelationis, ita ut nec stultè possit formidare: ergo tota quæstio erit de voce, quatenus apparentiam, quæ non convincit intellectum, sed relinquit in intellectu potentiam ad stultam formidinem, nos vocamus certitudinem moralem; Adversarius autem vocat evidentiam moralem: ergo Adversarius saltem irregulariter loquitur, quia recedit à communi usu loquendi omnium TT. & ideo ego, ut omnem de voce litem dirimirem, expressè in conclusione dixi, *mysteria fidei non esse vera evidentiâ excludente omnem etiam stultam formidinem de oppositio, seu non ita esse evidenter vera, ut sunt evidenter credibilia.*

N. 50. Dices 4 ad moralem evidentiam satis esse, ut talis de revelationis existentiâ detur apparentia, qualis de existentiâ Romæ; sed datur, immo maior; maiora enim sunt motiva credendi revelationis, quàm Romæ existentiam: ergo cùm de existentiâ Romæ detur evidentia moralis, multò magis de existentiâ revelationis. Sed contra 1. quia vel respectu eorum, qui Romam non viderunt, datur evidentia moralis de existentiâ Romæ, vel non? Si non datur; ergo paritas est contra Adversarium. Si datur; ergo sicut de existentiâ Romæ, ne quidem stultè possum formidare, ita nec de existentia revelationis; sed de hâc possum stultè formidare: ergo non datur evidentia moralis de existentiâ revelationis. Contra 2. quia licèt comparando motiva pro existentiâ Romæ, cum motivis pro existentiâ revelationis, hæc sint N. 51. longè maiora, quàm illa; adeoque æqualitate rei ad rem, seu Arithmeticâ, maiora sint fidei, quàm Romę motiva; attamen si motiva fidei comparentur cum ipsâ revelatione, & mysterijs; & motiva Romę cum Româ, adeoque æqualitate Geometricâ, seu proportionis ad proportionem; tunc dico maiorem habere proportionem motiva credibilitatis Romæ cum Româ, quàm motiva credibilitatis revelationis cum revelatione: eo modo, quo oculi Noctuæ maiorem habent proportionem cum lumine lucernæ, quam comprehendunt, quàm oculi Aquilæ cum sole, quem non comprehêdunt; esto longè maior sit acies visualis Aquilæ, quàm Noctuæ: ergo non est mirum, si motiva Romæ evidenter convincunt Romam existere, quia hanc quasi comprehendunt; motiva autem fidei non convincunt existere revelationem, & mysteria revelata, cùm hæc sint summè obscura, & supernaturalissima, & omnem captum excedêtia; certum enim est, quod æqualis authoritas movens ad credendum rem facilem, non est satis ad difficilem. Contra 3. N. 52. quia ut rectè C. de Lugo, licèt Fidelis paratus sit potiùs negare Romam, quàm re- C. de Lugo. velationem, hoc oritur ex imperio voluntatis, à quo intellectus captivatur, non ex objecto convincente intellectum ad assensum; & ideo cessante imperio incipit intellectus dubitare de rebus fidei, non de existentiâ Romæ: ergo maior est apparentia pro Româ, quàm pro revelatione. Hæc autem maior apparentia non oritur ex eo, quòd motiva fidei sint minora, sunt enim maiora, sed quia minùs clarè proponuntur, quàm motivum pro Româ. Certum autem est, quod N. intellectus magis convincitur ad assensum à 53. maiori claritate unius motivi, quàm ab obscuritate plurium motivorum, ut patet, nam unum motivum evidenter propositum demonstrat conclusionem; centum motiva probabiliter proposita non demonstrant: ergo optimè dici potest, ut plerique dicunt, dari evidentiam moralem de Româ, non de revelatione; unde P. Koninck *d.* 11. de Fi- P. Koninck. de *dub.* 1. *n.* 44. & P. Ovied. *Contr.* 5. de Fi- P. Ovie. de *n.* 53. aiunt, dici potiùs debere, dari sci- Pontius entiam, vel evidentiam, quàm fidem de existentiâ Romæ; non autem dici potest dari scientiam de revelatione. Addit Pontius in Cursu Theologico *d.* 28. *n.* 21. *ad finem*, quòd si aliqui docti non crederent Romam existere, ut plures docti Hæretici, licèt imprudenter negant fidem esse veram, tunc non

non esset moraliter evidens Romam existere.

N. 54. Dices 5. ideo facilè negari revelationem, quia revelatio malè vivenubus magnum affert incommodum. Sed contra; ergo hæc propositio, *Nostra religio est vera*, non est evidens, quia ejus assensus pendet à piâ voluntatis affectione, quâ malè vivens carere vult: sed nullus assensus pendens immediatè à pio voluntatis affectu est evidens; evidentia enim antevertit voluntatem, & ratione suæ claritatis convincit intellectum: ergo &c.

N. 55. Secunda conclusio: Datur tamen certitudo moralis de existentiâ, & veritate revelationis, & mysteriorum.

Patet; quia toties datur certitudo moralis de aliquo, quoties intellectus habet adeo grave fundamentum, ut non possit prudenter dubitare de oppositio: sed Fideles considerantes motiva credibilitatis habent tale fundamentum, ut non possint prudenter dubitare de oppositio, seu de non existentiâ, & non veritate revelationis, & mysteriorum: ergo. Quia autem intellectus non cognoscit evidenter connexionem inter motiva credibilitatis, & existentiam revelationis, ideo non habet evidentiam, sed tantùm certitudinem moralem de existentiâ revelationis.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

§. I.

Præcipuum argumentum.

SUMMARIUM.

Ait P. Eliz. si Deus est providus, religio vera ab omnibus sincerè quærentibus debet esse invenibilis; hæc autem esse non potest, nisi omnium credibilissima, n. 56.

Quia Deus non potest omnes homines decipere, n. 57.

Dictum Richardi, ibid.

Quia est evidens aliquam religionem esse necessariam ad salutem, n. 58.

Solutio P. Mauri: rejicitur, n. 59.

Solutio P. Martinez, quæ concedat, quæ neget, n. 60.

Solutio Neotericorum à n. 61.

Non est evidens, quod religio vera, nisi sit saluti necessaria, debeat esse omnium probabilissima; cur? Ibid.

Non repugnat evidenter, quòd homo sit in verâ religione, & quòd erret in materiâ religionis, quomodo, n. 62.

Hæc solutio incidit cum priori, n. 63.

Non est quæstio de veritate, sed de evidentiâ veritatis, n. 64.

Omnis propositio licèt certissima, si non sit evidens, debet in præsenti negari, ibid.

Variæ solutiones in idem incidunt, n. 65.

Religio omnium credibilissima non potest esse ita falsa, ut non contineat veram ad salutem necessariam, n. 66.

Ut salvetur Dei providentia, satis ut religio sit certo moraliter invenibilis, non autem evidenter, n. 67.

Hoc disjunctum est evidens; Religio vera debet esse, vel omnium probabilissima, vel contenta in probabilissimâ; non hæc simplex Religio probabilissima est vera, n. 68.

Aliud est, quod vera, & necessaria esse debeat probabilissima, aliud, quòd probabilissima debeat esse vera, & necessaria, n. 69.

Inventio debet esse, quâ credat, non quâ sciat, ibid.

Non est evidens, quòd Deus permittere non possit, ut omnes fallantur, credendo religionem veram, quæ sit per excessum falsa, n. 70.

Quid necesse ad hæresim formalem, n. 71.

Cur Hæreticus materialis sit, formalis non sit in verâ religione? n. 72.

Per me est Hæreticus, qui opinativè tantum assentitur fidei sibi satis propositæ. DD. hoc tuentes, & negantes, n. 73.

Non potest ab Hæretico unus articulus credi fide Divinâ, non alter, ibid.

Explico dictum Richardi, n. 74.

Satis ut religio necessaria sit certo moraliter vera; vel si debet esse evidenter vera, satis ut vel sit vera, vel contineat veram, licet sit per excessum falsa, n. 75.

Non est evidens omnia motiva esse a Deo, n. 76.

ECce Achilles Patris Elizaldæ. Est evidens Deum esse providum: ergo est evidens religionem omnium credibilissimam, & quæ omnes alias reddit evidenter incredibiles, non posse esse falsam; sed est evidens nostram religionem esse talem; ergo est evidens non esse falsam; ergo veram. Prima consequentia probatur 1. quia si Deus est providus, dari debet religio vera, per quam homines salvi fiant, eaque debet ab omnibus sincero corde eam quærentibus esse invenibilis; sed hæc respectu hominum prudenter operantium esse non potest, nisi omnium credibilissima; tanto enim quis prudentiùs operatur, quò sequitur id, quod est credibilius, & credendum: ergo est evidens omnium credibilissimam esse veram. Secundò, quia est evidens, quòd si Deus est providus, non potest totum genus humanum in materiâ religionis decipere; sed deciperet, si

N. 56. P. Eliz.

N. 57.

omnium

omnium credibilissima, & unicè credenda, non esset vera; nam ex unâ parte præcipit, ut credamus, quod est unicè credendum, & credibilius; ex alia, si hoc ipsum cæteris credibilius, & unicè credendum, esset falsum, Deus esset causa talis erroris, & totum genus humanum deciperet, quia ita res disposuisset, ut qui Deum per veræ religionis cognitionem sincerè quæreret, tanto magis credendo falsum à Deo recederet, quo magis sequeretur hoc ipsum falsum, quod est credibilius, & credendum; atque adeo cum Richar. Richardo *lib.* 1. de Trinitate *cap.* 2. quilibet posset Deo dicere, *Domine, si error est, quod credimus, a Te decepti sumus*; quæsivimus enim te eo modo, quo quærendus eras, credendo religionem omnium credibilissimam, & unicè credendam; neque tamen ob hoc ipsum, quia te prudenter quæsivimus, te invenimus: ergo si Deus est providus, religio omnium credibilissima non potest esse N. falsa. Tertio, quia est evidens aliquam religionem esse ad salutem simpliciter necessariam; sed est evidens nullam incredibilem, & non credendam, si Deus est providus, esse simpliciter necessariam: ergo cùm sit evidens omnes alias sectas, immo etiam religionem purè naturalem esse incredibilem, & non credendam, evidens est solam nostram esse simpliciter necessariam; sed evidens est religionem simpliciter necessariam debere esse veram; ergo est evidens nostram esse veram.

N. Hoc argumentum à Dei Providentiâ, & 59. modo, quo usus sum, productum, est omnium robustissimum, eique plures dari solent solutiones, quas singillatim recolo. Prima est P. Mauri *qu.* 23. qui ait esse quidem cuique credenti evidens, quod nostra religio sit prudenter credibilis subjectivè, non autem esse evidens, quod sit credibilis objectivè. Sed contra; quia hæc solutio, ut tollat evidentiam veritatis, tollit absolutam evidentiam objectivam credibilitatis, & cõcedit tantùm subjectivam, seu respectivam, quæ etiam in idiotis datur; cùm tamen hic termo sit, an sit evidens esse veram nostram religionem habenti evidẽtiam absolutam objectivam credibilitatis, ut dixi *sect.* 1. §. 1. *Not.* 2. *& ad finem dicti* §. ergo responsio non te- P. Mau. net. Addo quod hæc doctrina P. Mauri non cohæret cum eâ, quam tradit *qu.* 32. in quâ negat satis esse evidentiam respectivam.

N. Secunda solutio est P. Nicol. Martinez 60. dividentis religionem in necessariam, & non P. Mart. necessariam ad salutem; in falsam impeditivam ultimi finis, & in falsam non impeditivam ultimi finis. Concedit 1. esse evidens, quòd religio ad salutem necessaria debeat esse omnium probabilissima; negat tamen de religione non necessaria. Concedit 2. esse evidens, quod Deus permittere non possit, ut religio falsa impeditiva ultimi finis, sit aliis credibilior, quia sic Deus redderet impossibilem salutem tam ei, qui religionem falsam credit, quàm ei, qui eam non credit: credenti, quatenus repugnat, ut eam credens consequatur salutem per religionem falsam impeditivam salutis; non credenti, quia peccaret non credendo religionem falsam impeditivam salutis cæteris credibiliorem: ergo est evidens religionem falsam impeditivam salutis non posse esse omnium credibilissimam. Negat tamen esse evidens, licèt sit moraliter certum, quòd permittere non possit, ut religio falsa non impeditiva salutis sit respectu totius humani generis, omnium credibilissima, & credenda. Ex hoc enim non sequitur Deum non fore providum, sed ad summum non fore adeo suaviter providum, ac si nũmquam talem errorem permitteret. Concedit 3. esse evidens, quod quælibet religio vera debeat continere saltem id, quod traunt religio purè naturalis; si enim aliquid huic contrarium contineat, erit evidenter falsa. Rursus concedit esse evidens, quod quælibet religio eâ parte, quâ continet doctrinam, & præcepta juris naturalis, sit evidenter vera; negat tamen esse evidens, quod nostra religio eâ parte, quâ continet doctrinam, & præcepta supernaturalia, sit evidenter vera. Rursus negat esse evidens, quod religio supernaturalis sit simpliciter necessaria: vel enim est evidens supernaturalis religionis necessitas ex principijs naturalibus, vel ex supernaturalibus? non ex supernaturalibus, quia existentia religionis supernaturalis attingitur tantùm per revelationem obscuram, immò non necessariam; ergo non attingitur evidenter: non ex naturalibus, quia nullum supernaturale est necessario debitum naturæ: ergo omnia principia naturalia stare possunt sine supernaturalibus: ergo ex nullo principio naturali inferri evidenter potest necessitas, ut existat aliquid supernaturale: alias si est evidens, quod naturale esse non possit sine supernaturali, esset evidens repugnare statum puræ naturæ: ergo qui cum P. Elizald, contendit, evidens esse, quòd detur in mundo necessitas religionis supernaturalis, verendum nẽ ad Jansenistas accedat. Similiter negat esse evidens, quod omnis religio vera sit ad salutem necessaria, nam lex Hebraica erat vera, nec tamen erat Gentibus necessaria: ergo licèt concederetur evidens esse,

quòd

quòd religio necessaria ad salutem debeat esse vera, ita ut nequeat esse falsa ne quidem falsitate speculativâ, seu non impediente salutem; non tamen econtra est evidens, quòd omnis vera sit necessaria ad salutem. Denique concedit esse evidentem hanc hypotheticam, *Si est evidens dari religionem supernaturalem, & eam Deus fecit necessariam ad salutem, ea religio est evidenter vera;* quia nulla religio supernaturalis potest esse falsa. Negat tamen esse evidens, quod ea detur, quòd ea sit necessaria evidèter. Hæc est summa totius doctrinæ, celebris viri Patris Nic. Mart.

P. Mart.

N. 61. Tertia solutio, cui alij Neoterici nituntur, procedit per disjunctum. Dicunt 1. esse evidens, quòd religio vera esse debeat, vel omnium probabilissima, vel inclusa in omnium probabilissimâ. Ego tamen puto hoc non esse evidens, nempe quòd religio vera, nisi sit ad salutem necessaria, debeat esse omnium probabilissima. Ut enim dixi, Hebraismus erat religio vera; quia tamen non erat Gentibus necessaria, non fuit illis omnium probabilissima. Dicunt 2. esse evidens, quòd omnium probabilissima, vel sit ipsa vera, vel includat religionem ipsam veram. Negant autem esse evidens, quòd totum genus humanum in materiâ religionis non possit errare; volunt enim, quod possit esse in verâ religione, & simul possit errare in materiâ religionis: non enim hæc hypothesis est evidenter impossibilis: Fac enim, ut Deus religionem purè naturalem fecisset necessariam ad salutem; & ex aliâ parte permisisset, ut darentur omnia motiva credibilitatis suadentia mysteria supernaturalia, quæ falsa supponuntur: tunc mundus simul erraret per excessum credendo mysteria supernaturalia, & Deus mundum ad eorum fidem falsam obligasset; & simul non erraret, adeoque esset in verâ religione, credendo legem naturalem contentam in eâ religione supernaturali falsâ: ergo Deus permittere potest, ut mundus simul sit in verâ religione, & simul erret in materiâ religionis, permittendo, ut religio falsa, quæ continet veram, sit omnium credibilissima; eo modo, quo non repugnat, ut Fidelis ex ignorantiâ invincibili simul sit in verâ religione, & erret in materiâ religionis, non credendo articulum, quem ex errore putat non revelatum.

N. 62.

N. 63. Hæc doctrina si rectè penetretur, tota coincidit cum doctrinâ allatâ ex P. Mart. Idem enim est dicere, religionem omnium probabilissimam debere, vel esse veram, vel continere veram, ac dicere, religionem falsam impeditivam salutis non posse esse omnium credibilissimam; posse tamen falsam non impeditivam salutis, quia adhuc hæc falsa continet veram.

P. Mart.

Ante solutionem adverto 1. non esse in præsenti quæstionem *de esse* propositionum, sed *de modo*, seu de evidentiâ. Quare omnes propositiones, etsi verissimæ, si non sint evidentes, negari animosè debent. Debent enim Adversarij in omni syllogismo assumere præmissas omnino evidentes, non autem tantùm certas, & multò minùs probabiles; ut enim non sint evidentes, satis si stultè negari possint. Ideo severè moneo, cavendum nè nos veritas, & prudentia fallat; animosè igitur negandæ omnes præmissæ, etsi certissimæ, dummodo non sint evidentes. Similiter adverto plures argumento adducto, & alijs adducendis exhiberi distinctiones, quæ tamen inter se coincidunt. Explico: *Religio omnium credibilior non potest esse falsa; nostra est talis; ergo non potest esse falsa.* Hoc argumentum ab aliquibus ita distinguitur: Non potest esse falsa, ita ut non contineat veram, concedunt; ita ut contineat veram, negant. Ab alijs ita: non potest esse falsa, id est, debet esse, vel ipsa vera, vel continere veram, concedunt; debet esse ipsa vera, negant. Ab alijs ita: non potest esse falsa speculativè quoad aliqua, negant; falsa practicè, concedunt; illa enim religio, quæ judicatur prudenter credibilissima, judicatur practicè in ordine ad me obligandum vera. Alij ita: non potest esse falsa falsitate impeditivâ salutis, concedunt; falsitate non impeditivâ salutis, negant. Demum alij ita: non potest esse falsa directè, negant; reflexè, concedunt: non est evidens directè religionem omnium credibiliorem esse veram, quia de ejus veritate non habeo evidentiam; est tamen evidens reflexè, quatenus talis est, ut obliger ad eam credendam tamquam veram. Ecce si res seriò ponderetur, omnes distinctiones in idem coincidunt. Tandem adverte me nomine religionis nostræ intelligere complexum eorum omnium, quæ docet, & præcipit.

N. 64. N. 65.

Ad argumentum, concesso antecedenti, distinguo consequens: religio omnium credibilior non potest esse falsa, ita ut nõ contineat veram, concedo; ita ut, licèt sit per excessum falsa, adhuc tamen contineat veram, nego consequentiam. Est evidens religionem omnium credibiliorem non posse esse ita falsam, ut non contineat veram ad salutem necessariam, quia tunc Deus non esset providus, induceret enim ad errorem retrahentem ab ultimo fine. Non est autem evidens, licèt sit moraliter certum, quòd religio omnium credibilior non possit esse ita per excessum

N. 66.

cessum falsa, ut simul contineat veram; potest enim; & tunc Deus adhuc esset providus, quatenus credentes religionem per excessum falsam adhuc possent salvari; quia licèt ea religio non esset vera, adhuc tamen contineret religionem veram; esto qui eam quoad omnia crederet, crederet aliquid speculativè falsum.

Ad 1. rationem dico, quòd ut salvetur providentia, satis sit, ut religio sit certò moraliter vera, invenibilis, & discernibilis à falsa; non autem necesse est, ut sit evidenter vera, evidenter invenibilis, & discernibilis à falsa. Duplex enim est inventio, & discretio; alia, quâ invenio ut sciam quænam religio sit vera; alia qua invenio ut credam: ad illam inventionem necessaria est evidentia veritatis; ad hanc satis est evidentia credibilitatis, & credenditatis; inventio enim religionis non consistit in judicio evidenti de veritate, sed in judicio evidenti de credenditate religionis veræ. In forma, vel nego absolutè requiri evidentiam veritatis, ut providentia salvetur, vel distinguo: si Deus est providus, dari debet religio evidenter vera, aut continens veram, concedo; evidenter vera, nego maiorem, & distinguo minorem: religio vera non potest esse nisi vel probabilissima, vel inclusa in probabilissima, concedo minorem; aliter, nego minorem, & consequentiam. Est evidens hoc disjunctum indeterminatè, *Religio probabilissima debet esse vel vera, vel continens religionem ipsam veram*: similiter hoc, *Religio vera debet esse probabilissima, vel contenta in probabilissima.* Non est autem evidenter vera hæc propositio simplex, *Religio probabilissima est vera*, plura enim falsa sunt probabiliora veris.

Dices: Est evidens religionem veram esse à viro prudenti invenibilem: sed est evidens à tali viro nō esse invenibilem nisi probabilissimam; ergo est evidens probabilissimam esse veram. Similiter est evidens religionem veram, & ad salutem necessariam esse omnium credibilissimam; sed est evidens nostram esse omnium credibilissimam; ergo est evidens nostram esse veram, & necessariam ad salutem. Sed contra; quia neutrum argumentum est in formâ, utriusque enim minor peccat, ergo consequentia non tenet. Ratio est; quia aliud est, quòd vera, & necessaria debeat esse omnium probabilissima, quod verum est; aliud, quod probabilissima sit vera, & necessaria; non enim valet conversio, quia latiùs patet invenibilitas, & credibilitas, quàm veritas. Quare hoc modo cōstruenda erant argumenta. Est evidens religionem veram esse invenibilem; est evidens nostram esse veram; ergo esse invenibilem. Vel ita; est evidens non nisi probabilissimam esse invenibilem; est evidens nostram esse invenibilem; ergo est evidens esse probabilissimam. Vel ita: est evidens religionem veram debere esse omnium credibilissimam; est evidēs nostram esse veram; ergo est evidens esse omnium credibilissimam. In formâ distinguo maiorem: Est evidens religionem veram esse à viro prudenti evidenter invenibilem, inventione quâ sciat esse veram, nego; esse certo moraliter invenibilem inventione quâ credat, concedo maiorem, transeat minor, nego consequentiam. Potest etiam ita distingui: Est evidens religionem veram, vel continentem veram debere esse evidenter invenibilem, transeat; religionem evidenter veram, nego. Ad alterum transmissâ maiori, & minori nego consequentiam.

Ad 2. rationem nego esse evidens, quòd Deus permittere non possit, ut totum genus humanum fallatur credendo falsum non impeditivum salutis, seu religionem aliquam, quæ sit per excessum falsa, & simul contineat religionem veram; adhuc enim homines ex errore sibi invincibili credentes talem religionem falsam, quæ tamen simul includeret veram, salvari possent, & essent in verâ religione, licèt speculativè, quoad aliquid non necessarium ad salutem, errarent; quo modo Fidelis, qui ex errore invincibili credit leve mendacium licere, credit aliquid speculativè falsum, & tamen adhuc est in verâ religione.

Dices: Si esset in verâ religione ille, qui crederet eam religionem per excessum falsam, quilibet Hæreticus, quia credit aliqua, quæ vera sunt, esset in verâ religione. Respondeo me supponere, quòd arguens loquatur de formaliter Hæretico; quid autem ad hæresim formalem necesse sit, dabit P. Petr. Hurt. *d.* 82. *sect.* 3. & P. Galp. Hurt. *d.* 10. *diffic.* 5. P. Suar. C. de Lugo, & alij: nam quicumque est materialiter tantùm Hæreticus, licèt credat plura falsa, quia tamen putat invincibiliter vera, adhuc est in verâ religione, & implicitè dicitur credere omnia, quæ tradit vera religio. Hæreticus ergo formaliter talis non est in verâ religione, non quia credit aliqua falsa, sed quia non credit omnia, quę judicat esse credenda; & quia credit aliqua, quæ judicat non esse credenda; ergo non est in verâ religione. Econtra, qui præter legem naturalem, quam in nostrâ hypothesi supponimus esse tantùm necessariam ad salutem, adhuc crederet mysteria supernaturalia, quæ supponimus falsa, adhuc esset in verâ religione, nec erraret

N. 67. N. 68. N. 69. N. 70. N. 71. P. Petr. Hurtad. P. G. Hurtad. P. Suar. C. de Lugo. N. 72.

raret peccaminosè per defectum, ut Hæreticus, sed inculpabiliter per excessum. In formâ distinguo: qui credit invincibiliter falsum, putans illud esse credendum, & credit omnia alia ad salutem necessaria, non est in verâ religione, nego; qui credit culpabiliter falsum, concedo. An autem sit Hæreticus, qui actu opinativo assentitur rebus credendis, satis sibi à fide propositis, plures affirmant, plures negant, ut legi potest apud P. de la Fuente *diss.* 11. *n.* 31. Hoc certum, quòd qui actualiter formidat, aut res fidei judicat tantùm probabiles, Hæreticus est. Similiter certum mihi est, quod Hæreticus non possit credere fide Divinâ unum articulum, & alium discredere, ut benè P. Suar. *d.* 7. *sect.* 4. & alij; etsi P. Gran. Durand. & P. Gaspar Hurtad. *d.* 7. *diffic.* 5. oppositum tueantur.

N. 73. P. de la Fuente. P. Suar. P. Gran. Duran. P. Gasp. Hurtad.

Ad celebre Richardi Victorini effatum, dico esse manifestum ex ipso contextu cum loqui de errore conscientiæ; ait enim: *Utinam attenderent Pagani, cum quantâ conscientiæ securitate pro hac parte ad Divinum judicium poterimus accedere; nonne cum omni confidentiâ dicere poterimus: Domine, si error est quod credimus* (id est, si imprudenter credimus) *a Te decepti sumus?* Itaque evidens est, quòd Deus ne quidem unum hominem decipere possit errore prudentiali, seu impediente salutem, & retrahente hominem ab ipso Deo; non est autem evidens, sed est tantùm moraliter certum, quòd non possit permittere, ut omnes errent errore speculativo non retrahente homines à salute.

N. 74. Richar.

Ad 3. rationem dico, aliud esse, quòd religio ad salutem necessaria debeat esse vera; aliud, quòd debeat à nobis evidenter cognosci, quòd sit vera. Hoc secundum non est necessarium; satis enim est, ut sit vera, & à nobis cognoscatur certò moraliter vera. Immò nec primum est evidenter necessarium; nam satis est ad salutem, ut religio necessaria, vel sit vera, vel contineat veritates, quæ ad salutem sunt necessariæ, licèt per excessum esset falsa quoad ea, quæ ad salutem necessaria non sunt; dummodo error ille salutem non impediat. In formâ concedo aliquam religionem esse ad salutem necessariam; concedo etiam omnem religionem non credendam, non esse necessariam; concedo quoque nostrã esse in hoc sensu necessariam, seu necessariò credendam; nego autem esse evidenter veram; satis enim est, ut religio ad salutẽ necessaria sit vel certò moraliter vera, vel si debet esse evidẽter vera, satis est ut vel sit evidenter vera, vel contineat evidenter veram, esto sit falsa. Dixi esse ad summum evidens disjunctum, non autem propositionem simplicem.

N. 75.

Dices: Est evidens motiva credibilitatis esse à Deo: ergo est evidens fidem nostram esse à Deo, & esse veram. Nego antecedens, si de omnibus loquamur, cùm non sit evidens dari sanctitatem supernaturalem, miracula, martyria, sed est ad summum moraliter certum. Dein transeat antecedens, nego consequentiam; quia non est evidens ea esse connexa cum mysterijs fidei.

N. 76.

§. II.

Reliqua argumenta.

SUMMARIUM.

Quia est evidens, omne credibile fide Divinâ esse verum, n. 77.

DD. tuentes, & negantes, actum naturalem ferri posse in objectum supernaturale, n. 78.

Omne credibile fide infusâ est verum, non autem putatâ infusâ, n. 79.

Certitudo comparata per rationem evidentem est evidentia, non autem per rationem unicè excludvam formidinis prudentis, n. 80.

Etsi nostra fides non sit evidenter, non tamen est probabiliter tantum, sed certò vera, n. 81.

Probabilitas non tollitur a solâ evidentiâ, sed etiam a certitudine, n. 82.

Arguunt, quia est moraliter evidens, nos non esse in statu puræ naturæ; cur? n. 83.

Hoc supponit plura falsa, nempe non potuisse in eo statu dari miracula, &c. n. 84.

Est de fide, quòd status puræ naturæ non implicat, n. 85.

SS. PP. probabiliter tantùm ex miserijs inferunt existentiam originalis, n. 86.

Non est evidens dari religionem supernaturalem, & omnes alias sectas, quoad errores, qui sunt contra legem supernaturalem, esse falsas; nec argumenta, quæ fiunt contra fidem, solvuntur evidenter à n. 87. ad 90.

SS. PP. contendebant probare Infidelibus credibilitatem, & credenditatem fidei, non autem fidem esse evidentem; immò hoc probat oppositum, n. 91.

Non est evidens Deum præcipere, ut credamus. Explico, n. 92.

Falsa miracula Hetherodoxorum, n. 93.

Quid ad verum miraculum necesse? n. 94.

Non est evidens, Deum non posse dare malo homini virtutem miraculorum, quâ abutatur, n. 95.

Deus obligare potest, ut credam falsum, n. 96.

Celebre sophisma, n. 97.

Valet illatio ab oppositio contradictorio consequentis, ad oppositum contradictorium, non autem contra-

contrarium antecedentis, num. 98.
Contraria possunt simul esse falsa, non simul vera, n. 99.
Rejicitur P. Elizald. docens prærequiri evidentiam religionis, non evidentiam mysterij, ut credamus, n. 100. & 101.
Quæ mysteria de necessitate medij explicitè credenda? n. 102.
An sit moraliter evidens, quòd Cæsar fuerit Romæ, n. 103.

N. 77. PRimum est: Evidens est omne credibile fide Divinâ esse verum: sed evidens est nostram religionem esse ita credibilem: ergo evidens est esse veram. Minor probatur; quia vel Fidelis judicat se teneri ad credendum, vel dubitat, vel tantùm opinatur? Si primum; ergo concludit dari præceptum, ut Deo credat; ergo concludit doctrinam, quam credere tenetur, esse à Deo; ergo esse veram. Confirmatur; quia certitudo comparata per rationem est evidentia; sed certitudo de revelatione est ita comparata; ergo est evidentia.

N. 78. Respondeo hoc argumento valdè urgeri eos, qui negant actum naturalem ferri posse in objectum supernaturale, ut videre est apud M. Joan. à S. Thom. *d. 2. art. 3. n. 7.* & Mastrium *d. 6. n. 294.* At quia ego in *Tr. de Fide* ex professo docui actus supernaturales intellectûs, & voluntatis non differre essentialiter ex objecto formali motivo *ut quod*; esto differant ex objecto formali movente *ut quo*; ibique pro meâ sententiâ citavi Scotum cum Mastrio in 3. *d. 6. qu. 7.* P. Ripald. *d. 45.* de Ente, *per totam*, *& tom. 3. d. 21. n. 65. & 69.* & apud illum plurimi, quibus addidi P. Salas, C. de Lugo *d. 9.* de Fide, P. Ovied. *contr. ultimâ* de Animâ *pu. 4. & 1. 2. tr. 7. contr. 2. n. 23.* P. Requelens *1. 2. d. 11. sect. 5.* P. Arriaga *d. 14. sect. 5.* & alios contra Caiet. *1. 2. qu. 63. art. 4.* cum alijs Junioribus Thomistis, P. Suar. *lib. 2.* de Gratiâ *cap. 11.* P. Valqu. *1. 2. d. 86. n. 25.* P. Ruiz *d. 46.* de Prædestinat. *sect. 5.* C. Pallav. *lib. 2.* de Gratiâ *cap. 3.* & *lib. 4.* de Charit. *cap. 16.* P. Perez de Virtut. Theolog. *d. 3. cap. 5.* & alios; quia, inquam, docui posse actum supernaturalem ferri in motivum naturale *quod*; & actum naturalem in motivum *quod* supernaturale, & differre tantùm ex modo tendendi, ut supponit P. Gaspar Hurt. *d. 1.* de Spe *diffic. 2. ad finem*, & probat P. Ripald. *tom. 3. d. 21. n. 71. & 72.* ideo facilè me expedio. In formâ distinguo maiorem: omne credibile fide Divinâ, id est, infusâ supernaturali, est evidenter verum, concedo; id est, credibile propter revelationem Dei, sive realem, sive putatam; vel fide Divinâ præscindendo ab infusâ, & naturali, nego maiorem, & minorem in eodem sensu. Nam est tantùm evidens, quòd nostra religio sit credibilis propter Dei revelationem, non autem fide infusâ. Addo quòd cùm revelatio non sit evidens, nec evidens est quòd nostra religio credibilis sit ob Dei revelationem.

M. Joan. à S. Th. Mastri. P. Ripal. P. Salas, C. de Lugo, P. Ovie. P. Requ. P. Arri. Caiet. P. Suar. P. Valq. P. Ruiz. C. Pall. P. Perez P. Gasp. Hurtad. P. Rip.

N. 80. Ad confirm. dico, quòd certitudo comparata per rationem evidentem, & evidenter illativam rei sit evidentia; non autem certitudo comparata tantùm per rationem unicè excludentem prudentem, non autem imprudentem formidinem de oppositio, est evidentia.

N. 81. Dices: Si nostra religio non est evidenter vera, est tantùm probabiliter vera; ergo est etiam probabiliter falsa: ergo non tenemur eam sequi, nec peccabimus eam non sequendo, eo modo quo non peccamus affirmando Deiparam esse in originali conceptam, quia utraque contradictoria est probabilis. Nego sequelam, ut dixi *sect. 1. §. 1. Not. 7.* quia inter non evidens, & non probabile, mediat moraliter certum; & quia nostra religio tot, & tam gravia habet motiva pro credibilitate suæ veritatis, ut non nisi stultè negari possit eam esse veram; ergo non est tantùm probabiliter vera, sed est certò moraliter vera.

N. 82. Instas: Nostra religio reddit omnes alias improbabiles; ergo est evidenter vera, quia probabilitas non tollitur nisi per evidentiam partis oppositæ. Concedo antecedens, & nego consequentiam, & hujus probationem; quia probabilitas tollitur etiam per certitudinem moralem.

N. 83. Secundùm est, quia est moraliter evidens nos non esse in statu purę naturę: ergo est evidens omnium credibilissimam esse veram, quia est evidens debere esse supernaturalem. Antecedens probatur 1. quia si essemus in purâ naturâ, facilis esset cognitio ultimi finis; sed non est, ut constat ex dissensu Philosophorum; ergo. Secundò, quia non pateremur miserias, & passionum deordinationem, quas de facto experimur: ergo colligitur aliquo originali peccato, non possibili in statu puræ naturæ, genus humanum de facto fuisse infectum: ergo experientia miseriarum evidenter manifestat nos non esse in purâ naturâ. Tertiò ex appetitu, quem homines habent ad convivendum amicabiliter cum Deo, & Deus cum homine; & ex desiderio sciendi futura, consulendi oracula, quod passim datur etiam in Gētilibus. Quartò ex miraculis, quorum nullum extitisset in purâ

purâ naturâ, in quâ exigentia cauſarum illæſa ſervaretur.

N. 84. Reſpondeo hoc argumentum ſupponere tamquam evidentia plura non tantùm ita dubia, ut de illis imprudenter dubitare poſſim, ſed etiam prudenter. Nam non eſt evidens in purâ naturâ dari non potuiſſe miracula, revelationes, deſideria ſciendi futura, peccatum originale proportionatum illi, quo de facto inficimur, ſufficientem ultimi finis cognitionem adeo tenuem, qualem quicumque rudiſſimus, & in ſylvis enutritus habet; immò oppoſitum horum omnium eſt valdè probabile, cùm ad puræ naturæ ſtatum ſatis ſit, ut homo tunc ad ſtatum ſupernaturalem elevatus non eſſet: ergo omnia in argumento numerata non ſunt ſaltem *evidenter* de eſſentiâ puræ naturæ; quin, ut dixi, valdè probabile eſt, quòd eſſentia puræ naturæ ſtare poſſit cum oppoſitis eorum, quæ aſſumit argumentum. Addo argumentum contendere, quòd non ſit poſſibilis ſtatus puræ naturæ, cujus oppoſitum eſt de fide contra Baianos, ex Bullis Pij V. Gregorij XIII. & Urbani VIII. Quare rectè C. Aguirre *tom.* 3. in S. Anſelm. *d.* 105. *n.* 11. concludit contra Vincentium Contenſon *tom.* 5. *diſp.* 1. *cap.* 1. *ſpeculat.* 2. eum ijs argumentis uti, ut ſuadeat eſſe poſſibilem ſtatum puræ naturæ, abſolutè loquendo, non tamen ſecundùm potentiam ordinariam, ut vel excludant ſimpliciter tamquam impoſſibilem eum ſtatum, vel nihil concludant. Lege etiam P. Ripald. *tom.* 3. contra Baium *d.* 8. Quapropter dum S. Auguſt. S. Thom. & alij DD. ex hujus vitæ mortalis ærumnis, ex rebellione concupiſcentiæ, ex inclinatione ad malum, ex ignorantiâ, ex morte deducunt peccati originalis exiſtentiam, hoc deducunt tantùm probabiliter contra Gentiles; non autem illis rationibus utuntur quaſi demonſtrativis, ut ſcitè Emin. Aguir. *loc. cit. n.* 98. Audi S. Thomam 1. 2. *qu.* 85. *art.* 6. *& lect.* 3. *in cap.* 5. *Epiſt. ad Rom.* dicentem: *Sic igitur hujuſmodi defectus, quamvis connaturales homini videantur, abſolutè conſiderando naturam humanam ex parte ejus, quod eſt in eâ inferius; conſiderando tamen Providentiam Divinam, & dignitatem ſuperioris partis naturæ humanæ, ſatis probabiliter* (nota hoc) *probari poteſt, hujuſmodi effectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum.* Hæc S. Thom. vide etiam P. Annatum in Auguſt. à Baianis vindicato *lib.* 5. *per totum.*

N. 87. Dices: Quod omnes exiſtimant verum, eſt evidens eſſe verum: ſed omnes exiſtimant dari religionem ſupernaturalem, quia omnes ſectæ aliquid ſupra naturæ legem, & doctrinam agnoſcunt: ergo eſt evidens dari religionem ſupernaturalem. Diſtinguo maiorem: Quod omnes exiſtimant evidenter verum, eſt evidens eſſe verum, concedo; quod certò moraliter exiſtimant eſſe verum, eſt evidenter verum, nego. Vel aliter: Quod omnes putant verum ex inſtinctu naturæ ante omnem aliorum inſtructionem, concedo maiorem; ex inſtructione eorum, à quibus educati fuerunt, nego maiorem. Certè non eſt evidens, quòd puer educatus in ſylvâ cognoſcat aliquam religionem ſupernaturalem, quæ eſt aliquid purè contingens, & nullatenus neceſſariò connexum cum principio naturali, ut dixi §. *anteced.*

Inſtas: Eſt evidens dari aliquam religionem veram: eſt evidens omnes alias eſſe falſas: ergo eſt evidens ſolam ſupernaturalem eſſe veram. Nego minorem; nam eſt evidens eas tantùm eſſe falſas, quæ continent aliquid evidenter falſum contra legem, & doctrinam naturalem, non autem illas, quæ hoc non continent; atque adeo non eſt evidens religionem ſaltem purè naturalem, ſeu Philoſophiſmum eſſe falſum, licèt evidens ſit eſſe incredibilem, & non credendum. N. 88.

Tertium eſt, quia eſt evidens omnia argumenta noſtræ religioni oppoſita evidenter ſolvi: ergo eſt evidens noſtram religionem eſſe veram. Antecedens probatur; quia SS. Patres putarunt ſe ea ſolvere evidenter, ita ut non tantùm putent ſe evidenter oſtendere credibilitatem, ſed etiam evidenter veritatem noſtræ religionis, nam pro veritate dimicarunt, & ideo Eccleſiam comparant monti non abſcondito, qui ab omnibus videri poteſt. Confirmatur: quia Fideles evidenter judicant ſe teneri credere noſtram religionem ut à Deo dictam: ſed quod evidenter judicatur ut dictum à Deo, eſt evidenter verum, nam eſt evidens Deum non dicere falſum: ergo eſt evidens noſtram religionem eſſe veram. Argumenta *hoc* §. allata trahit dilectus P. Elizaldæ diſcipulus, nempe P. Joan. Barella, olim in Univerſitate Mediolanenſi Primarius Theologię Profeſſor, vir mihi amiciſſimus, quo neminem ingenioſiorem agnovi, paucis abhinc annis è vitâ functus. N. 89. P. Barel.

Reſpondeo cum P. Suar. *d.* 4. de Fide *ſect.* 2. *n.* 9. negando, quòd omnia argumenta oppoſita evidenter ſolvantur, quidquid dicat C. de Lugo, nam ſolvuntur tantùm certo moraliter, ita ut nullum prudens de oppoſito dubium relinquant. Quis enim ſolâ ratione inſtructus evidenter ſolvat, quæ fiunt contra SS. Trinitatem; & oſtendat eſſe eviden- N. 90. P. Suar. C. de Lugo,

Pius V. Greg. XIII. Urban. VIII. C. Agui. Conſel. P. Rip. S. Tho. S. Aug C. Agui. S. Tho. P. Annat.

evidenter falsum illud principium, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se? Quis quòd ex Deo, & homine fiat una Persona? Quis quòd Deus sit immutabilis, & tamen liberè velit, aut nolit? Certè totâ fide egemus, ut ea credamus, & toto ingenio, ut argumenta opposita sæpe probabiliter solvamus. Ad SS. PP. dico, quòd illi plerumque conabantur evidenter convincere Infideles de credibilitate, & credenditate nostræ religionis; contendebant enim eos peccaturos, si non crederent, adeoque esse evidens, quod tenerentur credere, ita ut non possent sine peccato non credere: ergo Patres propter hoc ipsum, quòd illis proponebant debitum credendi, meritum, & præmium fidei, non putabant se evidenter ostendere veritatem nostræ religionis. Vide P. Maurum de hoc argumento. Ut autem Ecclesia sit visibilis, non est necesse, ut ejus doctrina sit evidenter vera; satis ut doctrina Ecclesiæ in Romano Pontifice visibilis sit evidenter credenda, & sit certò moraliter vera; quomodo ut alicujus pater sit visibilis, non est necesse, ut sit evidens quòd eum genuerit, satis ut sit moraliter certum.

N. 91. P. Maur.

Ad confirm. dico, aliud esse, quòd Fideles evidenter judicent se teneri credere, quòd religio nostra sit vera, & hoc verum est; aliud quòd evidenter judicent nostram religionem esse à Deo dictam, & esse veram, & hoc falsum est.

N. 88.

N. 89.

Dices: Est evidens Deum præcipere, ut credamus nostram religionem: ergo est evidens Deum loqui. Similiter si non esset evidens Deum esse veracem, non teneremur credere; ergo neque si non sit evidens Deum loqui.

N. 92.

Respondeo, juxta communissimam doctrinam de conscientiâ, de quâ ego latè egi *d. 6. sect.* 1. duplex esse præceptum, legem, aut obligationem: alia est lex directa, alia reflexa: directa est lex Dei nobis extrinseca, quâ hoc, vel illud præcipit; reflexa est ipsa lex conscientiæ nostræ intrinseca, quę imperat credere, obedire, exequi id, quod cum tali apparentiâ proponitur ut ab homine, vel Deo dictum, vel ut præceptum. Hanc legem reflexam homo cognoscit evidenter; directam cognoscit tantùm certò moraliter. In formâ distinguo: Est evidens directè Deum præcipere, nego; non enim evidens est existere ipsum extrinsecum Dei præceptum, de credendo: est evidens reflexè Deum præcipere, concedo; est enim evidens me habere legem intrinsecam conscientiæ obligantem ad credendam rem à Deo dictam, & dictum Dei, quoties proponuntur certò moraliter existentia, ita ut de existentia non possim prudenter dubitare; eo modo, quo est mihi evidens lex intrinseca obligans obedire, quoties apparet certò moraliter superioris præceptum, licèt non appareat evidenter. Ad aliud dico antecedens negari ab omnibus, qui non cognoscunt evidenter Deum esse veracem; ego tamen nego consequentiam, quia ut tenear credere Deum loqui, satis est certitudo moralis de locutione.

N. 90. P. Suar. C. de Lugo.

Quartum est, quia est evidens nostram religionem veris miraculis propagatam, & confirmatam fuisse: sed est evidens Deum permittere non posse vera miracula, (sunt enim miracula quodammodo locutio Dei) in confirmationem religionis falsæ: ergo est evidens nostram religionem non esse falsam. Sed contra; quia ex miraculis non potest evidenter deduci veritas nostræ religionis, ut expresè P. G. Hurtad. *d. 2. diffic.* 6. & M. Mart. de Prado in Theol. Mor. *cap. 7. qu.* 9. *n.* 8. obiter 1. quia non est evidens ea facta fuisse; 2. quia non est evidens fuisse miracula vera; nam, ut legi potest in Caram. *lib.* 1. Theolog. Mor. Fund. *Fundamento* 3. *a n.* 225. *latè pag.* 92. qui plura habet curiosa; nam Gentiles etiam, & Hæretici, maximè Albigenses, plura in speciem mirabilia finxerunt, nempe ambulare super aquas, etsi Eucharistiæ beneficio ab aquis absorpti fuerint; quæ omnia ope Dæmonis patrata fuerunt, qui sine dubio plura in speciem mirabilia facere potest, de quibus latè S. Thom. in quæstionibus de Potentiâ *qu.* 6. de Miraculis *art.* 5 Similia mirabilia finxerunt Magi Pharaonis, & Simon, & Elymas, uterque Magus. Idem finxit Calvinus de vivo se mortuum simulante, licèt simulationis suæ pœnam fortitus sit revera moriendo, ut ait C. Bellar. *lib.* 4. de Notis Ecclesiæ *cap.* 14. 3. licèt daremus esse evidens quòd fuerint vera miracula, (de ratione enim miraculi est, ait M. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *p. d.* 13. *num.* 13. quòd sit supra virtutem omnis causæ creatæ, etiam supernaturalis, vel, ut explicat *tom.* 2. *d.* 30. *n.* 181. quòd sit contra consuetum modum operandi in ordine naturæ, vel gratiæ) non tamen est evidens, quòd Deus non potuerit dare homini virtutem miraculorum; cùm enim virtus operativa miraculorum pertineat ad gratias gratis datas, perverso homini communicabilis est, qui potest eâ abuti, ut confirmet falsum, quomodo Sacerdos potest ad malum finem uti potestate consecrativâ; ergo illud ad summum est moraliter certum, non autem est evidens, cùm plures TT. doceant posse de potentiâ absolutâ à Deo permitti vera miracula in eò-

N. 93. P. G. Hurtad. M. de Prado, Caram. S. Th. C. Bella. M. God. N. 94. N. 95.

Durãd. M. Ban. Medin. P.Petr. Hurtad. P. Val. P.Ovie. Ocham. Gabriel, P.Ripal. M.Mar. P.Vasq. P.Arria. P. Suar. M.God. P. Val.

firmationem falsi. Ita sentit Duran. *qu.* 1. *Prol. n.* 47. M. Bannez 2.2.*qu.*5.*art.* 1.Mich. de Medina, P. Petr. Hurt. *d.* 26. *sect.* 4. P. Val. *tom.* 3. *d.* 1. *qu.* 5. *pu.* 1.P. Ovied. *contr.* 3. de Fide *n.* 58. Ocham. *quodlib.* 4. *qu.* 10. Gabriel *in* 3. *dist.* 24. *qu. unicà art.* 3. & P. Ripal. *d.* 4. de Fide *sect.* 5. eruditè; etsi negent M. Mart. de Prado in Theol. Mor. *cap.* 7. de Fide *qu.* 9. latissimè. Similiter quod Deus se solo producere possit habitum vitiosum, tuetur P. Vasqu. 1. 2. *d.* 90. *cap.* 4. *n.* 11. P. Arriaga *d.* 39. *sect.* 4. & alij; licèt hoc neget P. Suar. P. Val. cum M. Godoy *tom.* 1. *in* 1. 2. *d.* 19.

N. 96. Dices: Est evidens Deum obligare non posse, ut credam falsum: ergo &c. Nego antecedens, vel distinguo: falsum impeditivum ultimi finis, concedo; non impeditivum, nego. Similiter nego esse evidẽs Deum non posse permittere, ut Dęmon per falsa miracula ita omnes homines decipiat, ut obligentur sequi falsum; ut enim Deus in pœnam peccati originalis permisit totius mundi infectionem, cur in pœnam ejusdem permittere non possit ut homines per falsa Dæmonis miracula decipiantur? Dixi non esse evidens, non autem dixi non esse moraliter certum.

N. 97. P. Suar. M.Mẽd M. Ban. P. Ovie. Quintum est celebre sophisma, quod diversimodè afferri potest, ut videre est in P. Suar. *d.*2.*sect.*2.*n.*2.P.Mendoza *d.*22.§.6.C.de Lugo *d.*5.*n.*30.M.Bannez *qu.* 1.*art.*4.*ad* 5.P. Ovied.*contr.*4. *n.*5.Hæc illatio valet: *Hæc Religio est evidenter falsa, ergo est evidenter incredibilis*;ergo etiam hæc: *Hæc religio est evidenter credibilis*;*ergo est evidenter vera*.Consequentia probatur; quia, juxta Summulistas, valet illatio ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: sed oppositum hujus consequentis, *ergo est evidenter incredibilis*, est hoc, *ergo est evidenter credibilis*; & oppositum hujus antecedentis, *est evidenter falsa*, est hoc, *est evidenter vera*: ergo valet ea illatio: *Est evidenter credibilis, ergo est evidenter vera.* Idem argumentum hoc modo proponitur; valet, *est evidenter impossibile, ergo est evidenter incredibile*; ergo etiam valet: *Est evidenter credibile, ergo est evidenter possibile.*

N. 98. Respondeo regulam ita intelligendam, nempe, quòd valeat illatio ab opposito contradictorio consequentis, ad oppositum contradictorium, non autem contrarium antecedentis. Ita valet, *Petrus est homo, ergo est animal*; *non est animal, ergo non est homo*: non autem valet, *non est animal, ergo non est lapis*; quia homo, & lapis opponuntur contrarie: sed in nostro casu illę propositiones, *est evidenter incredibile, est evidenter credibile*, vel, *est evidenter impossibile, est evidenter possibile*, non opponuntur contradictoriè, sunt enim omnes affirmativæ: ergo dicta illatio non valet, *est evidenter credibile, ergo est evidenter verum*; vel, *est evidenter credibile, ergo est evidenter possibile*. Siquidem contradictoria hujus, *est evidenter incredibile*, non est hæc, *est evidenter credibile*; sed hęc, *non est evidenter incredibile*. Similiter contradictoria hujus, *est evidenter impossibile*, non est hæc, *est evidenter possibile*; nec contradictoria hujus, *est evidenter falsum*, non est hæc, *est evidenter verum*, sed sunt istæ, *non est evidenter impossibile, non est evidenter falsum*: ergo illatio non valet. Ratio est; quia contrarię possunt simul esse falsæ, non autem simul veræ: ergo ex eo quòd falsum sit consequens, & verum sit contradictorium, vel contrarium consequentis, non sequitur verum esse contrarium antecedentis, quia antecedens potest esse falsum, & consequens esse verum; non autem potest antecedens esse verum, & consequens esse falsum. Itaque nostra religio nec est evidenter vera, nec evidenter falsa, quia hæc non sunt contradictoria: ergo datur medium, nempe obscurè, certò tamen prudentialiter verum. De hoc legi potest P. Munies- P.Mun. sa vir pietate, doctrinâ, & morum gravitate insignis, & mihi, dum Barcinonę degerem, in primis amicus, de essentiâ, & attributis Dei *d.* 18. *n.*56.qui argumentum commune pro possibilitate creaturæ, cui visio Beata debeatur, petitum ex propositione Euclidis malè intellectâ optimè dirimit, dicens illegitimè ex opposito antecedentis inferri oppositum consequentis; legitimè autem ex oppositio consequentis oppositum antecedentis.

N. 99.

Dices ex P. Eliz. qui licèt *à qu.* 6. *ad* 17. N. 100. doceat, quòd ut aliquod mysterium credatur, necessaria non sit evidentia illius; & ut P. Eliz. vera religio inveniatur, necesse non est, ut priùs examinentur singuli omnium religionum articuli, quæ certissima sunt, aliàs plerumque vita absolveretur, antequam singulorum articulorum examen perficeretur; attamen, ait P. Eliz. prærequiritur evidentia de veritate religionis, antequam aliquis articulus in particulari credatur. Sed contra; quia sicut hic articulus, *Nostra Religio est vera*, potest ita proponi, ut evidenter obliget N. 101. ad ejus fidem, absque eo quòd explicitè proponantur alij particulares articuli, ex. gr. Trinitatis, Eucharistiæ &c. ita cur accidere non potest, ut priùs proponatur alicui articulus Trinitatis, ita ut evidenter obligetur ad ejus fidem, antequam articulus ille generalis, *Religio nostra est vera*, ei proponatur?


Ergo

Ergo non est necesse, ut antequam alicui particularis aliquis articulus proponatur, habeat evidentiam de veritate religionis. Accedit
N. 102. quòd Theologi inquirentes, quorum mysteriorum fides explicita sit necessaria necessitate medij ad salutem, ad tria reducere videntur; nempe ad hoc, quòd Deus sit, quòd Remunerator sit, quod Redemptor
P. Suar. C. de Lugo. sit: immò P. Suar. *d.* 12. *sect.* 4. C. de Lugo *d.* 12. *n.* 91. & plures alij dicunt, non esse necessariam necessitate medij ad salutem, fidem explicitam Christi D. Redemptoris, sed sæpe sufficere, quòd Redemptionis articulus credatur implicitè in voto: ergo multò minùs requiritur, ut iste articulus, *Religio nostra est vera*, credatur explicitè, quidquid
P. Eliz. dicat P. Eliz. contra torrentem TT. ergo tota ejus machina, quòd ante fidem alicujus articuli particularis necessariò prærequiratur evidentia hujus, quòd fides nostra sit vera, est omnino aerea.

Instas: Hæc veritas, *Cæsar fuit Romæ*, est evidenter vera; ergo multò magis hæc, *Religio nostra est vera*. Sed contra; quia an hæc veritas, *Cæsar fuit Romæ*, sit moraliter evidens, definire nolo; hoc unum dico, quòd si ejus apparentia est talis, ut excludat etiam stultam formidinem, erit moraliter evidens; si autem talis non est, non erit. Addo, quòd dato antecedenti, consequentia non tenet; quia licèt motiva antecedentis sint minora, apparent tamen evidenter connexa cum eâ veritate; non ita motiva fidei cum mysterijs fidei: ergo tum ratione luminis, tum ratione excessûs, quem habent mysteria fidei cum hâc veritate, *Cæsar fuit Romæ*, potest hæc esse moraliter evidens, non autem illa, *Religio nostra est vera*, ut dixi *sect.* 1. §. 2. *in* 4. *respons.* N. 103.

FINIS, LAVS DEO.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN